

Fulgosius (Bap.). Dictorumque memorabilium libri IX. *Antv., J. Bellerum,* 1565, gros vol. in-12, dem.-rel.

199. **Fulgosus** (B.) Dictorumque memorabilium libre IX, aucti, et retituti. Antv., Ap. J. Bellerum, 1565, in-12, dem. rel. v., dos orné. 100.00

Livre estimé et rare. Au 8e livre se trouve le chapitre de Christophoro Columbo. American. Vetust. Addit.

p. 634

i IX.

BAPTISTÆ FVLGOSII FACTORVM, DICTORVMQVE MEMORABILIVM LIBRI IX. AVCTI, ET RESTITVTI.

Index copiosissimus omnium nominum de quibus passim in historia agitur.



ANTVERPIAE,
Apud Ioannem Bellerum, sub Aquila aurea.

M. D. LXV.

1565

VITA BAPTISTAE FVLGOSII GENVENSIS.

AVctoris vitã paucis perſtringere operæprecium duxi. Baptiſta Fulgoſius, quem Raphaël Volaterranus Baptiſtinum Fregoſum, alij Campofulgoſum vocant, Perini Genuenſis olim ducis filius, Genuæ dux fuit. Vir inprimis manſuetus, bonus, armis ſtrennuus, manuque promptus. Quem cùm Obiettus Fliſcus, ſæpè de magiſtratu deijcere tentaſſet, tandem à Paulo Fulgoſio Cardinali patruo ſuo, cuius opera Cardinalatum acceperat, principatu deiectus & vrbe pulſus fuit, anno reſtitutæ ſalutis 1483. Is ergo ad leuandam mitigandamq; animi ob exilium ægritudinem, totum ſe literis dedit, imitatusq; Valerium Maximum, ſcripſit vernacula lingua ad Petri filij mores formandos, opus memorabile in IX libros digeſtum, de factis & dictis memorabilibus Imperatorũ Pontificũ, Ducũ, Principũ, Epiſcoporũ, & priuatorũ cuiuſcunq; ſtatus atq; cõditionis hominũ, partim ex omnibus qui ferè vſquam extant hiſtoriographis decerptum, partim exemplis quæ ſuo ſeculo acciderunt illuſtratum, vt meritò alter VALERIVS MAXIMVS, tum ob eloquentiam natiuam, cum ob varietatem rerum, quas vbique interſerit, dici poſsit, tantùm ex Valerio titulos rerumque capita mutuatus, exempla, resq; veriores geſtas, quas vel Valerius omiſiſſet, vel quæ poſt mortem eius accidiſſent, deſcribens. Quod opus varium ſane iucundum & vtile CAMILLVS GILINVS, vir illuſtri quidem genere ortus, ſed omnigenæ laudis præconio, ob ingenij acumen, ſermonis puritatem, elegantiamque & virtutis magnitudinem, haud indignus, latinitate feliciſsimè donauit.

BAP-

Am. 0. 632

1412.00 2023

BAPTISTÆ FVL
GOSII IN LIBROS FA-
CTORVM DICTORVMQ; memorabilium ad Petrum filium

PRAEFATIO.

LITERARVM *studia, non prosperis solum rebus ornamento esse, sed aduersis quoque perfugium præbere, si Dionysij Iunioris responsum dicentis, Se ex literis patientiã cõsecutum ad ferendam amissi regni calamitatem: si permultorum aliorũ, qui monumentis suis testatum hoc idem reliquerunt, scripta non ostenderent, ego vnus ita esse, docere mortales experimento meo possem. Genuensium enim principatu, meorum scelere deiectus, omnibus ad leuandam animi ægritudinem tentatis, nihil quod non modo salutem, sed ne solamen quidem sponderet, nisi in lectione inueni. Duo enim potissimum ex ea consecutus sum, vnum quòd legendis aliorum casibus, vnum me non esse perspexi, in quem fortuna sæuire voluerit: alterum quòd dum legerem, dum aliorum gesta recenserem,*

tanquàm è militari via, in seceſſum diuertenti, aliquantiſper malorum obliuio animum ſubibat. Cum igitur in hũc literariũ ceu portum me recepi, vt per hanc rationem, aduerſæ tempeſtatis mala minuerẽ, is mihi mos ſemper fuit, vt ex quotidiana lectione mea, ea annotarem, quibus vel ad imitandum, vel ad euitandum, in vita fructus ſpes aliqua proponi videretur, quæ cum in vnum contuliſſem, additis, aliorum temporum collectaneis (legendo enim animi gratia eundem morem ſeruaueram) & mihi latinè ſcribendi ſtylus, ac ratio, aulæ, & non ſtudijs aßueto deeſſet, per Raymundum Soncinatem præceptorem meum, latina facere decreueram. Sed fortunæ vis hominem alioquin idoneum, qui fabrili dolabra excoriatum modo lignum, optimè effigiaret, aliò abſtulit, ademitq́, quod ad illuſtrandos in communem vſum labores meos, magnoperè per eum exquirebam. Hac igitur ſpe deiectus, cum putarem aliquando has annotationes meas, quoquo modo ſcriptæ eſſent, vſui tibi eſſe poſſe, vulgari ſtylo, quia alius non ſuppetebat, in ordinem redegi. In ijs autem rationem illam ſecutus ſum, vt Valerium Maximum, mihi quo ad rerum titulos capitaq́, ac numerum librorum proponerem, ſed in exemplis rebusq́, ea tantum ſumerẽ, quæ vel ipſum præterijſſent, vel poſt eũ geſta, nullo modo in eius noticia eſſe potuiſſent.

sent. Nã quæ ab eo scripta fuerũt, attingere: aut im pudẽtis fuisset, quia ex alieno labore laudẽ mihi quæ fuisse visus essẽ, aut amẽtis, dũ luculẽtissimo stylo à Valerio notata, ipse vel magis ornatè scribere Latinæ orationis prorsus expers cõfiderẽ, vel adẽpto Valerij nitore, pro prætexta, lutulento sago amicirẽ. Hæc autẽ, quanquã animi mei gratia, & nõ vt in lucẽ prodirẽt, à me scripta fuerunt, coëgit tamẽ paterna pietas, vt tibi traderẽ, fretus quod mihi dũ eis operã darẽ, ereptæ fortunæ leuiorẽ calamitatẽ fecit, tibi quoq; si ea legeris, non fructũ modo in eo allatura, quod ad euitãda, quæ obsunt, cautiorẽ alienis exẽplis, & ad imitãda quæ bona sunt, studiosiorẽ te reddent, verũ etiã, quod cũ in eis maiorũ tuorũ præclarè res gestas videbis, quæ permultæ sunt, acres tibi adigẽtur aculei, ne ab ijs, qui ortus tui causam dederũt, qui per virtutẽ grãde sibi nomẽ in omne æuũ pepererũt, degenerasse videri velis. Nã hic paratũ inuenies fructũ, qui ex historia quæritur, neq; id solũ assequêre, vt periculis procul, ea intelligas, quæ pleriq; per orbẽ errãtes magno labore, nec sine discrimine vix obtinuerunt, verũ etiã habebis illud, quod recẽtior historia, quantò præsentibus moribus magis cõgruit, tantò etiã facilius legentiũ animos, tanquã ea quæ penè ipsi aut patres eorum viderint, referri intelligant, subire solet. Ad quod etiã illud accedit,

quod cũ philosop. præcepta, ad reformãdos in melius ominũ mores tendant, lõgè magis illud rerũ gestarum exẽpla, quam rationes solæ & argumẽta efficiũt, mouentq; æmulationẽ quandã nõ indecorã, vt enitamur, ne ijs à quibus orti sumus, virtute inferiores habeamur. Neq; enim alia res, magis me eo tẽpore mouit, cũ obsessam Sixti põtificis & Ferdi. Aragonij regis auspicio, Genuẽsem arcẽ parua manu irrupi, quã adire Mediolanẽsis princeps, ingẽtib. copijs nequiuerat, nisi memoria rerũ à parẽte meo, auo tuo gestarũ, cũ turpe mihi ducerẽ, eo ortũ viro, cuius virtuti inuiũ nihil fuisset, eam refugere prouinciã, quã ille, si optio daretur, auidissimè susceptur us fuisset. Impulêre igitur me patris egregia facinora, ad eã rẽ obeũdam, in qua pleriq; militũ meorũ, virtuti suæ diffisi, dũ morti potius quàm prælio se obijci putabant, me ducẽ suũ deseruerũt. Quamobrẽ Petre, & si malim te armis quam literis, vt maiores nostri fecere, operam dare, tamẽ quia semper armis vti nõ licet, cũ vacuus eris, hæc quæ tradimus, legere te velim. quia quod mihi ad discutiendũ in periculis terrorẽ adiumẽto fuit, tibi quoq; ad sequẽdam virtutẽ ex maiorũ nostrorũ recordatione, quæ his cõtinetur scriptis, proueniet: ne auitũ nomen quod tibi inditũ est, si sine illa virtute, quæ in auo fuit, retuleris, oneri tibi esse videatur: quanquam hac in re duo tibi nõ

excí-

excidere velim: vnũ ne memoria tenendo, eius te ne potẽ fuisse, cui rebus agẽdis, nulli aut saltẽ perpauci pares fuêre, maiora audeas, quam ferre vires tuæ valeant: sed eius memoriam ob id potissimũ serues, vt tanti viri appellatio, ne ad scelus vllũ declines velut repagulũ tibi obstet: alterũ est, vt quanquam literæ, sicuti diximus, prosperas res ornent, & vt facilius aduersa perferantur præstent: memineris tamẽ maiores nostros, decora sua armis & nõ literis peperisse, quod eò tendit, vt tu quoq;, & si etiã literarũ te studiosũ esse cupio, tamẽ in primis, quantũ fortuna patietur, militiã atq; arma sequaris. Siquidem illud non obscurũ est, vbi literæ atq; arma disiũcta sunt, tantum militarem virũ ab literato differre, quantũ olympicis ludis victorẽ à præcone, mortales distare putauerunt. Cæterũ quia ingenui animi est fateri per quem didiceris, ne nos arbitreris minore quam debebamus studio vsos, vt ne quid quod satis certũ nõ esset, collegerimus, neq; ab vllo in hũc librũ nisi probatæ fidei autore, aliquid cõferremus, autorum nomina subijcienda duximus: quæ olim in epistola ad Antonietum Campofulgosum equitem insignem & gentilem propinquumq; nostrum, posuimus: dum vt librum inspicere posset, magnopere à me flagitaret.

CAMILLVS GILINVS LA-
FREDO CAROLO, REGIO
præfidi, omnis Iuris, omnium bona-
rum artium peritiſsimo,
ſalutem.

DVo fortaſsè miraberis atque haud ſcio an non iniuria. Vnum quod nondum pueritiæ egreſſus metas, auſus ſim graue opus aggredi, vt Latina facerem de factis dictisq; memorabilibus Collectanea, quæ vir illuſtri quidē genere ortus, ſed longè maiore propter ingenij atque virtutis magnitudinem laude dignus Baptiſta Fulgoſius, vernacula lingua ad Petri filij formandos mores ſcripſit. Opus profectò quod nō maiorem ſolum ætatem, quam mea eſt, ſed cōſummatiſsimi quoq; in literis viri eruditionē requirebat. Alterū quoq; qualecūq; opus eſt, quod tranſferendo vires meæ præſtare potuerūt, dicare tibi auſus ſim, qui in Mediolanēſi ducatu maximi Regis in ea re perſonā geris, quę regendis populis primaria eſt, & ſine qua fruſtra tantū armis partū eſſet imperium. Ego autē nequaquā negauerim, quod alij de operis tranſlatione iudicare poſſunt, mihi quoq; ipſi viſum eſſe: neq; enim tam excors erā, quin intelligerem maiorum eſſe virium hoc opus. Nā ſi continuata vnius gētis hiſtoria, mortaliū omniū iudicio magni eſt faciēda, quod ſeruata per ipſam memoria eorū, quæ vel rectè, vel perperā geſta fuerunt, quaſi lumē quoddā legentibus proponit, eorū quæ aut vitare homines, aut ſequi debeant

beāt: proculdubio maius hoc censendum est, in quo ad euitādi vel sequēdi exemplū, ea proponūtur, quæ ab orbe cōdito vsq; in hæc tēpora dicta atq; facta sunt, illis dūtaxat exceptis quę Valerius Maximus annotauit. Res enim ingens est, & ceu vasti maris instar, in quo nō deficere solū pueri vires possint, sed veteranus quoq; in re literaria professor cōtremiscat. Hæc me moue bāt, sed impulit parēs meus Ioannes Iacobus, vt onus susciperē, qui Baptistā viuentē singulari obseruātia prosecutus est. Oblato vt inspiceret à propinquis eius volumine, cū intellexisset ei magnopere curæ fuisse, vt latinū hoc op⁹ fieret, arbitratus est neq; se erga magnum amicū officio satisfacturum, & irrequietos Baptistæ manes futuros, nisi ipse quoquo modo posset, posteaquam melior alius rem non aggrediebatur, vt latinum fieret pro virili sua eniteretur. Coëgit igitur vt inter themata, quæ ad alendam dicendi facultatem pueris proponuntur, ego quotidie huius operis particulam in latinum vertērē, in qua re cū mihi illud propositū nō esset, vt hac translatione peritorum virorū iudicio satisfacerē, sed vt patris volūtati mos à me gereretur, diffidere videor nō debere, quin officij mei ratio, nō solū apud te virū cū alijs virtutibus, tum in primis humanitate insignē, verumetiā apud alios excusata habeatur. Sequitur nūc dicationis audacia, quæ culpa nō careret, si spōte mea vt id agerē mihi sumpsissem. Quomodo enim defendi posset, vt quod ego satis peritè fieri à me non

posse sciebã, illud ei dicare auderẽ, quẽ Rex inter christianos homines potentissimus primariũ honorẽ ad regendũ Mediolanensiũ ducatũ propter doctrinæ atquæ sapientiæ magnitudinẽ gerere voluit? Sed huius quoq; rei eadẽ excusatio est, quæ latinũ faciẽdi opus fuit: Nam cũ parẽs meus alia re nõ facile suũ in te studiũ atque obseruantiã testari posset, voluit in hoc dicato tibi opere nõ solũ eius in te animus declararetur, verũ illud quoque pateret qualis ipse in te est, talẽ me quoq;, qui eius imago sum, & esse nũc, & semper fore. Itaq; quoniã in vtraq; re te meritatis notã à me videor depulisse, supereſt vt studiorũ meorũ primitias, quas tibi dicaui, tu prorsus aspernãdas nõ ducas: Nã quanquã doctrinę tuę magnitudo maiora forsã cupere videatur, tamẽ haud in parua parte laudis ducendũ est, his etiã cõtentũesse velle, quę offerũtur, cũ dãtis fortuna ampliora nõ ferat. Tu quoq; Petre Fulgose, cui Baptista parẽs, vir inter raros virtute insignes annumerãdus, ad minuẽdos in morũ tuorũ formatione labores, hoc opus edidit, nõ modo nõ molestẽ feres, si designati tibi operis dicatio ad regiũ præsidẽ Lafredum Carolũ transfertur, sed in eo beneficiũ quoq; esse, agnosces. Quis enim nõ videat, nõ solũ hãc rẽ in te magni esse viri amorẽ auctorã: verũ inde hoc quoque sequuturũ, quòd amplissimi viri dignitas & honor efficiet, vt patris tui nominis atq; virtutis fama, patriæ regionis limitibus non contẽta, ad exteras quoq; nationes acgẽtes perferatur?

BAP-

BAPTISTAE FVLGOSII COLLECTANEORVM LIBRI IX.

CAPITA PRIMI LIBRI

Cap. I. De cultu religionis Fol. 1
Cap. II De spreta religione 24
Cap. III De ominibus siue augurijs 32
Cap. IIII De prodigijs. 41
Cap. V. De somnijs 61
Cap. VI De miraculis. 81

SECVNDI LIBRI

Cap. I. De priscis institutionibus 125
Cap. II De militari disciplina 144
Cap. III De iure triumphandi 154
Cap. IIII De censoria nota 159
Cap. V De maiestate 162

TERTII LIBRI

Cap. I. De Indole 174
Cap. II De fortitudine 178
Cap. III De patientia 206
Cap. IIII De ijs qui humili fortuna orti clarum sibi nomen vendicarunt 217
Cap. V De ijs qui claris orti parentibus degenerarunt 299
Cap. VI De ijs qui patriæ consuetudinē in vestib. & alijs ornamentis excesserunt 233
Cap. VII De sui ipsius confidentia 237
Cap. VIII De constantia. 247

QVARTI LIBRI.

Cap. I. De animi moderatione 255
Cap II De ijs qui cū inimici aut etiam hostes essent, non amicitia modo, sed etiam affinitate se

ti se deuinxerunt. 275.
Cap. III De abstinentia & continentia. 281
Cap. IIII De paupertate. 297
Cap. V De pudore. 300
Cap. VI De coniugali charitate. 305
Cap. VII De amicitia 310
Cap. VIII De liberalitate 315

QVINTI LIBRI.

Cap. I De bonitate & clementia. 327
Cap. II De gratis. 342
Cap. III De ingratis 355
Cap. IIII De pietate erga parentes. 362
Cap. V De pietate erga fratres 368
Cap. VI De charitate erga patriam 373
Cap. VII De parentū indulgentia erga liberos 380
Cap. VIII De parentū seueritate in filios 381
Cap. IX De parentum in suspectos filios moderatione. 388
Cap. X De parentum æquitate animi in ferenda filiorum morte 390

SEXTI LIBRI.

Cap. I. De Pudicitia. 395
Cap. II De ijs quæ liberé vel facta vel dicta sunt. 410
Cap. III De Seueritate 427
Cap. IIII De ijs quæ grauiter vel facta vel dicta sunt 434
Cap. V De Iustitia 446
Cap. VI De Fide publica atque priuata 456
Cap. VII De Fide vxorum erga maritos 462

Cap.

Cap. VIII DeFide seruorũ erga dominos 466
Cap. IX De morũ ac fortunæ mutatione 470
Cap. X De his qui ab humili fortuna in grã-
dem emerserunt 479
Cap. XI De humanis casibus ac fortunæ varie
tate 486

SEPTIMI LIBRI.

Cap. I. De fœlicitate 521
Cap. II De sapienter dictis aut gestis 522
Cap. III De astutè dictis aut factis 535
Cap. IIII De militaribus stratagematis 550
Cap. V De Repulsa 571
Cap. VI De Necessitate 573
Cap. VII De ijs quæ ex testamentis legitimè fa
ctis abolita sunt 577
Cap. VIII De Testamentis quæ firma manse-
runt cũ causa inesset vt rescindi deberẽt 579
Cap. IX De ijs qui contra communem opinio
nem hæredes delegerunt. 581

OCTAVI LIBRI.

Cap. I. De reis magnorum criminũ quas ob
res absoluti aut damnati fuerunt. 582
Cap. II De insignibus priuatis iudicijs 591
Cap. III De fœminis quæ doctrina excellue-
runt. 592
Cap. IIII De disquisitione per tormenta 596
Cap. V De Testibus 599
Cap. VI De ijs qui in alios animaduerterunt,
super ijs quæ ipsi aliquando patrarunt 599
Cap. VII De studio atque industria 602
Cap. VIII De Ocio 614

Cap.

Cap. IX Quantæ sint Eloquentiæ vires 617
Cap. X Quantum habeat momenti venusta actio & pronunciatio 621
Cap. XI Quam ingentes sint quarundam artiũ effectus 626
C. XII De quibusd. quę arte cõfici nequeũt 634
Cap. XIII Quod omnes artis suę optimi autho res ac disputatores sunt 635
Cap. XIIII De Senectute 639
Cap. XV De Gloriæ atq; Famæ cupiditate 644
Ca. XVI Quę res magnę quibusdã cõtigerũt 653

NONI LIBRI

Cap. I. De hominum luxu atq; delicijs 662
Cap. II De Crudelitate 674
Cap. III De Ira atque Odio 684
Cap. IIII De Auaritia 597
Cap. V De Superbia 703
Cap. VI De Perfidia & Proditione 711
Cap. VII De Violentia atque seditione 925
Cap. VIII De Temeritate 738
Cap. IX Quantum valeat & possit error 742
Cap. X De Vindicta 649
Cap. XI De sceleratè dictis aut factis 760
Cap. XII De inusitatis mortis generibus 773
Cap. XIII De nimia viuendi cupiditate 782
Cap. XIIII Quã anxiè custodiæ suæ inuigilarint quibus suorum fides suspecta erat
C. XV De ijs qui effigie sibi permultum similes fuerunt 788
Ca. XVI De ijs qui obscuro orti loco per dolum claris se familiis inserere conati sunt. 789

ELEN-

ELENCHVS AVCTORVM VNDE Collectanea nostra deprompsimus.

Appianus Alexandrinus
Apuleius Madaurensis
Aitho Armenus
Anneus Seneca
Ambrosius Mediolanensis
Augustinus Hipponensis
Aristoteles Stagyrita
Apio polihystor
Alexand. in Iudaica historia
Aristobolus historicus
Athanasius Alexandrinus
Alexander Aphrodiseus
Aemilius Probus
Aulus Gellius
Augustinus Datus
Antoninus Archiep. Florēti.
Albertus Magnus
Antonius Panormita
Andreas Dandulus
Annales Gallorum
Annales Normannorum
Annales Vngarorum
Annales Genuensium
Annales Anglorum
Annales Flandrensium
Arnulphus historicus
Arnaldus Villanouanus
Alaricus Gothus
Berosus Chaldæus
Beda Venerabilis
Bartolomeus Facius
Blondus Foroliuiensis
Bernardus Iustinianus
C. Plinius
Callisthenes
Cornelius Tacitus
Christophorus Landinus
Diodorus Siculus
Dion Græcus
Dorotheus Græcus
Diony. Halicarnasseus
Daniel propheta
Diegus Valera Hispanus
Diony. Areopagita
Diogenes Laërtius
Eusebius Cæsarienſis
Eutropius
Eustathius
Egesippus
Enguerranus Gallus
Episcopus Imolensis
Fl. Vopiscus
Fl. Iosephus historicus
Froissardus Gallus
Gregorius Magnus
Gulielmus Tyri Episcopus
Gafurius Genuensis
Galuaneus Flamma
Geruasius Tibelensis
Georgius Merula
Gocifredus Anglus historic⁹
Gulielmus Durandus
Hieronymus Stridonensis
Herodotus historicus
Herodianus historicus
Hecateus Abderita
Hierocleus philosop. Græcus
Ioannes Boccatius
Iulius Capitolinus
Ioannes Cassianus

Iustinus

Iustinus historicus
Ioannes Chrysostomus
Isidorus Hispalensis
Iulius Solinus
Iacobus Bracellius
Ioannes Pontanus
Ioannes Campanus
Ioannes Villanus
Ioannes Trithemius
Iuuentius Celius.
Lampridius
Lucas Euangelista
Leonardus Aretinus.
Manetho Aegyptius
Metasthenes Persa
Moyses Propheta
M. Tullius Cicero
Macrobius
Morigia
Musatus
Matthæus Villanus
Matthæus Palmerius
Michael Psellus
Marcus Cotoniolensis.
Nathan Propheta
Nicol. Damascenus
Notarius Comensis.
Olympiodorus Philoso.
Otto Morena Laudensis.
Plinius Iunior
Procopius Græcus
Paulus Diaconus
Petrarcha
Philostratus Græcus
Paulus Orosius
Philo Iudæus
Paulinus Nolanus
Posidonius Epi. Calamesis
Prosper Aquitanicus
Plutarchus Cherroneus
Priscus Magister Epistola.
Theodosij. II.
Poggius Florentinus
Philelphus
Platina
Pius II. Pont. Max.
Petrus Vinea
Pomponius Lætus
Petrus Abanus
Petrus Ancharanus.
Q. Curtius.
Ruffinus Aquileiensis
Robertus Gaguinus
Rodericus Epis. Palentinus
Ricoldus.
Strabo
Spartianus
Suetonius Tranquillus
Symocatus
Sextus Iulius Frontinus
Sulpitius Seuerus
Sabellicus
Simoneta
Saguntinus
Sigebertus Gemblacensis
Sidonius Apollinaris.
T. Liuius
Thomas Aquinas.
Vegetius Renatus
Vitruuius
Vincentius Bellouacensis
Vincentinus
Xenophon.

FINIS.

INDEX COPIOSISSIMVS
omnium nominum de quibus passim in hac historia agitur

Aaron pontifex Iudæorũ. 655.
Abaga Can Tartarorũ rex. 757.
Abacuc propheta. 84.
Abarthomius Sidoniæ rex. 479.
Abeniuza Sultanus Marrochi. 453.
Abdelmonius Barbariæ rex. 225.
Abimelech Gedeonis filius. 676.
Abisai Hebræus. 190.
Abiud sacerdos. 26.
Absalon. 762.
Absalonis in fratrem crudelitas. 398.
Abydeni. 457.
Achab Samariæ rex. 25.
Actia Augusti mater. 64.
Actilia Variola Romana. 577.
Actius. III. Estensis Ferrariæ princeps. 769.
Adaleda Augusta. 496.
Adathames Cara. 552.
Adlauus Northumbrorum Barbarorum rex. 740.
Adolescens Lacedæmonius. 188.
Adonizebech Cananæorum rex 490.
Adrianus & Seuerus Imperatores 645.
Adrianus primus Pont. Max. 253.
Adulterij duo accusati. 597.
Aegypti Sultani. 485.
Aegyptij. 128, 131, 140, 688.
Aegyptiorum iudices. 131.
Aegyptiorum reges. 130.
Aegyptius quidam qui se finxit Antiochi Soteri regis filiũ. 790.
Aelius Adrianus Imperator. 87. 147. 157. 235. 262. 603. 629. 647.
Aelius Verus Imp. 671.
Aeschines orator. 218.
Aesopus Demosthenis libertus. 596.
Aethiopes. 143.
Africæ rex quidam. 776.
Agapetus Pontifex. 422.
Agatha virgo Catinensis. 212.
Agathocles Syracusanorum rex. 220. 714.
Agathoclis comites. 596.
Agesilaus Athenienſis. 206.
Agesilaus Lacedæmoniorum rex, 238. 284. 527.
Agis Lacedæmoniorum rex. 259.
Agrigentinus quidam cæcus. 549.
Agrippina Augusta. 44.
Agrippina Augusta. 765.
Aimarus Episcopus Aniciẽsis. 102.
Aimo Sabaudiæ comes. 592.
Alardus eques prouinciæ Narbonensis & Carolus I. Neapolit. rex. 559.
Alaricus Gothorum rex. 9. 690.
Alarici milites. 9. (137.
Albericus Barbianus Cunij comes.

Albertus Pius Caporum princeps. 613.
Alcibiades Athenienſis. 175. 344. 525. 537. 553.
Alexander Eleus philoſophus. 774.
Alexander & Gaius martyres. 15
Alexander III. Pont. Max. 432.
Alexander Iudæorum rex. 677.
Alexander magnus. 69. 165. 174. 180. 234. 238. 287. 316. 348. 449. 644. 645.
Alexander magnus & Timoclea Thebana. 395.
Alexander Phæreus tyrannus. 675.
Alexandrini quidam ciues. 759.
Alexandrinus populus. 729. 756.
Alfonſius Aragonius Siciliæ rex. 237. 273. 280. 295. 326. 339. 340. 341. 549. 613. 652.
Alfonſius Legionis rex. 20.
Alfonſius Pereſius Guſmanus. 459.
Alfonſius II. Neapolis rex. 476.
Alfonſius quartus Legionis rex. 31.
Alfonſius X. Caſtulonenſis rex. 613.
Alfonſus ſenior Aragonum rex. 159.
Alfredus Britannorum rex. 74.
Alphenus Varro Cremonenſis. 218.
Almaricus Hieroſolymarum rex. 20.
Almeno Arabs rex Toletanus. 461.
Altinerius & Rainaldus Tarviſini. 547.
Altreda mater Gulielmi Normandi ducis. 73.
Aluarus Luna Aragonius. 512.
Amalaſunta Oſtrogothorum reginæ in Italia. 609.
Amalibea Sibylla Cumana. 594.
Amaſis rex Aegypti. 522. 523.
Amaſis Perſa. 536.
Ambroſius Mediolanen. epiſcop. 38. 53. 75. 102. 168. 268. 421. 611.
Ambroſius Grimaldus ciuis Genuenſis. 81.
Ammianus Marcellinus. 568.
Amram Moſis pater. 64.
Ammon Hieroſolymorum rex. 26.
Anaſtaſia nobilis fœmina Conſtantinopolitana. 403.
Anaſtaſius Imp. 776.
Anaſtaſius abbas. 54.
Anaſtaſius II. Pont. 778.
Ancillæ Cleopatræ. 469.
Andalonus Negronus Genuenſis. 612.
Ancharus Midæ regis Lydorum filius. 374.
Andragatius comes. 191.
Andriſcus Pſeudophilippus Macedoniæ rex. 791.
Andronicus Imp. 495.
Animalia admiranda. 119.
Annibal Carthaginenſis. 540. 556. 635. 765.
Antagoras poëta. 418.
Antigonus rex Macedonum. 239. 362.

Antiochus Accipiter Syriæ rex. 368.
Antiochus Epiphanes Asiæ rex. 27 284.
Antiochus III. Asiæ rex. 452.
Antiochus Eupator Asiæ & Syriæ rex. 712.
Antiochus Griphus Syriæ rex. 753.
Antipater Herodis Iudeorum regis filius. 762.
Antipater Macedoniæ rex. 763.
Antistiæ vxoris Pompeij mater. 380.
Antisthenes philosophus. 608.
Antonia Placilla Prisci vxor. 465
Antonij Aegyptij senectus. 641.
Antonius Venierus Venetorũ dux. 386.
Antonius Caracalla Imper. 473. 682.
Antoninus Pius Imp. 34. 48. 166 604. 333. 390. 615. 241.
Antonius Leoninus Genuensis. 580.
Antonius Spinula Genuensis. 723.
Antrum Hieropolitanum. 118.
Anus quædam. 530.
Apelles pictor. 631. 637.
Aphri Episcopi. 109.
Apitius Romanus & P. Octauius. 664.
Apollonius Tyaneus. 83. 167. 607 630. 642.
Apostoli. 53.
Appius Claudius Decemuir. 714.
Appius à Triumuiris proscriptus. 487. (540.
Apuleius & Aruntius proscripti. Aquileienses. 576.
in Aquis miranda perspecta. 105.
Arantij vxor. 380.
Arcis Nucerinæ præfectus. 406.
Araßensis clerici & eius sororis facinus. 587.
Arbogastes comes. 717.
Arbogastes. 192.
Archelaus qui se Mithridatis Ponti regis filium finxit. 790.
Archidamus Zeusippi filius. 591.
Arescontes Argiuus. 85.
Aretha Cyrenaica docta mulier. 593.
Aretaphila Cyrenea. 260.
Aretaphila Græca. 597.
Argentaria Pollæ docta mulier. 594.
Argiraspidæ. 701.
Argon Tham Tartarus. 503.
Ariarthes Cappadocum rex. 187.
Ariminenses duo fœminæ. 576.
Aristeus Proconnesius. 91.
Aristides Athenienses. 256. 263. 298. 582. 654.
Aristippus Argiuus tyrannus. 786
Aristippus philosophus. 527.
Aristobolus Iudæorum rex. 236.
Aristophanes poëta Græcus. 636.
Aristoteles philosophus. 164.
Arnaldus Gerardus Cathalanus. 455.
Arnoldus Flandriæ comes. 721.
Arrius hæresiarcha. 777.

Arrij Apri perfidia. 716.
Arsaces Parthorum rex. 220.
Artaxerxes Longimanus Persarum rex. 450.
Artaxerxes Memnon Persarum rex. 663.
Artaxerxes Persarum rex. 675.
Artauada Armenius eques Rom. 778.
Artemisia Cariæ regina. 555.
Arthemon Periphoretus. 786.
Aruntius & Apuleius proscripti. 541.
Asconius Pædianus. 609.
Asclepiades Prusiensis medicus. 243.627.
Asclepiario mathematicus. 629.
Asdrubal Carthaginensis. 674. 785.
Asina quæ locuta est. 113.
Asphaltis lacus. 115.
Assassini. 12.
Astapacenses. 184.
Astulphus Longobardorum rex 779.
Astyages Medorum rex. 675.
Athalia Hierosolymarum regina. 763.
Athelstani Britannorum regis mater. 73.
Athenodorus philosophus. 530.
Attalus Asiæ rex. 616.
Attila Hunorum rex. 777.
Attilæ Hunorum regis senectus. 642.
Attilij exulis mater. 764.
Atto Episc. Moguntinus & Ludouicus III. Imper. 546.
Athanasius patriarcha Alexandrinus. 586.
Athenienses. 128.140.344.348. 434.573.725.
Athenodorus philosophus. 84.
Auenzoar Albumasar. 78.
Aues admirandæ. 119.
Augustinus Hipponen. episcop. 38. 474.611.637.
Auidius Cassius. 683.
Aunius Valens. 190.
Aulus Vitellius Imp. 46.
Aurelianus Imperator. 4.50.82. 84.150.221.235.430.448.
Aurelianus Carthaginensis episcopus. 578.
Aurel. Imp. 157.
Aurelius Alexander Seuerus Ro. princeps. 3.36.131.149.429. 603 615.
Aurelius Val. Probus. 191.238.
Aurelij Valerij Probi exercitus. 718.
Axiotea Phliasia. 608.
Abbas & Monachi in Ptolemaide. 303.
Abstinentiæ priscæ cum ea quæ recentium temporum est comparatio. 295.
Actius Estensis Ferrariæ dominus. 278.
Adadi Syriæ regis ingratitudo. 357.
Adelbertus Pragensis episcopus. 266.
Admirati Turcarum & Balduini Hierosolymæ regis mutuæ gratitudines. 353.

Aemilius Sybaritanus. 305.
Agricola regni Neapolitani. 309.
Agrippa Iudæorum rex. 330.346.
Albertus Bauariæ dux. 273.
Alexander Seuerus imp. 260. 261.263.
Alexander V. Pont. Max. 325.
Alexander & Mechtildis Scotiæ regis filij. 300.
Alexandrina virgo Aegyptia 303.
Alexius Imp. Constantinopolitan. 366.
Alexij erga Isaac fratrem Imper. Constantinop. ingratitudo. 359.
Alexius Patritius Roman. 299.
Alfonsus Castellæ rex. 276.
Alfonsus Legionensis rex. 276.
Alfonsus secundus Hispan. rex cognomento Castus. 289.337.
Almansor Arabum rex in Hispania. 303.
Almaricus Pannonius. 289.
Amurates Turcarum rex. 267.
Andreas Ord. Minorum. 269.
Annia Romana. 307.
Antiochi equus. 350.
Antonius Aegyptius monachus. 299.
Antonius Validi montis comes. 277.
Apollinaris Alexãdrinus patriarcha. 323.
Aquila & virgo quædam Sestia. 351.
Archebius Aegyptius monachus et heremita. 324.
Arria Romani senatoris coniunx. 308.
Arriani filius. 365.
Artaxerxes primus Persarum rex. 329.345.
Aspidis gratitudo in Aegyptium. 351.
Athenienſium in regem Demetrium ingratitudo. 356.
Auenir & Ioſaphat Indorum reges. 267.
Augustus & Arrius philosophus. 311.
Augustus Cæsar. 262.328.329. 330.401.428.447.471.531. 603.615. 641.752.
Augusti erga Torantium ingratitudo. 358.

B.

Babylonij. 126.573.
Badilus Gallus. 757.
Balbinus & Lepidus. 487.
Balduinus Constantinopolit. Imperator. 577.
Balduinus primus Hierosolymæ rex. 20.198.
Balduini II. Hierosolymarum regis exercitus. 702.
Balduinus tertius Hierosolym. rex. 39.102.171.178.452.
Balthasar Chaldeorum rex. 27.
Bamba Hisp. rex. 54.
Baptista Malatesta docta mulier. 595.
Baptista Mirandulanus. 779.
Barbara virgo Nicomediẽsis. 211.
Barbarius Philippus. 792.
Barbula & Marcus. 486.
Barchochabas Iudæus. 543.
Bardiones Vincentinus. 214.

Barthabaces Cybeles sacerdos. 83.
Bartholinus Sistrus Papiensis. 406.
Basilius ex Abbatis ministro Imperator. 483.
Bela II. cæcus Vngariæ rex. 502.
Bela III. Vngariæ rex. 722.
Belisarij exercitus in vrbe Roma. 756.
Belisarius Constantinopolitanus. 152.158.265.650.746.
Belphech Turca Persarũ rex. 709.
Benedictus Abbas. 76.96.168.
Benedictus III. Pont. Max. 269.
Benedictus IX. Pont. Max. 702.
Brugensis populus. 733.
Bernabos Vicecomes Mediolanensis princeps. 278.711.
Bernardini Curtij preditio. 723.
Bernardus Abbas Clareuallensis. 170.
Bernardus Carpius eques Hispanus. 367.
Bernardonus Vasco Florentinarũ copiarum dux. 153.
Berosus Astronomus. 656.
Bethisacus Gallus. 590.
Bertholdus Zeringiæ dux. 771.
ad Bestias duo damnati. 774.
Bethuliani & Iudith. 554.
Bettus Biffolis Florentinus. 203.
Bilia Duellij Rom. vxor. 286.
Bion Boristhenites philosophus. 784.
Blanca Vicecomes Mediolanensis. dux. 389.
Blandinæ Lugdunensis fœminæ patientia. 393.
Blasius Axaretus Genuensis ciuis. 226.245.
Bochorus Aegypti rex. 41.
Boemundus Normandus. 265.
Boij Galli. 557.
Bombardæ primus vsus. 139.
Bonifacius VII. Pont. Max. 710.
Bonifacius octauus Pontifex. 15. 693.
Bononienses. 738.
Bonosus Imperator. 222.
Brachius dux militaris. 565. 742.770.
Brachmanes philosophi. 630.
Britanni qui Scoti dicuntur. 126.
Britannici quidam populi. 731.
Britius Turonensis episcopus. 586.
Brunechildis Gallorum regina. 765.
Brunechildis Gallorum regina & Iezabel regina Samariæ. 494.
Bubulcus quidam Germanus. 425
Bubulcus quidam ferus. 413.
Budensis populus. 736.
Bulgari. 730.
Buthes Persa. 186.
Bysaltides rex in Thracia. 383.

C.

Cabrias Athenienſis. 526.
Cacanus Bauarorum rex. 546.
Cæcus quidam Agrigentinus. 549
Cæsar Augustus. 145.146.
Cæsar dictator. 44.706.740.
Caiphas Iudæorum pontifex. 37.
C. Iulius Cæsar. 400.412. 602.
C. Martius Coriolanus. 175.

C. Ma-

C.Marius consul. 155.209.247. 375.572.646.
C.Plinius. 605.
C.Rabirius. 584.
Caleuus Romanus & Varro philosophus. 312.
Caligula Imp. 66.157.229 472. 646.668.680.699. 707. 765. 783.
Caligulæ Imp. ingratitudo. 358. 359.
Calir Bassa. 513.
Camma Galata audax mulier. 753.
Cambyses Persarum rex. 28.663. 689.705.
Cambysis Persarum regis exercitus. 573.
Candidati. 21.
Canes Lysimachi regis. 350.
Canis Scaliger. 560.
Canis Iasonis Lycij. 349.
Canis T. Sabini. 349.
Cantor quidam. 636.
Cares & Metrodorus Persæ. 649.
Carinthij. 134.
Carinus Imperator. 230.
Carinus & Galienus Impp. 672.
Carneades Græcus. 604.619.
Carolomannus Franconiæ princeps. 266.
Carolus Caluus Imperator. 236. 385.
Carolus comes Carolois Philippi Burgundiæ ducis filius. 455.
Carolus magnus Gallorum rex. 322.389.
Carolus I. Neapolit. rex & Alardus eques Narbonensis. 559. 560.
Carolus VI. Gallorum rex. 277. 780.
Carolus septimus Gallorum rex. 389.787.
Carolus septimus Delfinus Franciæ. 721.
Carolus octauus Gallorum rex. 394.
Caroli octaui aduētus in Italiā. 61
Carolus rex Nauarrensis. 780.
Carolus Simplex Gallorum rex. 506.
Carolus dux Aurelianensis. 278.
Carolus & Franciscus Guarna. 110.
Carolus vltimus dux Burgundiæ. 686.
Carthaginenses. 5.575.
Casimirus Poloniæ rex. 504.
Cassandra Fidelis Veneta doctæ virgo. 596.
Cassius Cherea tribunus. 376.
Cassius Seuerus Orator. 788.
Castritius Castracanes. 159.432. 500.
Catharina virgo Alexandrina. 212.659.
Cato senior. 160.240.380.531.622
Cato Iunior. 247. 286. 369. 441.
Catthi gens Germanica. 136. (572.
Cecilia Barbadica Veneta. 309.
Celestinus V. Pont. Max. 270.
Celsus tyrannus Imp. creatus. 488.
Celtæ Hispanienses. 343.
Censores Romani. 131.

Censoria nota in Sabaconum. 161.
Censorini exercitus. 718.
Censuræ exemplū præclarū. 160.
Centauri visi. 113.
Centurio quidam Heliogabali. 745.
Cepionis seruus. 469.
Charimo & Era ancillæ Cleopatræ. 469.
Cheopes Aegypti rex. 648.
Childibius Antius. 793.
Chilo philosophus. 528.
Chilo philosophus & Diagoras Rhodius. 775.
Chilonia Spartana Cleōbroti Spartani regis vxor. 463.
Chrysostomus patriarcha Constantinopolitanus. 588.659.
Christiani Catholici veteres. 13. 14.
Christophorus Columbus. 634.
Christus Iesus Saluator. 91.
Chrysippus philosophus. 243.
Cibo qui vixerint. 121.
Cichus Ordelaphus Foroliuiensis. 373.
Cichus Simoneta. 516.
Cinnæ consulis exercitus. 744.
Clara Assisiensis sancta mulier. 659.
Claudius Imperator. 2.33.44. 161.681.542.
Claudius Pulcher. 750.
Cleander. 481.
Cleātes philosophus Stoicus. 606.
Clemēs quartus pōtifex. 97.293.
Cleo Athenienſis. 237. (595.
Cleobulina Lindia mulier docta.
Cleomenes Lacedæmonum rex. 187.331.536.574.
Cleomenis regis Spartani mater. 376.
Cleopatra Aegypti regina. 666.
Clerici Arassenſis & eius sororis facinus. 587.
Clericus Germanus. 94.
Clodoueus Gallorum rex. 39.197.
Clotharius Gallorum rex. 384. 694.
Clotharius secundus Gallorum rex 197.
Clotildis Gallorum regina. 755.
Cocceius Nerua Imp. 332.
Collegium tribunorum. 446.
Cn. Pompeius. 155.166.274. 285.328.411.646.
Cnei Pompeij erga vxorem Antistiam ingratitudo. 357.
Cominius Atrebatenſis. 557.
Comiola fœmina illustris. 360.
Comitis de Foïs in filium immanitas. 387.
Commodus Imperator. 24.49. 229. 648. 670.682. 699. 787.
Conon Athenienſis. 435.
Conradinus Germaniæ rex. 498.
Conradus Imperator. 17.
Constans. III. Imper. 702.
Constantia Galli Cæsaris coniunx. 701.
Constantinus Clarus Imp. 259.
Constantinus Magnus Imp. 7.70. 401.658. 716.
Constantinus militaris tribunus. 691.

Constantinus patriarcha Constantinopolitanus. 252.
Constantinus Pontif. Max. 430.
Constantius Clorus Cæsar. 488.
Constantius Imp. 51.100.158.581.650.
Consuetudo Italica. 137.
Couuersus quidam Ord. Cisterciens. 424.
Corfidius eques Romanus. 90.
Corinna mulier eruditione excellens. 593.
Cornelia Maximilla Vestalis. 584.
Cornelius Balbus Gaditanus. 155.
Cornelius sacerdos. 83.
Cornificia Romana docta mulier. 594.
Corsus Donatus ciuis Florentinus. 510.
Cotherinus qui Sulthani filium se finxit. 794.
Cozagiani Persæ serui. 469.
Critolaus Græcus. 582.
Ctesippus Cabriæ Atheniensis filius 229.
Cunigunda Augusta. 587.
Curina Afer. 98.
Curtius Ruffus Rom. 51.
Cyanes virgo Syracusana. 396.
Cyanippus Thessalus. 305.
Cymon Atheniensis. 320.415.
Cymon & Pericles Athenienses. 276.
Cyneas philosophus. 529.604.619.
Cynnamus Parthorum rex. 450.
Cypselus Corinthius tyrannus. 663.
Cyrus Persarum rex. 176.704.

D.

Damatria Spartana. 382.
Damõ Peripolta Cheroneus & L. Lucullus. 396.
Damophila Græca Pamphili vxor 593.
Daniel propheta. 68.
Darius Persarum rex. 331.
Darius & fratres Artaxerxis Memnonis Persarum regis filij 761.
Darius ciuis Romanus. 388.
Dauid rex Iudeorum. 5.182.220.235.262.287.676.752.388.391.449.539.715.
Dauid latro Aegyptius. 475.
Decebalus Dacarum rex. 190.
Delbora propheta. 657.
Demaratus Corinthius. 416.
Demetrius Antigoni regis Asiæ filius. 312.317.
Demetrius Asiæ rex. 662.
Demetrius Nicator Syriæ rex. 490.
Demetrius & Ptolemæus Aegyptireges. 345
Demetrius Philippi Macedonum regis filius. 583.
Demochares Atheniensis. 416.
Democritus Abderita. 604. eius sectus. 641.
Dercilides Spartanus. 417.
Desiderius Longobardorũ rex. 10.
Deutera Gallorum regina. 385.
Diagoras philosophus. 530.
Diagoras Rhodius & Chilo philosophus. 775.

Didacus Hispanus episcopus Oxonensis. 534.
Didius Iulianus Annonæ præfectus. 585.
Didymus cæcus Alexandrinus. 610.
Dimoetes speciosus adolescens. 398.
Diocletianus Augustus. 36.221. 235.258.285.683.
Diocletianus & Maximinianus Herculeius Impp. 313.
Diodorus cognomento Tryphon. 712.
Diodorus dialecticus. 775.
Diodorus Siculus. 605.
Diogenes Cynicus philosophus. 419 473.527.
Diogenes Stoicus. 263.
Dion Syracusanus. 50.391.
Dionysius senior Syracusanorum tyrannus. 526.775.
Dioscorides medicus. 605.
Domimguellus Hispanus mimus. 559.
Dominicus Catalusius Lesbi princeps. 309.
Domitianus Imperator. 34.47. 66.162.473.707.787.
Domitius Aenobarbus. 234.
Donatus sacerdos Aretinus. 96.
Dromichetes Getarum rex. 331.
Drusus Pompeius. 775.
Dugna Aquileiensis fœmina insignis. 403.
Dunstanus archiepiscopus Cantuarienſis. 426.
Durans Podiensis. 21.
Dyetentus Cappadox. 870.

E.

Ecelinus Romanus Patauij et Veronæ tyrannus. 74.79. 684.
Echeneis piscis. 114.
Edgarus Britanniæ rex. 11.244. 709.
Edilbertus Cătuarienſis in Britannia rex. 532.
Eduardus Britanniæ rex. 97.561.
Edouardus Plantagineta Britanniæ rex. 278.
Egnatia Maximilla Galli vxor. 466.
Eleazarus Iudæus. 441.
Eleazarus frater Iudæ Machabei. 183.185.
Elephantis gratitudo. 351.
Eleutherius patritius Costantinopolitanus. 601.
Eliezer Mosis filius. 229.
Elisabella Aragonia. 519.
Elisabella Britannorum regina. 766.
Elisabella Darca vulgo Pullicella. 73.
Elisabella Flisca. 766.
Elisabetha Andreæ secundi Pannoniæ regis filia. 299.
Elisabeta Germanica Abbatissa docta mulier. 595.
Elizabeth & Maria Vngariæ reginæ. 495.
Elpinice Cymonis soror. 416.
Emanuel secundus Imp. Constantinop. 718.
Empedocles philosophus. 649.

Enarchus. 91.
Engistus & Orsus Angloſaxones. 719.
Enguerra Marignianus & Petrus Brochia. 513.
Enoch & Helias. 521.
Epaminundas Thebanus. 144. 240.282.298.310.554.617.
Epheſij. 783.
Epichari liberta. 210.
Epicletus philoſophus. 605
Epidaurij. 141.
Epiphanius Papienſis epiſcopus. 169.
Equæ vento concipientes. 115.
Eques Caſtulonenſis. 199.
Eques Garſiæ regis Nauarrienſis. 314.
Eques ordinis Hieroſolymitan. 98.
Eques Romanus. 301.419.585.
Eques Romanus in exercitu Ottonis Imp. 189.
Equites duo Hiſpani. 99.
Equites quidam M. Ottonis Imp. 313.
Equites Romani apud Cannas. 743.
Equus Antiochi. 350.
Era & Charimo Cleopatræ ancillæ. 469.
Erchembaldus Brabantus. 108. 405.
Erectæus. 375.
Erixona Cyrenarum regina. 752.
Eruoia Spaleti dux. 758.
Erus Armenius. 91.
Erynna Rhodia. 592.
Eſdras propheta. 604.
Eucratides Bactrianorum regis filius. 760.
Eudemus Cyprius. 70.
Eudoxa Auguſta. 755.
Euerardus Ambula eques Germanus. 94.
Eugenia virgo Romana. 401.
Eugenius quartus pontifex. 18. 60.79.651.
Eugenius tyrannus. 482.785.
Eulalia virgo Hiſpana. 213.
Eumenes Cardianus. 219.553. 437.540.
Eumenes atque Attalus Aſiæ reges. 368.
Eunus Syrus. 543.
Euridice Macedonum regina. 664.
Eurythrius Eunuchus. 482.
Euſebius Vercellenſis epiſcopus. 544.
Euthimus poëta. 655.
Eutropius Eunuchus. 482.
Eutychus Lacedæmonius. 188.
Exercitus Balduini ſecundi Hieroſolymarum regis. 702.
Exercitus Beliſarij in vrbe Roma 756.
Exercitus Cambyſis Perſarum regis. 705.
Exercitus Cenſorini. 718.
Exercitus Ciunæ conſulis. 744.
Exercitus Germanicus Vitellij. 727.
Exercitus Gildonis Africæ comitis 746.

Exerci-

Exercitus L. Posthumij tribuni militaris. 727,
Exercitus Macrini Imp. 727.
Exercitus M. Lepidi Triumuiri. 726.
Exercitus Maximinorum principum. 718.
Exercitus Mithridatis. 725.
Exercitus Romanus. 151.
Exercitus Scipionis. 726.
Exercitus Seueri Cæsaris, 729.
Exercitus Titi Vespasiani. 700. 727.

F.

FAbius cognomento Gurges. 471.
Fabius Senator ac prætor Romanus. 776.
Fabrianensis populus. 770.
Fabricianus. 585.
Fabritius. 242.411.
Farinata Vbertus eques Florentinus. 377.
Fario Aegyptius. 597.
Fauilla Gothus Pelagij regis filius 779.
Federicus Marabottus Genuensis. 568.
Felicianus eques Pannonius. 379.
Felicitas ciuis Romana. 392.
Felix & Pallas Claudij Imp. serui. 480.
Ferdinandus Consaluus Castellæ comes. 197.338.
Ferdinandus Hispaniarū rex. 16.
Ferdinandus rex Aragonius. 452.
Ferdinandus rex Castulonensis. 508.
Ferdinandus Legionis rex. 337.
Feroniæ templum in Soracte. 89.
Filius Iulij Mansueti. 745.
Finbriæ seruus. 468.
Flauius Iulianus Imp. 334.
Flauius Valerius Martianus Imp. 353.
Flauius Valerius Zeno Imp. 377.
Florentini. 98.695.433.
Fœciales. 132.
Fœmina Lacedæmonia. 382.
Fœmina quædam Romana. 70.
Fœmina quædam Esensis. 409.
Fons Iouis in Asia. 89.
Fons apud Gratianopolim. 116.
Foroliuienses. 354.
Francisca Manfreda. 408.
Franciscus Aragonius Minorita. 425.
Franciscus Assisiensis. 660.
Franciscus Carmaniola comes & dux militaris. 226.566.
Franciscus Gonzaga. 409.
Franciscus iunior Carrariensis Patauinus princeps. 499.
Franciscus Marchesius Iureconsultus & Genuensium orator. 625.
Franciscus Paula heremita. 170.
Franciscus Petrarcha. 78.
Franciscus Sforcia Mediolanensis dux. 159.172.567.789.292.
Franciscus Sforciæ filij. 232.
Frãciscus et Carolus Guarna. 110.
Franciouius Andreæ Lampugnani minister. 470.
Fratres duo proscripti mutuo amore illustres. 371.

Frede-

Fredegunda Gallorum regina. 558 747.
Fridericus Aragonius Siciliæ rex. 563.
Fridericus primus imp. 18.
Fridericus secundus Imperator. 385.566.
Friderici II. Imperatoris ingratitudo. 360.
Fridericus I. Imp. & Sforcia Attendulus dux militaris. 779.
Fridericus Gonzaga marchio Mantuæ. 280.
Fridericus Marchio Brandeburgensis 273.
Fridericus Montisferrati comes Vrbini dux. 566.
Fulco Andegauensis comes. 388.
Fulco Hierosolymarum rex. 779.
Fuluij coniugis erga virum suum ingratitudo. 358.
Fulvius Flaccus. 161.
Furius Camillus. 327.

G.

Gabriel Condelmarius. 572.
Gabrinus Fundulus Cremonensis tyrannus. 722.
Gaius & Alexander martyres. 15. 700.
Galba Hispaniæ proconsul. 428.
Galeacius Bardasimus, eques Siculus. 202.
Galeatius Vicecomes 278.
Galenus medicus. 70.
Galeni Pergameni senectus. 642.
Galienus & Carinus Imp. 672.
Gartij Aretini senectus. 643.
Galli. 37.
Galli Boij. 557.
Galli quidam. 685.
Galli & eorum dux Brennus. 689
Gallorum reges. 24.
Gallorum consuetudo circa matrimonia. 126.
Gallorum pastorum seditio ab Aegyptio Mago excitata 733. 734.
Gallo Græci. 186.
Gamalis pirata Turcus. 570.
Garsias Alfonsi III. Legionensis regis filius. 769.
Garsias Nauarræ rex. 277.
Garsias Sanctij Auarcæ filius. 769.
Gedeon Israëlis iudex. 181. 776.
Gemes Ottomanus. 445.
Geminius ciuis Romanus. 412.
Gemmæ naturaliter sculptæ. 117.
Genarius Episcopus Beneuentanus 108.
Genis Scotiæ rex. 673.
Gennadius Carthaginensis medicus 71.
Genserícus Vandalorum rex. 717.
Genuæ prodigium. 59.
Genuenses. 152.153.294.354. 462. 463.
Genuenses & Pisani. 244.
Genuenses contra Pisanos. 697.
Georgius Cella Nouariensis. 216.
Georgius Despotus Seruiæ. 443.
Georgius Plantagineta Clarentiæ dux. 782.
Gerardus episcopus Zaladiensis. 426.

Gerardus & Medardus fratres gemini. 111.
Germanicus Cæsar. 257.
Germanus Augur. 629.
Gevontius monachus. 79.
Gersa Mosis filius. 229.
Germani. 127.134.
Gesualdus Longobardus. 251.
Geta septimij Seueri Augusti filius. 34.
Giachetus Geneua Salucianus. 782.
Gigantes. 111.
Gildonis Africæ comitis exercicius. 746.
Gilippus Lacedæmoniorum rex. 551.
Ginus Taccij ciuis Senensis. 758.
Gisberti Corregiensis vxor. 466.
Glasira Archelai Tetrarchæ coniux 69.
Gordianus senior Imp. 381.
Gotifredus Bolionius Lotharingiæ dux. 198.304.579.
Gratianus Imperat.
Gregorius sextus Pont.Max.246.
Gregorius septimus Pontifex. 14. 431.253.
Gregorius Nonus Pontifex. 14. 624.
Gregorius XI. Pontifex Maxim. 423.
Georgius Neocæsariensis episcopus. 591.
Gregorius Romanus Patritius. 546.
Grimoaldus Longobardorum rex. 177.558.777.
Gualterius comes Brenensis. 692.
Gualterus Tirellus Britannus. 747.
Guido Asianus Florentinus. 203.
Guido Bonatus Astronomus. 633.
Guido Flandriæ comes. 23.
Guido comes Montisferrati. 562.
Guido Montisfortis. 757
Gulielmus Brissonettus Cardinalis. 484.
Gulielmus Condissaluus Galliciæ comes. 199.
Gulielmus episcopus Aretinus. 199.
Gulielmus Giennæ dux comes Pictonensis. 475.
Gulielmus Normanniæ dux. 244 430.
Gulielmus III. Neapolis & Siciliæ rex. 498.
Guntramus Burgundionum rex. 451.
Gymnosophistæ. 630.

H.

Hanno Carthaginensis. 552.
Hebrei. 128.
Hebrei veteres Zelotypi. 127.
Hebræorum erga Mosen ingratitudo. 357.
Heli Iudæorum Pontifex. 775.
Helias. 86.
Helias & Enoch. 521.
Heliodorus Britannorũ rex. 372.
Heliogabalus Imp. 670.682.707
Heliseus. 86.
Helius Adrianus Imp. 34.
Helius Sophista. 603.
Helmiges eques Lõgobardus. 754.

Henricus rex Hiſpaniæ. 696.
Henricus primus imper. 289.
Henricus Imperator Henrici ſecundi filius. 231.
Henricus IIII. imper. 721.
Henricus Henrici IIII. Imp. filius. 767.
Henricus quartus & Richardus II. Angliæ reges. 504.
Henricus VI. Britanniæ rex. 505.
Henricus Pomeraniæ dux. 508.
Henricus Nothus rex Caſtulonenſis. 497.
Heraclianus. 601.
Heraclitus Epheſius philoſop. 775.
Heraclius Imp. 8.101.198.
Herbæ admirandarum virtutum. 118.
Hero M. Antonij Triumuiri ſeruus. 467.
Hero & Ptolemæus heremitæ Aegyptij. 475.
Hercules dux Ferrariæ. 280.
Hermias Eunuchus. 481.
Hermotinus Clazomenius. 91.
Herodes primus Iudæorum rex. 176.
Herodes Antipas Iudeorum rex. 384.677.
Herodias Herodis Tetrarchæ vxor 465.
Herophilus Cleophantes medicus. 627.
Heruli. 127.
Hiero Syracuſanus. 401.
Hieronis Syracuſani coniunx. 286.
Hieronymus Riarius Imolæ ac Foroliuij comes. 485.
Hieronymus Olgiatus Mediolanenſis. 216.652.
Hieronymus Stridonenſis. 534. 611.
Hieronymus Pragenſis. 214.
Hieroſolymarum vrbs. 43.
Hieroſolymorum clades præſignificata. 37.
Hilario Palæſtinus. 207.299. 586.
Hilarius Pont. Max. 638.
Hildebrandus Rom. Pont. qui poſtea Gregorius VII. 444.589.
Hipparchia Maronea. 609.
Hippocrates medicus. 627.
Hirprandus Longobardorũ rex. 39.
Hiſpani Toletani erga parentem pietas. 367.
Homines capite carentes. 114.
Hominum ſimulachra in aere conſpecta. 58.
Homulius ciuis & ſenator Romanus. 414.531.
Homulus iuriſconſultus regni Neapolitani. 393.
Honoricus Vandalorum rex. 31.
Hor abbas Aegyptius. 94.
Horatius Flaccus poëta. 218.
Hormiſda Perſa. 532.
Hoſtia Chriſti inuiolata. 108.
Hugo Cæſariẽſis eques Gallus. 443
Hugutio Fagiola Piſarum & Lucæ princeps. 338.
Hircanus Iudæorum princeps. 68. 83.489.658.
Hircani Iudæorum principis mater. 207.
Hyrus dux militaris Gallus. 426.

Iachens.

I.

Iacheus Cordes Bituricenſis. 485.
Iacob patriarcha. 68.
Iacobus Buſſularius ord. heremitarum S. Auguſtini. 22.
Iacobus Iuſtus Redemptoris Chriſti frater. 250.264.654.
Iacobus Fuſcarus patritius Venetus. 598.
Iacobus Luſignanus Cypri rex. 503.
Iacobus Tepolus patritius Venetus 271.
Iacobus Triultius Galliæ Mareſcallus. 477.
Iaddus Iudæorum pontifex. 69.
Iannes & Mambres magi Aegyptij. 630.
Ianuarius ſacerdos. 578.
Ianus Auria Genuenſium dux. 200.
Iaſonis Lycij canis. 350.
Iazates Adiabenorum rex. 51.335. 371
Ida Boloniæ comes. 39.
Iepte Iudex Iſraël. 5.
Ieſu Chriſti dies Natalitius. 41.
Iezabel regina Samariæ & Brunichilda Gallorum regina. 494.
Iginus imperator. 189.
Ignatius patriarcha Conſtantinopolitanus. 252.
Ildegunda virgo Germanica. 292.
Imbertus Delphinus Viennenſis. 268.
Indus quidam. 649.
Innocentius I. Pontifex. 431.
Innocentius tertius Pontifex. 14. 15.
Innocentius quartus. 14.
Innocentius ſeptimus Pont. Max. 601.617.
Ioanna virgo Gallica. 192.
Ioannes imperat. Conſtantinopolit. 18.
Ioannes primus Gallorum rex. 23.
Ioannes Gallorum rex & Eduardus VValenſis princeps. 507.
Ioannes decimus Bohemorum rex. 197.
Ioannes Armeniæ rex. 267.
Ioannes ſeptimus qui fœmina inuentus eſt Pont. Max. 545.
Ioannes XIII. Pont. Max. 509.
Ioannes vigeſimus ſecundus Pont. Max. 227.
Ioannes vigeſimus quartus Pont. Max. 247.509.
Ioannes Aegyptius monachus. 76. 96.
Ioannes Altauilla. 304.
Ioannes Andreas Lampugnanus. 692.
Ioannes Antonius Campanus. 228.
Ioannis Arminiaci comitis effrenata libido. 672.
Ioannes Baduerius Venetiarũ dux. 272.
Ioannes Balua ex caligarij filio Cardinalis. 483.
Ioannes Baptiſta. 654.
Ioannes Bonetus Veronenſis. 214.
Ioannes Capocius Romanus. 422.

Ioan-

Ioannes Capistranus Ord. Minorum. 651.
Ioannes Chrysostomus patriarcha Constantinopolitanus. 558. 659.
Ioannes comes Cunij. 545.
Ioannes Euangelista. 222.616.
Ioannes Fernandus cæcus natus vir omni doctrinarum genere præcellens. 610.
Ioannes Fulgosius. 569.
Ioannes Germanus comes Sonnebergensis. 204.
Ioannes Gualbertus eques Florentinus. 274.
Ioannes Guttenbergius Germanus Argentinensis. 634.
Ioannes Huniades. 31.
Ioannes Hus. 214.
Ioannes Iuuenalis Vrsinus præpositus Parisiensis. 589.
Ioannes Malatesta. 404.
Ioannes Philippus Fliscus. 280.
Ioannes Picus Concordiæ comes. 613.
Ioannes Rata Casertæ comes. 404
Ioannes Vicecomes Ioannis Galeatij ducis filius. 232.
Ioannes Vicentinus ord. Prædicatorum. 22.
Ioannes Vitellius Cardinalis & Patriarcha. 510.
Ioannis Tampes equitis Galli miranda senectus. 643.
Ioannes Zisca Bohemus. 195. 245.
Ioanninus Carazolus Neapolitanus. 515.
Ioiadas Pontifex Iudæorum. 640
Ionas Hebræus. 371.
Ionathas Saulis filius. 36.312.
Ioram Hierosolymorum rex. 26.
Iosaphat & Auenir Indorum reges. 267.
Ioseph Patriarcha. 68.285.
Iosuæ & Caleph Iudæi. 655.
Iphicrates Atheniensis. 219.
Isidorus Cynicus philosophus. 413.
Isotta Nouarula Veronensis virgo docta. 596.
Israëliticus populus. 599.
Ithaphernis Persæ vxor. 370.
Iudei. 6.43 82.125.136.141.142 677.729.
Iudei ex Babylone reuersi. 7.
Iudæi Zelotæ. 208.
Iudæorum fames & necessitas. 574.
Iudæus Iotapatemis. 208.
Iudas Essæus. 627.
Iudas Machabæus. 63.82.183.
Iudith & Bethuliani. 555.
Iulianus Apostata Imp. 29.
Iulianus Gothus comes Septensis. 403.
Iulianus secundus Imp. 38.
Iunipertus Ariperti filius Longobardorum rex. 336.
Iustinianus primus Imp. 336.
Iustiniani Imp. erga Belisarium ingratitudo. 359.
Iustinianus secundus imp. 492.
Iustinus ex subulco imper. 483.
Iustus Patritius Romanus. 72.
Iuuenes duo Antiocheni. 213.
Iuuenis quidam Aegyptius. 288.

Iuuenis quidam Hispanus. 426.

L.

Laberius eques Romanus. 418.
Lacedæmonia fœmina. 382.
Lacedæmonius Adolescens. 209.
Lacedæmonius quidam. 241. 524.
Lacedæmonij. 126. 140. 427. 436.
Læna meretrix. 210.
Lambas Auria Genuensis. 338. 393.
Lamech ob senium error. 745.
Lamusius Longobardorum rex. 223.
Laodice regina Cappadociæ. 763. 765.
Lapides naturaliter sculpti. 117.
Largius ciuis Romanus. 347.
Lastenia Mantinea docta mulier. 608.
Latro Arabs. 185.
Laurentius Ridolphus Florentinus 625.
Leo I. Pont. Max. 620.
Leo quartus Pont. Max. 432. 650.
Leo IX. Pont. Max. 269.
Leo quartus Constantinop. Imp. 30.
Leodiensium prodigium. 58.
Leonardus Riuerus. 41.
Leongildus Gothorum rex in Hispania. 384.
Leongildus Hispaniarum rex. 236
Leonidæ erga Agidē ingratitudo. 355.
Leonis erga Androdum gratitudo. (352
Leontium adolescentula Græca doctrina insignis. 593.
Leontius patriarcha Antiochenus 572.
Lepidus & Balbinus. 487.
Leprosi quidam prouinciæ Narbonenses. 771.
Leptitani. 126.
Leui & Simeon fratres. 397.
Licinius Crassus Ro. Consul. 146.
Licinius Galienus Imp. 230.
Licinius Mutianus. 276.
Ligarij fratres. 371.
Ligarij Romani coniunx. 306.
Ligures. 576.
Lituani. 127.
Liuia Augusti vxor. 464.
Locrenses. 82.
Londinensis populus. 731.
Loth vxor. 88.
Lotharius Gallorum rex & Sergius III. Pont. Max. 694.
Lothus Pisanus. 279.
Lucanus poëta. 647. 785.
Luchinus Vualdus Genuensis. 290.
Ruceiæ Mimæ senectus. 640.
L. Tertulla Ariminensis. 640.
Lucianus Auria ciuis Genuensis. 325.
Lucianus sacerdos. 75.
Lucilius & Brutus ciues Romani. 310.
Lucillæ superbia. 708.
Lucius Antonius consul. 575.
L. Cossitius Tisdritanus. 85.
Lucius Terentinus Bononiensis. 640.

Lucius Fuluius. 653.
L. Glaucus. 180.
L. Lucullus. 32.63.369.665.
L. Lucullus & Damon Peripolta Cheroneus. 396.
L. Murena. 261.
L. Pisonis seruus. 467
L. Cornelius Sylla dicator. 42.63. 178.240.257.439.600.646 705.
L. Verus Imperator. 672.
Ludouicus pius Gallorum rex & Imp. 389.
Ludouicus Gallorum rex. 15.
Ludouicus III. Imp. & Atto episcopus Moguntinus. 546.
Ludouicus VI. Gallorum rex. 17.
Ludouicus septimus Gallorum rex. 17.
Ludouicus octauus Gallorum rex. 17.
Lud. X. Gallorum rex. 787.
Ludouicus XI. Gallorum rex. 236. 278.579.617.741.
Ludouicus XII. Gallorũ rex. 274.
Ludouicus Alodesius Imolæ Dominus. 52.
Ludouicus Caroli secundi Neapolitani regis filius. 21.
Ludouicus Bossoni filius Burgundiæ rex. 720.
Ludouicus comes Flandriæ. 506.
Ludouicus Normandiæ Seneschallus. 404.
Ludouicus Ludouici Bauariæ ducis filius. 767.
Ludouicus Sfortia Mediolanensis dux. 517.
Ludouicus Arcimboldus Mediolanensis. 580.
Ludouicus Cortesius. 580.
Ludouicus ex chirurgo Cardinalis & Patriarcha. 484.
Ludouicus Gonzaga Mantuæ princeps. 278.
Ludouicus Patauinus Cardinalis & Patriarcha. 579.
Ludouicus Thuringiæ Lantgrauius. 265.
Luiba Gothorum rex. 372.
Luithprandus Longobardorum rex. 9.
Lycophron Periandri Corinthij tyranni filius. 363.
Lycurgus Lacedæmonius. 374.
Lydiades Megalopolitanus. 259.
Lysander Lacedæmonius. 298. 645.706.713.
Lysimachus Macedonum rex 191.
Lysimachi regis comes. 350.
Lysippus pictor insignis. 632.635. 637.

M.

Machalæi fratres septẽ. 207.
Machabæi & eorum socij Iudæi. 6.
Macharidis Bosphori regis in Mithridatẽ patrẽ ingratitudo. 355
Macharius Aegyptius. 96.
Machumetes sceleratæ legis author 222.543.
Mahumetes Ottomanus Turcarũ rex. 616.674.684.
Mahumetes Auelanaginarus Arabs. 483.
Macrinus Imp. 148.682.716.

Macrini Imperat. exercitus. 727.
Mænander poëta comicus. 243.
Magi Italici. 632.
Magistona Elienſis fœmina. 248.
Maloriges et Verritus legati Phriſij. 242.
Malpaga ſagittarius. 80.
Mambres & Iannes magi Aegyptij. 630.
Manaſſes Hieroſolymorum rex. 26.676.
Manfredus Friderici II. Imp. filius 768.
Manlius Capitolinus. 179.621.
Marcellinus Anconitanus epiſcopus. 246.
Marcellinus Pontifex Rom. 12.
Martius Coriolanus. 571.
Marcius Sabinus. 687.
M. Antonius Taurellus Guaſtallæ comes. 81.
M. Antonius conſul & Triumuir. 156.234.622.666.
M. Aquilius repetundarum accuſatus. 583.
M. Attilius Regulus. 166.
M. Aurelius Antoninus Baſſianus Heliogabalus. 25.
M. Aurelius Baſſianus Caracalla. 149.
M. Aurelius Carus Imp. 776.
M. Aurelius Claudius Flauius Imperator. 176.331.
Marcus & Barbula. 486.
M. Bibulus Conſul Romanus. 390
M. Blodius Pupienus. 3.
M. Brutus. 50.376.
M. Celius Balbinus. 3.
M. Craſſus. 28.32.33.274.390.
Marcus Guterius Hiſpanus. 459.
M. Iulius Licinius Imp. 222.
M. Iulius Philippus Imp. 10.
M. Iulij Philippi proditio. 715.
M. Libertus Plinij Iunioris. 66.
M. Otto Imp. 42.591.
M. Pompilius Cenſor. 166.
M. Scaurus L. Syllæ gener & priuignus. 664.
M. Sergius. 179.
M. Tullius Cicero. 65.619.646.
M. Valerius Leuinus, 298.
M. Valerius & M. Horatius Conſules. 154.
M. Vlpius Traianus Imp. & Surra. 313.
Mares Chalcedonenſis epiſcopus. 420.
Margareta Hollandiæ comes. 111.
Margarita regina Dacorum Norwegiæ & Sueciæ. 195.
Margarita Tridentina. 215.
Maria Aegyptia. 94.96.474.
Mariæ & Elizabeth Vngariæ reginæ. 495.
Maria Puteolana virgo fortiſſima. 193.
Mariæ mulieris Iudææ fames & neceſsitas. 574.
Marius Antherius Oorator. 624.
Martia Varronis filia. 401.
Martialis eques Romanus. 752.
Martianus Imperator. 71.
Martianus tyrannus Imper. 480.
Martinus primus Pontifex Max. 251.
Martinus V. Pont. Max. 660.

Martinus Turonenſis Epiſcop. 53. 96.323.421.
Marulla Mytilenenſis fœmina inſignis. 195.
Marzuccus eques Piſanus. 393.
Maſelcerus Aphricæ comes. 8.71. 600.
Maſſilienſes. 318.
Maſſiniſſa Numidarum rex & Scipino. 276.
Mater Antiſtiæ vxoris Cn. Pompeij. 380.
Mater Cleomenis regis Spartani. 376.
Mater Pauſaniæ. 381.
Mathematicus quidam. 637.
Matronæ cuiuſdam Adrumetinæ ſeruti. 468.
Matthæus Vicecomes Mediolanen. 52.533.
Matthias Coruinus Vngariæ rex. 434.
Mathon Carthaginenſis. 383.
Mathilda comes fœmina inſignis. 20.
Maugotus Maubertus eques Gallus. 778.
Mauritius ex notario imperat. 72. 483.
Mauritius Cappadox imp. 52.
Mauritius Pariſienſis epiſcopus. 41.
Maurus quidam Bæticæ incola. 378.
Maximianus Herculeius. 488.
Maximini imperatores. 35.49.
Maximinianus Herculeius et Dioletianus impp. 213.
Maximinus imperator. 448.480. 682.
Maximinus pater. 151.190.
Maximinorum principum exercitus. 718.
Maximus Pupienus imper. 222.
Mechtildis & Alexander Scotiæ regis filij. 301.
Medardus & Gerardus fratres gemini. 111.
Mediolanenſis quidam ciuis. 75.
Medulina virgo Romana. 397.
Melches Chelchemel Sulthanus Aegypti. 563.
Melechnaſar Sulthanus Aegypti. 504.
Menedemus Athenienſis philoſophus. 218.
Menenij ſeruus. 466.
Mercurius Triſmegiſtus. 637.
Meſa Varia ſub Heliogabalo imperium adminiſtrauit. 657.
Meſſalina Claudij Cæſ. coniunx. 667.
Metellus pater ac filius. 365.
Metopoſcopus quidam. 629.
Metrodorus & Cares Perſæ. 649.
Michaël Attendulus Venetorum dux militaris. 638.
Michael imperator Conſtantinopolitanus. 303.768.
Michael Palæologus imp. Conſtantinopol. 719.
Miciti Anaxilai ſeruus. 468.
Milites Prætoriani. 672. 744.
Mimi dictum mordax. 414.
Miniſter Andreæ Lapugnani. 470

Minister Sauli Iudæorum regis. 312.
Miraculum. 89.
Misa Moabitarum rex. 784.
Misonianus Hebræus. 532.
Mithridates Ponti rex. 334.382. 449.524.739.751.761.
Mithridates & Demetrius Antigoni regis Asiæ filius. 312.
Mithridatis exercitus. 725.
Mnesteus Aureliani Imp. libertus 541.
Mæcenas. 85.
Moyses Aegyptiorum dux. 86.536 655.
Moyses & Aaron fratres. 773.
Moisis & Aaron senectus. 639.
Moises Aegyptius heremita. 168.
Moyses Latro Aethiops. 475.
Monica D. Augustini mater. 80.
Monima Milesia fœmina insignis. 285.
Moseydes Tartarorum rex. 506.
Monstra & prodigia diuersa. 43.
Montis, accolæ mōtis Silicei in Patauino agro facinus. 691.
Montisfortis comes fœmina egregia. 194.
Mors C. Fabij. 750.
Mortui ad vitam suscitati. 90.
Mulier Spartana. 391 392.
Mulieres Bohemæ duo. 215.
Mullus Cropellus dux militaris. 748.
Mutius latro Aegyptius. 475.

N.

Naa Ammonitarū rex. 677
Nabuchodonosor Chaldeorū rex. 26.
Nadab sacerdos. 26.
Nævius pœta. 242
Narcissus Hierosolymorum episcopus. 588.
Narcisci Hierosolymarum episcopi senectus. 641.
Narces Eunuchus. 481.
Natalis martyr & confessor. 71.
Natellus Cenæ Commarchio. 591.
Nauticorum virorū apud Genuenses seditio. 736.
Nealce pictor. 655.
Neapolitani. 319.
Nero Imperator. 24.33.45.66. 158.472.575.600.647.668. 681.762.
Neruæ Cocceius Imp. 321.448.
Nicasius VVerdanus Corcus iurisconsultus. 610
Nicaula Aegypti atque Aethiopiæ regina. 607.
Nicias Engionenſis. 539.
Nicolaus I. Pont. Max. 269.431.
Nicolaus secundus Pont. Max. 277
Nicolaus Quintus Pontif. 40.79. 228.661.
Nicolaus Estensis Marchio Ferrariensis. 404.
Nicolaus Picininus dux militaris. 226.548.685.
Nicomedes Bithyniæ rex. 753.
Noradinus Damascenus Sultanus. 231.
Nucerinæ arcis præfectus. 406.
Numa Pompilius Romanus rex. 166.
Nymphidius Sabinus. 792.

Obed propheta. 620.
Obertus Spinola. 279.
Ochozias Samariæ rex. 25.
Octauia M. Antonij vxor. 465.
Octauius Augusti pater. 65.
Octauius Consul. 180.301
Olitoris Aegyptij vxor. 656.
Olimerius Dama Tonsor Lud. XI. Gallorum regis. 514.
Olympia Alexand. Mag. mater. 302.
Olympius Arrianus episcopus. 100.
Onias Iudæus. 249.
Opicinus Cacia Notarienſis. 54.
Opicius Laudenſis qui Vergusius dicebatur. 407.
Opij ciuis Romani filius. 364.
Opilius Macrinus Imp. 480.
Origenes Adamantius. 177.287. 611.638.
Orieta Auria Genuenſis inſignis fœmina. 195.
Orſus & Engiſtus Anglo ſaxones 719.
Othanes Perſa. 256.
Otto Imperator. 189.
Otho Sylvius Imp. 473.
Otho ſecundus Imp. 496.
Otho quartus Imp. 410.
Otho Antonius Montisferetri comes. 684.
Ozæ facinus. 26.
Ozeas Samariæ rex. 26.
Ozias Hieroſolymorum rex. 26.
Ouidius Naſo pœta. 243.

P.

Pachita Athenienſis. 739.
Pacomius Abbas. 642.
Pacunius Calanius. 549.
Paganus Auria. 200.
Pallas Claudij Cæſaris libertus. 708.
Pallas & Felix ſerui Claudij Cæſaris. 480.
Palladis templum apud Cyzicum. 89.
Pambus monachus. 292.
Pandoeri Perſæ coniunx. 308.
Pan Dulfellus Alopus. 279.
Panthea vxor Abradatæ. 305.
Panthei Lacedæmonij vxor. 302.
Pantheæ Lacedæmonij vxor. 464.
Pantheræ gratitudo. 351.
Panthites Lacedæmonius. 302.
Papyrius prætextatus. 535.
Papyrius Volucer. 397.
Pariſiorum populi ſeditio. 734.
Parrhaſius pictor. 632.
Parthi. 142.
Paſtor quidam ſuſcitatus. 93.
Patauinorum ſerui. 466.
Pater patratus. 132.
Paternus Scottus monachus. 254.
Patrobilus Neronis libertus. 751.
Paula Cornelia. 609.
Paulina Senecæ coniunx. 306.
Paulinus Nolanus. 97.169.
Paulus Aemilius. 146.
Paulus Aemilius Conſul. 411.
Pauli primi heremitæ ſexectus. 641.
Paulus ſecundus Pontif. 40.
Paulus Apoſtolus. 586.
Paulus Florentinus Geometra. 639.
Paulus Fulgoſius Cardinalis. 723.

Paulus Græcus Hiſpaniæ tyrannus. 30.
Paulus Guinisius. 511.
Paulus Riarius Sauonenſis, 40.
Pauſanias Lacedæmoniorum dux 743.
Pauſaniæ Lacedæmoniorum regis ſuperbia. 706.
Pauſanias Macedonicus. 396.
Pauſaniæ mater. 381.
Pelagia Mima Antiochena. 475.
Pelopidas Thebanus. 165.310. 420.
Pericles Athenienſis. 335.600.
Pericles & Cymon Athenienſes. 276.
Perpenna Romanus. 785.
Perſæ Magusæi. 663.
Perſarum mores. 142.143.
Perſeus Macedoniæ rex. 490.698.
Pertharites Longobardorum rex. 54.
Pertinax Imp. 49.221.324.
Peſcennius Niger. 148.
Peſcennius Niger Galliæ Gubernator. 430.
Peſtilentiæ arca. 87.
Petitius ciuis Romanus. 63.
Petrus I. Caſtulonenſis rex. 703.
Petrus Caſtulonenſis rex & Henricus eius frater. 497.
Petrus Vngariæ rex. 501.
Petrus Apoſtolus. 222.
Petrus Brochia & Enguerra Marignianus. 513.
Petrus Cădianus Venetorum dux. 769.
Petrus comes Aleres. 458.
Petrus Damianus. 269.
Petrus Daubuſſon Rhodiorũ equitum princeps. 204.
Petrus Diocletiani Auguſti cubicularius. 213.
Petrus Fulgoſius Genuenſiũ dux. 201.279.569.
Petrus Landoes Britonici ducatus quæſtor. 513.
Petrus Moronus heremita. 169.
Petrus Papienſis archiepiſcopus Florentinus. 589.
Petrus Riarius Cardinalis. 484. 673.
Petrus Roſeus Venetorum dux militaris. 564.
Petrus ſacerdos. 75.
Petrus Sermonetanus Minorita. 772.
Petrus Temacoldus. 407.
Petrus Vinea Campanus. 512.
Petrus Vrſeolus Venetorum dux. 272.
Pharao Aegyptiorum rex. 68.
Pharnaces rex Parthiæ. 369.
Phedon Eleus philoſophus. 606.
Phæreus Iaſon. 85.
Phæſelus Iudæus. 774.
Phila Demetrij regis coniunx. 306.
Philippa Catinenſis mulier. 514.
Philippicus Imp. Conſtantinop. 30
Philippus Deodatus Gallorum rex 18.19.
Philippus Balearũ regis filius. 298
Philippus Burgundiæ dux. 278.
Philippus Macedonum rex. 329. 345.428.523.

Philippus dux Mediolanensis. 280 342.362.
Philippus Gallorum rex Ludouici Grosi filius. 779.
Philippus pulcher Gallorum rex. 405.
Philippus Apostolus. 84.
Philodes Atheniensis. 420.
Philomelus Onomarchus. 28.
Philopœmenes Megalopolitanus. 163.181.282.
Phocion Atheniensis. 164.283.
Phraates Herodis Parthorum regis filius. 760.
Picens quidam Fabriani accola. 673.
Pilatus Iudææ Præses. 37.
Pipinus Gallorum rex. 322.
Pirata Cathalanus. 99.
Pisani. 152.
Piscatoris vxor. 307.
Pisistratus Atheniensium tyrannus. 146.526.334.
Pithomena virgo Alexandrina. 402,
Pittacus Mitylenæus. 263.
Pius secundus Pont. Max. 40.534
Plato philosophus. 163.418.528. 529
Plateensis populus. 317.343.
Plautius Lateranus. 248.
Plautus poëta comicus. 606.
Plauiæ Prodigiosæ. 43.
Poëta quidam Græcus. 418.
Polycrita Naxia. 775.
Polypus immensus. 123.
Pomponia Galla. 580.
Pomponius Atticus patritius Romanus. 320.
Pomponius eques Romanus. 248.
Pontificum veterum electio. 129.
Poppea Sabina Neronis coniunx. 669.
Populus Israëliticus. 599.
Populus Romanus. 82.251.300. 447.461.688.693.744.
Porsenna Hetruscorum rex. 320.
Posthumius Augur. 628.
Præneſtinus quidam. 375.
Præfectus arcis Nucerinæ. 406.
Præſantij somnium. 76.
Prætoriani milites in Galbam imperat. 727.
Prætoriani milites. 672.744.
Prexaspes Persa. 249.
Primislaus tertius Bohemorũ rex. 223.
Proba Romana docta mulier. 594
Probus Imperator. 442.
Prodigia & monstra diuersa. 43.
Prodigia bellum ac schisma significantia. 55.57.
Prodigia pestem nũciantia. 55.56
Prodigia quæ aduentum Longobardorum præcesserunt. 55.
Prodigia quæ apparuerunt in fine stirpis Cæsarum. 45.
Prodigia quæ bellum sociale cum Romanis præcesserunt. 42.
Prodigia quæ desinente Caroli magni stirpe apparuerunt. 57.
Prodigium Genuæ calamitatem monstrans. 59.
Prodigium in Caroli octaui aduẽtu in Italiam. 61.
Prodigiũ ingentis admirationis. 57

Prodigium Leodiensium. 58.
Prodigium magnum. 55.56.
Prodigium Venetæ classis. 58.
Prompalus Syriæ rex. 789.
Protogenes pictor. 606.633.634.
Prouincianus Syluanus ciuis Senensis. 561.
Ptolemæus Macedoniæ rex. 713.
Ptolemæus Philadelphus Aegypti rex. 316.
Ptolemæus Philopater Aegypti rex. 760.
Ptolemæus primus Aegypti rex. 381.
Ptolemæus Syriæ & Aegypti rex 220.
Ptolemæus & Hero heremitæ. 475.
Ptolemæi Ceraunni erga Seleucum Nicanorem Asiæ & Assiriæ regem ingratitudo. 355.
Publicola Consul & Senatus Romanus. 457.
P. Annius Tacitus Imp. 36.50.
Publius Catienus Philotinus. 313.
P. Cornelius Rufus. 65.
P. Corn. Scipionis cognomento maioris serui. 469.
P. Curius Philo. 160.
P. Furius. 188.
P. Helius Pertinax Imp. 34.
P. Licinius consul. 438.
P. Octauius & Apicius Romanus. 664.
P. Rutilius. 370 376.
P. Scipio Nasica. 160.
P. Sulpitius equitū tribunus. 146.
Puer mirę in cursu celeritatis. 85.
Pueri duo serui sibi persimiles. 788
Pulicella Franciæ. 73.
Pupienus Imp. 623.
Pyrrhus Epirotarum rex. 88.164. 180.181.525.653.
Pythagoras philosophus. 219.
Pythius Lydus. 319.

Q.

Quintilia Mima. 210.
Quintius Cæso. 583.
Qu. Catulus. 65.
Qu. Chælius Consul. 256.
Qu. Flaminius Consul. 410
Qu. Sertorius. 427.440.543. 555.739.

R.

Radagasius Gothorum rex. 498.
Raimundus Assa Græcus. 407.
Rainaldus Castilionensis Antiochiæ princeps. 711.
Rainbaldus & Altinerius Tarui sini. 547.
Ramirus Aragoniæ rex. 19.
Ramirus primus Hispan. rex. 371.
Raphael Adaruus Genuensiū dux. 272.
Ratoldus Frisonum dux. 770.
Rauennates. 757.
Reges Ethiopum. 6.
Reginaldus Germanus. 785.
Remora piscis. 114.
Renatus Barri & Lotharingiæ dux. 23.342.277.
Renatus rex Neapolitanus. 748.
Reparatus Romanus. 92.
Rhadamistus Hiberiæ regis filius. 713.

Rhodope meretrix. 648.
Richardus Britanniæ rex. 18. 277. 322. 323.
Richardus II. & Henricus IIII. Angliæ reges. 504.
Richardi cuiusdam admiranda senectus. 643.
Richimeres patritius. 717.
Ricius miles Hispanus. 547.
Robertus episcopus Atrebatensis. 483.
Robertus Guiscardus Apuliæ dux. 277.
Roboam Iudæorum rex. 706.
Rodericus Gothus Hisp. rex. 104.
Rodericus Gutherius comes. 545.
Rodericus Viuarius cognomento Cid. Hispanus eques. 336.
Rodulphus Imp. 445. 702.
Rodolphus Licienſis concionator insignis. 626.
Rogerius Vbaldinus archiepiscopus Pisanus. 686.
Rolandi Petri Siciliæ regis fratres ingratitudo. 360.
Rollo Normandus. 442.
Romani. 128. 131. 132. 133. 134. 142.
Romani Consules. 127.
Romani duo equites. 584
Romani & Titula serua. 554.
Romani in Leonem III. & Gelasium II. Pontifices. 737. 738.
Romanus Constantinopoli. Imp. 491.
Rosimunda Longobardorum regina. 366.
Rosuida Saxo docta mulier. 595.
Rothomagensium seditio. 734.
Rubrius Flauius & Sulpitius Asper tribuni militares. 412.
Rudolphus Gonzaga. 409.
Ruscus Cepio. 578.

S.

Sabbaticus Flauius. 115.
Sabina Romana. 579.
Sabinus Romanus eques. 189.
Sabinus & Syluanus Ctesiphontini. 422.
Sacerdos quidam Gallus. 772.
Sacerdotum veterum in vestitu modestia. 129.
Saladinus Sulthanus Aegypti. 340. 434. 553. 740.
Sallustius Palatij præfectus. 258.
Salomon Iudæorum rex. 542. 663.
Samæus Pharisæus. 417.
Samaritani. 573.
Samuel propheta. 176.
Samuelis prophetæ filij. 231.
Samullæ senectus. 641.
Sanctius II. Castulonensis rex. 497.
Sanctius tertius Castulonensis rex cognomento desideratus. 451.
Sanctius quartus Castulonẽsis rex. 768.
Sactius comes Castulonensis rex. 754.
Sanctulus sacerdos Nursinus. 315.

de

de Sanguine Redemptoris miranda. 106.
Sapor Persarum rex. 708.709.
Sappho Lesbia. 592.
Sara Abrahæ vxor. 464
Sardanapalus Assyriæ rex. 663.
Sarochus Tartarorum rex. 616.
Sarracenus quidam. 377.378.
Sarræ Columnensis casus. 499.
Satyri visi. 113
Saul Iudæorum rex. 182.384. 489.600.
Scipio Africanus maior. 438.256. 557.
Scipionis exercitus. 726.
Scorius Dacarum dux militaris. 623.
Scoti. 679.
Scythæ. 141.
Sforcia Attendulus. 279.
Sforcia Attendulus dux militaris & Fridericus I. Imp. 779.
Sforcia armatorum dux insignis. 225.
Sedechias IIII. Hierosolymorum rex. 490.
Selensarus & Adramelech Senacheribi filij. 762.
Seleucus Syriæ & Asiæ rex. 479.
Seleucus Assyriorum rex. 27.88.
Senatus populusque Constantinopolitanus.. 430.
Senatus populusque Romanus. 248.281.347.749.
S.P.Q.R. 349.
Senatus Romanus. 2.428.437. 591.
Senatus Romanus & Publicola Consul. 457.
Senatus Venetus. 433.
Senecæ senectus. 642.
Senex quidã Lacedæmonius. 436.
Senior Brachius Perusinus. 205.
Sepeliendi mos veterum Aegypti regum. 143.
Septem duces Mongali Tartari. 12.
Septem Turonenses dormientes. 780.
Septimius Seuerus Imp. 35.49. 67.148.156.429.585.689.
Serapio monachus. 323.
Sergius II. Pont. Max. 444.
Sergius III. Pont. Max. & Lotharius Gallorum rex. 694.
Sergius Cænomanensis episcopus. 253.
Sergius Galba Imp. 46.66.147.
Serui cuiusdam matronæ Adrumentanæ. 468.
Serui duo Cozagiani Persæ. 469.
Serui Patauinorum. 469.
Seruus Cepionis. 469.
Seruus Cluentij Peligni. 468.
Seruus Fmbriæ. 468.
Seruus L. Pisonis. 467.
Seruus Menenij. 466.
Seruus Miciti Anaxilai. 468.
Seruus proscripti cuiusdam. 467
Seruus P. Corn. Scipionis cognomento maioris. 469.
Seruus quidam Bubulcus. 415.
Sesostris Aegypti rex. 704.
Seueri Cæsaris exercitus. 729.
Seueritas regis Bulgarorum in filium. 386.(398.
Seueritas vndecim tribuũ Israel.

Sex.

Sex. Pompeius. 234.458.
Siculi. 408.
Sicyonij. 344.
Sigismundus Malatesta. 789.
Simenes Alardi Dacarum regis filius. 767.
Similis præfectus Palatij. 257.
Simeon & Læui fratres. 397.
Simon Coriarius. 606.
Simon Magus. 630.
Simon Montisfortis comes. 200.
Simon Vignosus & quidam alij Genuenses. 379.387.
Simonis Cteophæ senectus. 641.
Simonettus Camertinus heremita. 171.
Siroes Cosroes Persarũ regis filius. 767.
Sixtus II. Pont. Max. 337.
Sixtus quartus Pont. Max. 228. 638.651.
Smerdes Magus. 789.
Socrates. 65.263.
Soldurij Gallicæ societatis. 143.
Solon philosophus. 528.
Sophocles poëta Tragicus. 64.655
Sophronia matrona Romana. 399
Sordellus vicecomes Mantuanus. 203.291.
Sostratus Gnidius. 649.
Soterus Antiochus Syriæ rex. 4.
Spartacus gladiator. 479.
Spartana mulier. 391.392.
Spartius & Bulides Lacedæmonij. 374.
Spyridion episcopus. 95.
Sponsi Romani. 125.
Spurius Licinius Trib. plebis. 687.
Spurius Saufeius. 776.
Stagna Palici in Sicilia. 89.
Statius poëta. 218.
Statuarum lachrymationes. 43.
Stephanus VI. Pont. Max. 694.
Stephanus & Constantinus impp. Constantinop. 767.
Stephanus Leuita. 263.
Stephanus Konth eques Pannonius 696.
Stephanus Romanus. 92.
Stilico patritius. 717.
Stratiqua Bohemus. 266.
Stratonica Deiotari Galatarum regis vxor. 464.
Stratonis Sydoniæ principis vxor. 307.
Sulpitia Romana docta mulier. 594.
Sulpitius Asper & Rubrius Flauius tribuni militares. 412.
Sulthani Aegypti. 485.
Supplicationum maiorum origo. 130.
Sura proconsul. 788.
Surra & M. Vlpius Traianus. 313.
Susanna Babylonia. 583.
Syagrus Lacedæmoniorum legatus. 436.
Syluanus & Sabinus Ctesiphontini. 422.
Sytueyius Pont. Max. 252.
Syracusani. 343.
Syracusanorum aduersus Dionem ingratitudo. 356.
Syrenes & alia monstra marina. 114.

T.

Tagnares Gothus. 718.
Talantia Spartana Ptolemæi mater. 382.
Tamburlanus Persarum rex. 153. 214.294.709.
Tancredus Normandus. 452.
Tarquinius superbus. 42.
Tartari. 564.
Templum per miraculum dedicatum. 103.
Tertullianus Carthaginensis. 690.
Thais meretrix Athenien sis. 750.
Thales Milesius. 627.774.
Theia Ostrigothorum rex in Italia 198.
Themistoclea docta mulier. 593.
Themistocles. 64.146.156.162. 427.435.524.537.540.618. 645.679.
Theo heremita. 254.
Theocritus Chius. 583.
Theodati Gothorum regis erga Amalasuntam ingratitudo. 359.
Theodebertus Gallorum rex. 720.
Theodectes Tragœdus. 87.
Theodoricus Gallorum rex. 721.
Theodoricus Ostrogothorum rex. 177.717.777.
Theodorus Cominius Macedoniæ princeps. 719.
Theodosius Saguntinus episcopus. 572.
Theodosius senior. 8.10.
Theodosius tertius ex scriba Imperator. 403.
Theodosius & Valens Augusti. 100.
Theophrastus philosophus. 218.
Theopompus historicus. 87.
Theopompus Lacedæmoniorum rex. 526.
Theselis Argiua docta mulier. 192. 593.
Thesimachus Pisistrati Orchomeniorum regis filius. 762
Thimoclea Thebana et Alexander magnus. 395.
Thimoleon Corinthius. 48.369.
Thomas Aquinas. 109.612.
Thomas Fulgosius Genuæ princeps. 339.
Thomas Paganus Perusinus. 78.
Thrasyllus Mathematicus. 628.
Thurismundus Gepidarum rex. 339.
Tiberij Cæsaris in Liuiam matrem ingratitudo. 356.
Tiberius Imp. 66.262.390.428. 471.667.698.715 744.
Tibertus Brandolinus. 741.
Tigranes Armeniæ rex. 382.704. 705.
Tigranis Armeniæ regis filius. 698.
Timon Athenien sis. 764.
Timotheus Milesius musicus. 624
Tisonis de campo Sancti Petri facinus. 409.
Titula serua & Romani. 554.
Titus Fullonius Bononien sis. 640
T. Largius consul. 256.
T. Liuius Patauinus. 167.
T. Quintius Flaminius. 654.
Titus Vespasianus. 3.44.48.147. 332.371.
Titus Vespasian. Ro. princeps 3.44

T. Sabini cani. 350.
Titi Vespasiani exercitus. 700.
Totila Gothorum rex. 288. 335. 691.
Traianus Imp. 654.
Trasilla Aemiliana monacha. 80.
Traiaria L. Vitellij coniunx. 306.
Triarius Maternus. 258.
Tribunorum collegium. 446.
Triumuiri. 679.
Troezenij. 318.
Tullus Hostilius rex Rom. 320.
Turones. 747.
Tyro minister Alexandri Herodis Iudaeorum regis filij. 597.
Tyrtheus poëta Athenienses. 620.

V.

VAlens Imp. 29.
Valens & Theodosius Augusti. 100.
Valentinianus Imp. 658.
Valeria Romana. 307.
Valeriae Copiolae Emboliariae senectus. 640.
Valerius Asiaticus. 415.
Valerius Licimanus senator. 590.
Valerius publicola. 687.
Vallasca virgo Bohema. 193.
Varronianus. 72.
Vdo Parthenopolitanus siue Magdburgensis Archiepiscopus. 781.
Velius Blesus vir consularis. 581.
Venceslaus Imp. 231.
Venceslaus Bohemiae rex. 264.
Venetae classis prodigium. 58.
Veneti. 103. 154. 731. 759.
Venetorum erga Franciscum Fesca tũ ipsorũ ducẽ ingratitudo. 362.
Veremundus primus Hispan. rex. 20. 277.
Verritus & Maloriges legati phrisij. 242.
Vespasianus Rom. princeps 2. 47. 66. 84. 88. 161. 221. 276. 321. 332. 428. 700.
Vespasiani exercitus. 727.
Vetulae duo liberè locutae. 414.
Victor Pisanus patritius Venetus. 660.
Victorino statua Romae posita. 659.
Vigilius primus Pontifex Max. 252.
Vinandus Hesdinensis. 109.
Vir Lacedaemonius. 241.
Virgilius Maro. 218. 577.
Virgines duo Beotiae. 400.
Virgines quaedam Antiochenae. 400.
Virgines quaedam Spartanae. 399.
Virginum trium corpora. 108.
Virgo quaedam Sestia & aquila. 351.
Virgo quaedam Thebana. 399.
Viriatus Lusitanus. 219.
Visigothi. 730.
Vitellij fratres. 373.
Vitellius Imp. 448. 487. 669. 682. 730. 765. 784.
Vitellij Germanicus exercitus. 727.
Vitiza Gothorum rex. 30.
Vitoldus Lituaniae dux. 685.
Vladislaus Hungariae rex. 31.

Vngari. 730.
Volanus prouinciæ fratrum minorum præfectus. 423.
Volsci populi. 725.
Vraia Gothus. 265.
Vrbanus VI. Pont. Max. 432.
Vrracha Aragoniæ regina. 31.
Vrsina Taurella Guastallæ comes. 194.
Vsuncassani Persidis regis immanitas. 386.
Vvilla miles Gepida. 757.
Vxor Arantij. 380.
Vxor Gisberti Corregiensis. 466.
Vxor Itaphernis Persæ. 370.
Vxor Olitoris Aegyptij. 656.
Vxor Panthei Lacedæmonij. 302. 464

Xanthij. 186.
Xantippus Atheniensis. 348
Xenocrates Chalcedonius. 774.
Xenocrita Cumea. 259.
Xerxis Persarum rex Darij Hystaspis filius. 675.
Xerxis Persarum regis effrenis superbia. 704.

Z.

Zacharias Pont. Max. 621.
Zarmonochaga Indus. 206
Zeno Imperator. 377.
Zeno Cittiæus philosophus. 164.
Zenobia Armeniæ regina. 489.
Zenobia Palmyrensium regina. 235.286.442.595.
Zeusis pictor. 243.631.
Zopyrus Persa. 551.

FINIS.

BAPTISTÆ FVLGOSII, DICTORVM FACTORVMQVE MEmorabilium, Lib. I.

De cultu religionis.

MAiores nostri relicta gentilitate Iudeorũque superstitionibus, veram, id est Christianam religionem sequuti, tanti semper eam fecêre, quòd diligenter consideranti, nihil in vita quod quidem momentum habeat, accidere videbitur, cuius primordia, aut moribus, aut legibus religionem præ se non ferant. Orti, sacerdotum manu in sacro fonte, quod Christianæ religionis fundamentum est, lustramur, Adultiores ad baptismi confirmationem pontificibus præsentamur. Matrimonia sine solemni sacerdotum precatione infausta putantur. Enixis mulieribus turpè est, nouæ soboli operam dare, nisi sacerdotalem ante benedictionẽ acceperint. Prima semina multis in locis per sacerdotem lustrantur. Bella quoq; gesturi, signis militaribus sacerdotali precatione bonam fortunam inserere conãtur. Quotannis sacerdoti crimina nostra, Christiana confessione detegimus ac detestamur. Morituri sacro oleo perungimur, & qui nuper orti in baptismate rẽplis præsentamur, eis mortui restituimur, vt religio quæ hominis ortum inchoauit, finem etiam concludat: huc accedit quòd multi reges imperatoresque, ipsi regno atque imperatorio honore digni non creduntur, quos religiosè sacerdotes non vnxerint quin posteaquam assumpto diademate in regno, aut imperio confirmati fuére, si Ecclesiam hæresi aut alio modo læserint, à Pontificibus regnandi imperandique iure priuantur, pluriſque apud Christianos populos religio pontificia-

tificiaque voluntas, quam arma ipsa atque Regum maiestas habita est. Quæ res persuadere nobis debet, maiores nostros, vt alia multa, ita hoc quoq; magno consilio atq; sapientia sanxisse, & propterea religiosè diuinum cultum ab hominibus obseruari debere, siquidem prisci illi Romani, gentiles quoque alij, ac Iudæi, gens cordis duritia atque obstinatione damnata, quanquam à vera via omnes aberrarēt, diligēter tamen religionis suæ cultū seruauere.

De Romano senatu.

Romanus Senatus, adeò semper magni religionē fecit, vt quem admodū vir doctissimus Varro ad Gn. Pompeiū scribit, in libro vbi ratio locusq; habendi Senatus ostenditur, quotiescunque senatum magistratus coēgisset, id ipsum, quod primò proponebatur, ad religionem pertineret: nullaque quanquam grauior causa vel quæ celeritatem requireret, hunc morem anteuertebat, vt publicorum consiliorum, quemadmodum etiam aliarum rerum, diuino cultui primæ partes darentur.

De Claudio Nerone Ro. Principe.

Ita verò penes mortales religio & laudem & gratiam meretur, vt omnes qui prudentium nomen obtinuere, aut religionem coluerint, aut ad conciliandos sibi populos colere se simularint, id in Claudio principe perspectum est. Nam quanquā notis quibusdam, tanto principi indecoris, aspersus esset, tamen vt religionem præ se ferret, Eleusinæ Cereris sacra Athenis, in vrbem Romam transferre conatus est, & in Sicilia vetusta collapsum Erycinæ Veneris templum, vt instauraretur, operam dedit.

De Vespasiano Romano principe.

Claudius vt dictum est, confici religiosum opus iussit, cæterum Vespasianus manu sua confecit. Ex oriente enim reuersus, cum ciuilibus bellis deformatam Vrbem offendisset, à sacris ædificijs Capitoliniq; ipsius Iouis templo, eius instaurationē orsus, ante alios ipse operi se accinxit, sublatis inde collo suo primis ruderibus, iactisque manu sua fundamentis, minimè arbitratus Cæsareę maiestati sē labem illaturum, si operam sacræ rei manu sua nauasset.

De Tito

De Tito Vespasiano Romano principe.

Haud immeritò religionis cultorem parentem, filius sequetur Titus, qui templorum aliorumque publicorum ædificiorum, quæ incendio & ciuili furore correpta erant, instaurationi villarum suarum ornamenta designauit: atque huic operi ex equestri ordine insignes viros præfecit: idem quoque cum peste ciuitas grauiter laboraret, ne minus ciuium salutē, quam vrbis ornatum curare videretur, quanquam nullum humanæ opis remedium prętermissum esset, plus in cœlesti numine repositum putans, omnibus Romanis sacris operatus, placare diuinam iram studiosè curauit.

De Aurelio Alexandro Seuero Romano principe.

Silentio prætereundum non est, Alexandri Seueri religiosum verbum, qui quamuis ita religioni addictus non esset, vt superstitione captus videretur, etenim persæpe Poëtæ Persij carmen vsurpabat. Dicite pontifices, in templo quid facit aurum (tamē cum eius temporibus Christiana fides iam inualuisset, & Christiani publicum quendam locum orandi gratia occupassent, contra autem cauponæ quidam gentiles, ante suum esse contenderent: Alexander, audita controuersia, etsi ipse minimè Christianus erat: respondit, Quoquo modo esset satius esse *in* eo loco Deum coli, quam cauponas exerceri: verbum certè tanto principe dignum. *De eodem.* Apud hunc tanti religionis autoritas ac reuerentia valuit, vt iudicatas à se causas à Pontificibus atque auguribus retractari, atque aliter quā ipse iudicasset terminari pateretur, minime decori sibi arbitratus, in ijs quæ ad religionē pertinerent, imperatoriam maiestatem, sacerdotum autoritati cedere.

De M. Cælio Balbino, & M. Blodio Pupieno imperatore.

Balbinus Pupienusque, aduersus Maximinorum sæuitiam Augustorum nomine à Senatu ornati, præter alia quæ ad suam patriæque defensionem parauerant, cum sine cœlesti numine, quæ de victoria proponebantur, vana putarent, Hecatōben si victoria potirentur, vouerunt. Id

autem sacrum centum aris conficiebatur, centumque in eis insignia animalia, veluti Leones, tauri atque aquilæ sacrificabantur: neque verò audita Maximinorũ morte in peragendo sacro minor fuit fides, quam dum victoria expetebatur, ad vouendum promptitudo.

De Aureliano Imperatore.

Ne Aureliano quidẽ Romano principi egregia militaris virtus aduersus Marcomannos, cum Mediolanum vsq; ad Placentiam veniissent, sufficere sine cœlesti ope visa est. Quippe is ad Senatũ scripsit: Vt inspectis Sibyllinis libris, quæ necessaria essent sacra, ad impetrandam deorum opẽ conficerent, quæ cum Senatus egisset, ac diuino nutu, magis quam humanis viribus atque consilijs, barbari vltra progredi grauibus ostentis territi non auderent, Aureliano ad victoriam via patuit. Is autem, ne parum gratè cœlo dimissam agnoscere opem videretur, præter munera huius victoriæ gratia per vrbem Romam multis templis data, soli Capitolino Ioui, quindecim milia auripõdo, & magnam gemmarum vim pluribus collationibus dedit.

De eodem. Vt in publica necessitate Aurelianus, ad diuinam implorandam opem minimè segnis fuit, ita sacrarum quoque rerum conseruandarum studiosissimus est habitus. Nam quanquam post captam Zenobiam in Europa bello destinaretur, tamen vt in oriente Palmyram locaque alia quę Zenobiæ parebant rebellasse audiuit, eo conuersus Palmyram cœpit accolasque occidit, atq; vrbe incensa, in qua Solis templum erat apprimè ornatum, religione mor⁹ A. Ceionio Basso scripsit, vt nobilissimis marmoribus, illud ornatius quam antea esset reficeret, auroque & gemmis in hunc vsum assignatis exornaret. Cæterum quoniam satis de Romanis diximus, ad Græcorum ac Barbarorum exempla transibimus.

De Sotero Antiocho Syriæ rege.

Non tulit solem Aurel. Palmyræ sine templo esse, nec Antiochus quidẽ Syriæ rex Hierosolymarũ templũ sine sacrificijs, nã cum vrbem illam eo tẽpore obsideret, quo tabernaculorum festa celebrantur, atque à populo Hierosolymitano

lymitano rogatus esset, septem dierum inducias, ad ea sacra colenda dare, non solum postulata concessit, ac seruauit, verum etiam vt non minus à se quam à Iudęis religionem coli ostenderet, taurum auratis cornibus, ac multa aurea vasa cum thure, ad vrbis portas sacerdotibus ferri iussit, atque eos rogari, vt illa Deo offerrent.

De Dauide Rege Iudæorum.

Omittenda minimè videntur egregia Dauid regis religiosa facinora, nam cum Arca fœderis Hierosolymam referretur, cum solenni musicorum instrumentorum ac carminum pompa, non arbitratus, satis honorem Deo exhibendum esse pedibus ea præcedere, ipse diuina carmina voce ac psalterio modulãs, ad vocem musicam corporis quoque gestus accommodauit, nihilque de regia maiestate sibi deperire, si sacerdotum in numerum se coniecisset, putauit: neque inde se retraxit, quamuis ab vxore Michol, rideri quæ agebat videret. Exemplum profectò inter regis rarissimũ, & tãtò L. Furij Bibaculi Ro. prętoris ac Salij facto præponendũ, quãto prętore maximus rex maior habetur.

De Iepte Iudice Israël.

Ingens Dauid ardor, dum Deum coleret visus est, ingens quoque Patriarchæ Abraham, qui vnicum filium è cœlo monitus sacrificare voluit, cæterum idem ardor in Iepte tanto maior fuit, quantò maiora deliberationibus hominum facta censentur, hic cum in Israël iudex esset, nouisset̃que si victoria aduersus Ammonitas poriretur, quod primum in patriam reuertens obuium habuisset, se sacrificaturum, in filiam quam vnicam habebat primum incidit, lachrymarumq; ac mœstitiæ plenus, maiore parum prudentis voti, quã paternæ pietatis habita ratione, neq; illud respiciẽs, quod parùm gratè Deo ciusmodi victimæ forent, post aliquot dies filiam in Holocaustum obtulit.

De Carthaginensibus.

In Iepte errore, crudelitate permixta religio fuit, ceterũ longè magis Carthaginensium mores damnandi, qui omni victimarum sacrorumque genere, numina sua placare non contenti, longum tempus sorte filios ad sacrificium dele-

gerunt, eorumque morte conciliare sibi Deos quærebant, pro quorum salute vniuersus terrarum orbis aras ac numina votis precibusque fatigare non intermittit.

De regibus Aethiopum.

Magnum est propter religionem liberos interimere, maius vitam periculis offerre, sed omnia vincit sibi ipsi propter religionem mortem consciscere, quemadmodum Aethiopum reges, vsque ad Ptolemæi regis Aegypti tempora cõsueuere: cum eis à sacerdotibus Iouis qui apud Meroen colitur, denunciatum esset, Deo inuisam esse eorum vitam, quin inter eos nullus est inuentus, apud quem pluris salus quam religio haberetur, vsque ad Erganen regem, qui ne per sacerdotes ei mors denunciaretur, omnes ipsos interemit, primusque morem illum sustulit.

De Machabæis ac Iudæis eorum socijs.

Proculdubiò magnum est vitæ ipsi religionem anteferre, id enim Iudæi omnes fecere, qui Matathiam Machabæũ sequuti sunt, nam cum à Iudaicæ religionis ritu ad gentilitatem eos deducere Antiochus tentaret, in deserta loca confugerunt, & incassum promissis inuitati vt inde redirent, tandem cum sabbato, quo die opus vllum facere nefas Iudæi hãbent, impetus in eos esset factus, maluerunt inermes atque indefensi mortem oppetere, quam se tuendo religionis suæ ritum violare.

Etiam de Iudæis. Pertinax Iudæorum in ceremonijs suis propositum magis quam religio aliud quoque non minoris admirationis exemplum prebebit. Nam cum Hierosolymæ die sabbato à Magno Pompeio duce Romano oppugnarentur, pari superstitione, eo die, ab hostibus aggeres castella, atque alias ad oppugnandam vrbem machinas, muris admoueri, nihil obsistentes, permiserunt, ne si id impedire conarentur, sabbati vacationem violarent. Deuicta igitur per hunc modum vrbe Iudæi, vt conscendentibus muros hostibus non repugnarunt, ita postea, quam in vrbem ingressi, populum hostes trucidabant, sacrificia quib⁹ eo die operabãtur, nihil ob ea moti, quæ ab hoste patrari videbãt, tanquã in summa quiete nunquã intermiserũt.

De Iudæis

De Iudæis ex Babylone reuersus.

Veteribus religiosis exẽplis finẽ vnũ imponet de Iudæis quoq; sumptũ, qui Esdræ opera Xerxe rege permittente, in patriã reuersi, dũ diuinum cultũ, lõga in aliena terra mora, in peregrinos mores dilapsum, reformare nituntur, multis ex alia gẽte, id quod ipsorũ lege ne fieret cauebatur, vxores duxisse inuẽtis, omnes, ad eas cõiugio, etsi iã liberos nepotesq; susceperãt, pellendas conuenerũt: pluris in eo religionem, quam alia quæ in vita chara esse debent facientes.

RECENTIORA.

De M. Flauio Valerio Constantino Max. imperatore.

Hactenus in ijs, quæ ad religionem pertinent, non contigit præter Iudæos aliorum, quam gentilium exempla recensere, horum autem religio etsi à veri Dei cultu plurimũ aberat, tamen cum melioris cognitionem nullam haberẽt, haud incredibile videtur, Deo ipsi immortali non ea, quæ gentiles vel colebant vel credebant, sed ipsorũ, in eo quod recte se credere arbitrabantur, ardens studium, singularẽq; obseruantiã non ingratam fuisse: id quod multis portentis pœnisque aduersus religionis violatores ostendebatur.

Cæterũ gentilitate alijsq; veteribus omissis recentiora, religionẽq; ipsam Christianã aggrediemur, in qua nobis primus Constantinus, inter Christianos principes insignis occurrit: inter cuius egregia facinora, illud potissimum narrabimus, quod in Chalcedonensi concilio egit: Nam cum vltimo inter sacerdotes sederet auditis accusationibus quibus inuicẽ se sacerdotes criminabantur, delatas ex scripto ad se, in gremium concluſit, omnesq; illectas cõbusit: dicẽs Sacerdotes ceu numina ad hominẽ regendũ cõstitutos esse, & propterea intactũ se Deo, eorũ iudiciũ reseruare velle. *Eeodem.* Semper ad religionem pertinentia nobis multa occurrerent, si quotiens de Constantino fieri mentionem contingit, omnia ab eo gesta persequi vellemus: vt igitur etiam ad alios transeamus, adhuc vno eius exemplo contẽti erimus. Cum Helena eius mater, à Hierosolymis clauos tulisset, quibus saluator Christus pro humana redemptione cruci affixus fuit, ipse quanquam religionis

plenus, militaris tamẽ, ex eis conto galeę vnum infixit (siue vt Ambrosius refert) regium diadema insigniuit, ex altero frenum equo suo confecit, quod nunc Mediolani cernitur: fretus id quod verè ei contigit, horum adiumento, non pericula solum in bello se euasurum, verũ de hostib⁹ victoriam quoque reportaturum. Tertium aiũt eum, quod in Adriatico mari de salute periclitaretur, ad sedandã vim tempestatis in profundum demersisse, quanquam de hoc Ambrosius nihil scriptum reliquerit: qui ex ijs, à militari principe frenum equo fabrefactũ, alijs verò diadema insignitum fuisse dicit.

De Theodosio seniore.

Quod in clauis dominicæ crucis reposuisse fidei Cõstantinus visus est, id nõ minùs cõstanter Theodosius ex oratione sperauit. Siquidẽ pridiè quã cũ Eugenio & Arbogaste pugnaret, eam diẽ totam orando sacrisque alijs operando consumpsit, quibus rebus bonę spei plenus, in certamen descendit, ex eoq; victoriã ingentem miramq; tulit cum ad vincendum vẽti quoq; plurimum ei contulisse viderentur.

De Maselcero comite Aphricæ.

Huius fortasse exemplo motus Maselcerus cũ in Aphr. traiecit, aduersus fratrem Gildonẽ, qui ab Honorio Theodosioque iuniore imperatorib. rebellarat, neque enim vltra quinque pugnatorum milia secũ habebat, ausus plusquam 80. milia inuadere, eos vicit deleuitque: nã cum ad expectandũ exercitum, in Capreis insula in Thusco mari subsedisset, ad prælium se per orationes, antequàm armis, inter heremitas ac sacerdotes muniuit.

De Heracleo imperatore.

Heracleus quoque Imperator, graui Cosdroë regis Persarum bello pressus, cum is omnes pacis conditiones aspernaretur, ad diuinam opem confugit, nam cum sæpiùs solenni more supplicasset, & supplicationibus ieiunia atque orationes addidisset, Constantinopolim ipso paschatis die egressus, manu dextra, sacræ Virginis imaginem, quæ nitro modo facta fertur tulit, atque in hunc modum fide sęque armatus, cum immani hoste, duobus prelijs conflixit, ac sen-

ac semper victoriam reportauit.

De Luithprando Longobardorum rege.

Multam quoque religionē præ se tulit id, quod Luithprandus Longobardorum rex gesit, qui post multa ædificata templa, monasteriaq;, & magnis opibus locupletata, cum ex Aphrica in Sardiniam accepissēt Aurelij Augustini Hipponensis episcopi corpus fuisse translatum Ticinum vbi regia sedes erat, illuc magno studio comportari iussit, atque ipse honoris causa, pedibus à Genua Ticinum vsque prosequutus, templo monasterijsque cum amplissima dote, sancti doctoris reliquias veneranter excoluit.

De Halarico Gothorum Rege.

Noua res, in principibus, quorum iam mentio facta est, religionis cultus videri non debet, quod ei per aliquod tempus assueuerant: mirum potiùs æstimandum est, Alaricum Gothorum regem barbarum, immanemque, inter bella atque cædes, extra omnem humanitatis morem ac cultum religionis enutritum, natura atq; instituto sæuitiæ plenū, quem nunquam aut sparsus hominum sanguis, aut incendia ruinæque ab immanitate deflexerant, in ipso armorū fragore, dum tubæ canerēt, & parta iam victoria esset, quę insolentiores plerunque homines facit, vt piè atque clementer ageret, in animum induxisse. Nam cum is in Italiam cum ingentibus copijs Honorio imperante venisset, ob Stiliconis perfidiam, conuersus ad vrbem Romam, atque eam ingressus priusquam militi vrbis populationem permittere, canere tubicines atque edicere iussit, eorū corpora bonaq;, qui in Apostolorum tēpla se recepissent salua fore. Ostendit enim ferus ille animus & inuictus, qui rerum dominam vrbem Romam superatam populabatur, & qui prędę gratia nullis se periculis nullis laboribus subtrahebat, pluris se, quàm alia omnia religionem facere.

De Halarici militibus.

Longè etiam magis mirandum est, Halarici copias indomitam gentem rapacemque ob religionem à præda potuisse contineri. Nam cum inter eas adhuc cædem sanguinemque spirantes, aliquot sacræ virgines aurea vasa

capitibus intecta ferrent, vt accepere ea Apostolis sacrata esse, ne manum quidem ad ipsa contingenda extenderunt. Miranda profectò vis religionis, eiusmodi auaritiæ atque libidinis irritamenta, inter immanes barbaros, aurum illicitamque venerem sitientes, inuiolata transire. Quanto tunc barbaræ gentis, quę nihil nisi sanguinem & incendia norat, quàm nunc Italorum & aliarum nationū Christianarum continentiores animi, quippè in media religione positæ, nec sexui vlli, nec sacris, nec profanis opibus parcere, inter virtutis suæ decora numerare solent.

De Desiderio Longobardorum rege.

A Gothorum religiosis facinoribus, iterum ad Longobardos reuertemur: quorum rex Desiderius, cum multas ditionis Romanæ vrbes iā cœpisset, nouisset que ab Adriano primo Romano pontific. ad ferendam opem Carolum Magnum vocari, cupiens astu ante Carolū vrbē Romā inire, simulauit voto se ad salutanda principis Apostolorū limina proficisci velle, quod cum prudens Pontifex animaduertisset, reseratis prius templi atque vrbis portis, misit qui Desiderio sub anathematis pœna imperarent, ne propius ad vrbem accederet. Incredibile forsan videatur, & tamen verò ipso verius est, barbarum regem, superbiæ atque immanitatis plenum, quem arma nō mouerant, simplici anathematis denunciatione territum, sententia mutata, retro exercitum conuertisse.

De M. Iulio Philippo Imp.

Magis etiam, se reuereri religionē Philippus Imp. Christianorum eo nomine primus ostendit. Nam ob scelus patratæ in Gordianum proditionis, sacra communione à Fabiano Rom. Pontifice prohibitus, nisi ante in Christiana ecclesia cum cæteris qui scelerum pœnitentia agebantur, crimen emendasset, humiliter Pontifici paruit, nihil de Imperij maiestate deperire arbitratus vbi religionis habita ratio videretur.

De Theodosio seniore Imperatore.

Quod à Philippo actū nuper diximus in mentem reuocat, in pari facto singularem Theodosij senioris in parendo promptitudinem: qui ab Ambrosio Mediolanensi episco-

po pub-

po publice prohibitus tẽplo, nisi ante pro innoxio sanguine quẽ Thessalonicę & in Pannonia sparserat Deo palam satisfeciſſet, eam notam patienter atque humanè tulit: neque ante redire ad templum est ausus, quam ijs quæ Ambrosio ad criminis emendationem iniuncta fuerant peractis: quo tempore Ambrosius templo eum atque diuinis omnibus inhibuit. Hac igitur in re nónne humanam fidem ſuperare videretur, vt Imperator iuuenis victor à ſacerdote ſene ſibi ſubdito publicè erroris ſui impune argueretur: adeò enim ætate noſtra neglectus creuit, vt vix plebeij ordinis vir laturus fuerit, quod orbis terrarum dominus, non ſolum æquo animo tulit, verum etiam humiliter petita venia obediendo impleuit. Itaque qui armis inter mille diſcrimina aduerſus tyrannos atque Imperatores auguſtalẽ maieſtatem illæſam ſeruarat, non modo de conſuetæ animi magnitudine nihil amiſit, cum lachrymarum plenus Ambroſij pedibus ſe prouoluit. Verùm omnium victoriarum ſuarum quia ſe ipſum vicit triumphos ſuperauit. Merito igitur & Ambroſij autoritas Metel. Rom. pont. & Theodoſ. Poſthumij conſulis religioni quos tantopere antiquitas laudauit, præponetur. Siquidem conſulem plus Senat⁹ ac populi reſpectus, vt Põtifici pareret, q̃ religio videri poteſt, mouiſſe. At Theodoſiũ qui nihil inter mortales ſupra ſe norat, vt Ambroſij epiſcopi audiẽs dicto eſſet, nihil profecto, niſi religionis cult⁹ & Dei reuerẽtia mouiſſe dici debet.

De Edgaro Britannico rege.

In ordine noſtro poſt Theodoſium Edgarus Britanniæ rex ſequetur, quia etiam in religione colenda ei haud diſſimilis fuit: nam cum virginem deperiret quam in Vinceſtrẽ ſi monaſterio viderat educari, quæ vt virginitatem à regis iniuria tueretur, velo vnius ipſius monaſterij monacharum ſe texerat: neque ob id ab iniuria rex deſtitiſſet, profectus ad eum Dunſtanus Cantuarienſis archiepiſc. ceu Nathan ad Dauid regem reprehendendum, porrigentem in congreſſu dextram ſuam honoris gratia, regem à contactu repulit: tanquã propter inceſtũ indign⁹ qui ſacerdotẽ contingeret, videretur. Quam notam non ſolũ patienter Edgarus tulit,

verum

verum agnito errore in quem nimia libidine victus inciderat, ad sancti sacerdotis pedes prostrat⁹ lachrymabūdusq́ue crimini veniam petijt : & cum pœnæ loco ei vt à gestādo diademate septem annos abstineret, & sacris quoque virginibus monasterium conderet, iniunctum esset, obedienter ea peregit.

De Marcellino Pontifice Romano.

Septem annos regio diademate Edgarus, ait Marcellin⁹ in perpetuū Pontificatu abstinuit, adeò religionis scrupulus eum perculit. Imperāte enim Diocletiano qui acerbè Christianum nomen insectabatur, Marcellinus præ nimia mortis formidine compulsus ad idolorum venerationem tria tantū thuris grana incenderat. Quo facto quanquam eum priuare nullus pontificia dignitate auderet, semetipse criminis sui censor pontificio honore abdicauit, neq; multò post vt errorem corrigeret martyrio se obtulit, ac sanguinem suum pro Christi nomine effudit.

De septem ducibus Mongalis Tartaris.

Quæ maior in recentiorum rerum memoria ad religionem pertinens, quàm septem Tartarorum ducum res lecta est? Nam cū in desperationem & extremam sortem perducti quidam Tartarus faber ferrarius pauper Changius nomine dixisset, Visum à se in somnis equitem candore insignē, à quo iussus erat eis nunciare, Velle immortalem Deum, vt ipse Tartarorum princeps eligeretur, atq; ipsius manu Tartari liberarentur, ceu delirus ab eis irrisus, atque rejectus est, Cum postea idem omnes ipsi duces in somnis vidissent, religione percusii statim hominē ipsum delegerūt, & Chā gentili nomine, id est, regem suum appellarūt. Neque verò hoc satis fuit, ab eo iussi duces ipsi magistratu abdicare, & primogenitos in ipsius cōspectu occidere, sine mora paruerunt. Sed ne semel quidē toruè eum respexere: quanquam ad primos honoris gradus non restituerētur, ipsum ab immortali Deo ad regnum esse vocatū arbitrati.

De Assasinis.

Maiora quoque religionis signa per aliquod tempus in Syria in ea parte quam Persæ tenebant Assasini (ita genti

nomen

nomen erat) ediderunt. Nihil enim Deo gratius esse arbitrati, neque quod promptius cœli possessionē pararet, quā si absolutè principibus paruissent, quos gentili nomine Veteres nuncupabant, sæpissime huius rei manifesta ante signa ediderant, pericula obeūtes inde regressus nullus patebat. Tamē cum illuc publica fide accepta profectus esset Henricus Cāpaniæ comes, & ab Antiochia Tyrū versus iter haberet, horum populorum princeps Vetus, vt dictū est nomine, vt hunc obediendi morem Henrico præsente declararet, ostēsis in altæ turris summitate aliquot hominibus vnum nominatim euocauit, & is nulla mora facta in ipsorum conspectu à turri se demisit, qui ex casu detritus statim vitam obiuit. Et cum alios etiam vocare vellet Comitis precibus qui totus admiratione simul, atque horrore obstupuerat, vix retētus fuit: adeò populi illi sola religione moti vitæ suæ prodigi sunt. Nunc ad nostros Christianę religionis cultores redeamus, non minus in martyrij tormentis, quèm in morte audaces promptosque. Sed hoc ratio maior atque modus honestat.

De catholicis Christianis.

Veteres catholicæ fidei sectatores diligentem curam semper adhibuerunt, vt continuis Concilijs ingentique studio à sordibus religionē tuerētur, seuerè extirpatis à dominica vinea noxijs herbis: nam quanquàm Christiano nomine censerentur Basilides, Cerinthus & Montanus, præterea Nouatus, Arrius, Marcio atq; Valētinianus cōplurēsq; alij, tamen à reliquorū fideliū cōmunione eos separarunt, arbitrati à catholica fide eorū dogmata aberrare: itē nepotem Paulum Samosatenū & Apollinarem (etsi episcopali dignitate fulgebāt) pari modo dānarūt: Imperante quoq; Heriaco primo, cū propter seditiosos pōtifices inter Christianos schisma ortū esset, Cōcilij decreto in vrbe Roma pōtifices tus honore priuati fuére Gregorius sextus ac Syluester tertius vnà cū Benedicto nono. Clemēs autē secundus canonicè ad pontificiā dignitatem electus. Postremo autē auorum nostrorū memoria in Constātiensi concilio, cui imperator Sigismundus interfuit, cū scissa Christi tunica tres

pontifi-

pontifices Christianus orbis haberet quoniã parũ Christiani reges vnionẽ quærebãt & propterea scandali materiã præbebãt, quod inter eos discerni verũ nequiret, põtificio honore aut catholicorũ suasione impulsi per se discessere, aut cõtumaciter agẽtes priuati sunt. Nã cũ Gregorius duodecimus vltro pontificatus titulo cessisset: Ioãnes vigesimus tertius idem agere coactus fuit. Benedictũ autem tertiũdecimũ tanquàm schismaticum, & in errore pertinacẽ cõmuni decreto ab eo honore deiectũ, extra fideliũ gregẽ esse declarauerũt. *De Gregorio septimo Pontifice.*

Pontificibus quos commemorauimus schisma pontificatũ ademit. At Henrico tertio imperiũ eripuit: quòd à Gregorio septimo põtifice inter simoniacos iudicatus est: necq; augustalis dignitas qua iã fungebatur obstitit, quò minùs Germanici principes quib⁹ eligẽdi ius erat in imperio, Rodulphũ primũ Saxonię ducẽ ei subrogarẽt, q⁹ pluris sacras pontificum iussiones quàm dura imperatoris imperia fecere: quorũ iudiciũ maior Christiani gregis pars secuta est.

De Innocentio tertio.

Innocẽtij quoq; tertij decreto, Otho quartus imperio deiectus fuit, quòd catholicæ Ecclesię subditos vexabat, atq; ei Federicus secundus suffectus est.

De Gregorio nono, et Innocentio quarto pontificib.

Is quoq; Federicus, primum ab Honorio, mox à Gregorio nono, postremò ab Innoceentio quarto pontificibus, cum varia ei crimina obijcerentur, imperij honore deiectus est, quanquã versutus valdè, viriũ quoq; satis haberet, adeò enim religionis existimatio, in subditorũ animis radices iecerat, quæ siue iure siue iniuria obiecta ei crimina fuere, cedere ei necesse fuit, cum maior pontificis voluntatẽ nurus sequeretur. *Item de catholicis Christianis.*

Parẽ religionis affectum qui primas in catholica fide partes sustinebãt in reliquis reb⁹ ostenderũt, adhibita nõ pauciore cura circa scripturas, q̃ Roman⁹ senatus ante fecerat in ijs quæ in Numæ regis sepulchro fuerãt. Omnib⁹ enim ad fidẽ pertinẽtibus scriptis diligẽter cõsideratis, multa Euãgelia, quãquàm sub nomine Apostolorũ, Matthię, Bartholo-

tholomæi & Thome circũferrentur. Petriq; cũ Appione disputationẽ,itẽ Barnabæ epistolã. Pręterea Apostolorũ actꝰ à multis scriptos,ceu à catholica fide aberrãtes,cõbus serũt:ab eisq; quorũ nomina præ se ferebãt nõ scripta esse, aut insertis hęreticorũ scelere erroribus vitiata iudicarũt. Idẽ actũ fuit in parte librorũ Eusebij,Origenis ac Lactãtij Idẽ ex parte in recognitione Clemẽtis,quãquàm Põtificis & Apostolorũ discipuli,& quod plus est postea etiã martyris,quibus ad doctrinã Christianũq; nomen accedebat, quod sacerdotes vitaq; austera atq; honesta insignes erãt. Idẽ de Hyppoliti libris quanꝗ martyris egerũt, iudicãtes qđ suspecti erãt ipsiꝰ nõ esse. Postremò in Vercellẽsi Synodo,ab Leone nono, Scoti libri de Eucharistia christiana cõscripti,& si ipse reprobatus nõ esset,qđ se Põtificis iudicio submiserat,dãnati fuerũt. *De Alexãdro et Gaio martyribꝰ.*

Martyres Gaius & Alexander,præter superiùs dictorum exempla,ostendẽre,quòd per ea tempora in rebus ad religionem pertinentibus scrupulosę hominũ mentes essent. Nam cum capite damnati ad supplicium vna cum Marcionistis quidam Christiani ducerentur, muneris ingentis loco à carnificibus petierũt, vt separatim à Marcionistis occiderentur,ne eorum sanguis cum ijs misceretur, qui parũ rectè de catholica fide putabantur sentire.

De Ludouico Gallorum rege,& alijs principibus.

Nec verò prisci illi Christiani satis duxere moribus legibusq; syncerã tueri religionẽ,arma quoq; interdũ adhibuerunt:quemadmodum actũ est aduersus Albigesios ac Raymundũ Tolosanũ comitẽ,atq; Aragoniũ regẽ,qui illius causam fouebat. Nã aduersus eos profectus Eudo Burgũdionum dux,cũ alijs cõpluribus Christianis principibꝰ, expugnata vrbe Carcassona supra sexagita hęreticorũ milia occidit:captaq; ob eandẽ hęresim Auinione à Ludouico Gallorũ rege Philippi Deodati filio,euersis priꝰ vrbis muris,trecẽtas domos in ea cõbusit.In Bohemia quoq; Federicꝰ tertiꝰ cũ multis alijs Germanorũ principibꝰ,vt Husita nã hęresim extirparet,nõ minꝰ sęua in hęreticos exẽpla edi

De innocẽtio tertio & Bonifacio octauo Põtificibus & alijs. (dit.

His qui

His qui verè Christiani atq; catholici habebãtur, visum fuit è Christiana re esse, nõ modo in viuẽtes, vt ab errore religionẽ vendicarẽt, sed cõtrà mortuos quoq; agere. Hoc Romanus Põtifex Bonifacius octauus ostẽdit, qui Hermãni Pongilupi hęremitæ corpus, Ferrariæ sanctorũ honore in sepultura decoratũ, post viginti annos erui, cremari, cineresq; in profluentẽ amnem proijci iussit: quoniã quibusdam indicijs post mortẽ eius detectũ fuerat, ipsum in Fratricellorum hæresi fuisse. Põtifex quoque Innocentius tertius, per Parisiensem episcopum egit, vt ex sepulchro eueretur Almaricus Parisiensis doctor & cremaretur, quoniam quanquàm eum pœnituisse visum esset hæresis, quo alias laborarat (hęc autem simplicis Spiritus nomine ab eo appellabatur) hęresis ipsa adhuc repullulare putabatur. Mediolani quoq; regnãte Mattheo Vicecomite, postremis eius imperij diebus, detecti sunt Andreas Seramita & Gulielma post vndecimum cœpti sceleris annum principes fuisse, mares ac fœminas, occulto in loco sub Bariloti nomine, ad bacchanalem exercendam licentiam congregandi nã peractis sacris quæ Gulielma in sacerdotali veste obibat, cum cęteri in clericorum habitu ministrarent, extincto lumine promiscuæ libidinis genus omne permittebatur. Itaque Andreas viuens cum aliquot huius sectæ hominibus combustus fuit, additumq; Gulielmæ cadauer quæ ante mortua erat, & vsque ad id tempus in Claræuallis monasterio sepulta sanctarum honore colebatur.

De Ferdinando Hispaniarum rege.

Aetate quoque nostra. Aragonius Ferdinandus Castulonẽsis rex, haud dissimilia egit. Detecto enim magno Christianorũ numero, q per eius regna passim sparsi erãt, potentia atque opibus insignes, quorum genus ab Hebræis manarat, cũ palam in Christianam fidem recepti essent, secreto Iudaicam legem ac ritum seruare, non solũ per multos ex eis cõburi, qui pertinaces in scelere manebant, verũetiã ex sepulchris eorũ corpora erui iussit, qui quanq; mortui essent, in eius sceleris reorũ numero nominati fuerãt, & si per id tẽpus in Hispania Iudæorum multitudo ingens,

sub pub-

sub publica fide incolumis manebat: quia Iudaicos ritus palam inuiolata Christi religione seruabant.

De Conrado Imperatore & Ludouico Sexto Francorum rege & alijs.

Caij Fabij audax factum ob religionem non iniuria laudatur, qui obsesso à Gallis Capitolio, ne diem sacrificio statam omitteret, inter medios hostes, in Quirinalem cliuum à Capitolio nullius periculi magnitudine territus, manu sacra ferens pertransiuit. Cæterum longè laudabilior Gotofredus Bolionius Lotharingiorum dux, & comites habendi, qui inter Christianos præmisso crucis signo, priuata pecunia, triennium integrum in barbara longinquaque regione, inter mille pericula rerumque omniū egestatem prouinciam eius magnitudinis sustinuere, quàm Hierosolymæ, atque Syria ipsa ex infidelium manu recepta testari potest. Quod ingens facinus meritò præ virtutis magnitudine ac religionis studio lectores admiratione replere debet. Cæterum horum gesta superasse videntur (commodius enim domi manebant & maioribus regnis potiebantur) Conradus Imperator ac Ludouicus Sextus Francorum rex, qui non vt imperia augerent, sed vt catholicam religionem locis suis, quæ Barbari occupauerant restituerent: armis sumptis ingenti exercitu minimè veriti sunt, terrestri itinere Damascum vsque penetrare, diuque eam vrbem obsidere, quanquàm eis in expeditionis fine non successerit, quod Gotofredus ac comites consequuti sunt.

De Ludouico octauo Gallorum rege.

Par religionis affectus Ludouicum Gallorum regē impulit, vt cum exercitu in Aegyptum traijceret, vbi quanquam captiuus factus, deinde redemptus, præter factam in exercitu impensam, muro circumdatas Christianorum aliquot vrbes, precioque recepta captiuorum ingenti multitudine: minimè aut fortunæ aduersæ casibus, aut impensa, aut etiam ipsius vitæ discriminibus territus, denuo in Africam reparatis copijs traiecit, vbi Tunete vrbe obsessa, peste vnà cum filio decessit.

De Federico primo Imperatore, Philippo Gallorum & Richardo Britanniæ regibus.

Eadem causa moti trans mare in Syriã se cõtulêre Federicus primus Imperator cũ ingenti exercitu, qui cũ in Armeniã peruenisset illic mortuus est. Similiter Sueuiæ dux Federicus eius filius Antiochiæ, ac post eũ Philippus Deodatus Gallorũ rex, vt terrã (quæ quoniã Christi redemptoris calcata est vestigijs Sancta dicitur) quę in Infidelium potestatem tranſierat, ad Christi fidem redigeret. Itẽ Richardus Britannorum rex, qui Acra vrbe, nonnullisque alijs locis diuino cultui restitutis, in patriam se receperunt.

De Ioanne Constantinopolitano Imperatore, & Eugenio quarto Pontifice.

Religio quoque Ioannem Constantinopolitanum Imperatorem mouit, vt parui pericula laboresque omnes faceret, dum in Italiam Florentiam vsque se conferret. Illic enim ab Eugenio quarto Max. Pont. & si graui bello premebatur, magno stipendio conductus est, vt vtraque Ecclesia Occidentalis, scilicet, atque Orientalis (nam de Spiritu sancti processione, nonnullisque alijs ad catholicam fidem pertinentibus discordes erant) reformaretur, tunc Armenij, Aethiopes, Indi, Maronitæ, ac Syriaci cum in eandem catholicam opinionem concordes transissent, Christi tunica, quæ discissa erat, redintegrata fuit.

De Ludouico septimo Gallorum rege.

Cogit me vt de Ludouico Gallorum rege scribam, ille qui Ludouici sexti cognomento Grossi filius fuit, eius parendi Christianæ ecclesiæ studium, vt intelligatur ipsum non armis solum gloriam meritum esse. Nam cum Heleonora ipsius coniunx inuenta esset, arcta eum propinquitate contingere, quanquam secum Guiennæ ducatum, aliarumque regionum hæreditatem traheret, atque ex ea Ludouicus filias duas iam suscepisset, repudium tamen ei misit, ne aduersus catholicæ fidei leges matrimonio vteretur. Itaque eius cõnubio soluta Heleonora, Henrico tertio nupsit, qui tunc Normãdiæ ducatũ obtinebat, vnde ad Britannorum regnum conscendit, ipsiusque Heleonoræ gratia

Guien

Guiennæ ducatu Britanni potiti sunt. At Ludouicus Constantiam Hispaniarum regis filiam vxorem duxit.

Iterum de Philippo Deodato Gallorum rege, qui cognominatus est Augustus.

Parendo Romanæ ecclesiæ parem primi (de quo dictum est) se Philippus Deodatus, & cognomento Augustus, ostendit: nam cum Honorij tertij pontificis legati ab eo poscerent, vt Ingebergam (siue vt alij dicunt) Viceburgen coniugem in coniugalem thalamum reciperet: quam quia non satis grata erat, ficto propinquitatis gradus, quàm leges Christianæ paterentur nomine, ceu non iustam vxorē dimiserat, atque in eius locum Mariam Bohemiæ ducis filiā duxerat, & si ægrè vt id ageret, adducebatur, legatis tamen de Ingeberga reducenda paruit.

De Philippo primo Gallorum rege.

Ludouicus vxorem quam habebat propter religionē dimisit. Philippus autem primus eius nominis rex, ipsius religionis gratia, quam dimiserat recepit. Qui siue veneficio, siue alio malo captus, cum electa Bertha coniuge Bertrandam, quam deperibat Folcheri aliâs Foci Andegauensis comitis coniugem, apud se haberet, nec à vetita consuetudine abduci posset, extra communem Christi gregem anathemate Vrbani secundi Pontif. factus, vt ecclesiæ restitueretur, coniugem quam eiecerat resumpsit, vt vbi de religionis cultu agebatur, interdictæ veneri regiæque licentiæ locus nullus daretur.

De Ramiro rege Aragonio.

Non est ab ijs de quibus diximus dispar Ramiri olim monachi factū. Nam cū fratris eius morte Aragonium regnum vacaret, petentibus Aragonijs Pontifex monacho concessit, vt regnū religione solutus acciperet. Ducta igitur vxore ex qua filiam Vracam suscepit, neque coniugalis charitas, neque regni cupido, validissima duo in humanis rebus vincula eum retinuêre, quò minus ad ecclesiasticam humilitatem, quam in monasterio expertus erat, reuocaretur. Quæ res causa fuit, vt à populis Raimundo Barcinonis comiti nupta puella, duo regna Aragonium Cathe-

Ionicumque simul iungerentur.

De Veremundo primo Hispaniarum rege.

Veremundus primus Hispaniarum rex, præcipuus religionis cultor, posteaquàm duos ex vxore filios suscepit: memor quod ante connubium Diaconatus dignitatē accepisset, ne parum diuinas leges obseruasse videretur (adeò penès eum religionis reuerentia valuit) consobrino regno cessit, & monastico ordini se dicauit.

De Balduino primo qui Hierosolymis regnauit.

Religio quoque fuit, quæ Balduinum Hierosolymarū regem Gotofredi fratrem impulit, vt graui morbo pressus, Rogerij Siciliæ regis matrem, quam iam tertium annum iustæ vxoris loco habebat, dimitteret, & primam quam habebat genere Græcam, in coniugalem thalamum reduceret. Nam quanquàm impudicitiæ suspectam, postea manifestè meretriciam agere vitam deprehendisset, tamen quia nullo ecclesiastico ante facto iudicio à se deiecerat, maluit grata à se dimissa, eam quæ haud iniuria propter impudicitiam odio digna erat, connubio suo restituere, quàm parū diuinas leges videri coluisse.

De Alphonso Legionis rege in Hispania.

Nō minus religiosè se gessit Alphōsus Legionis in Hispania rex, cum æquo animo tulit, vt ab ecclesia matrimonium ipsius, primum cum Teresia Portugalēsis regis filia, ac deinde aliud, quod posteà cum Berengaria Castulonensis regis filia contraxerat, dirimeretur, quanquàm ex vtraq; filios procreasset: quoniam cum vtraque in tertio gradu affinitate coniunctus esse arguebatur.

De Almarico Hierosolymarum rege.

In eodem gradu cùm inuentus esset Agneti coniugi sua coniunctus Almaricus Hierosolymarum rex, & si iam duos ex ea filios suscepérat, ei repudium misit, atque Mariam Emanuelis Imperatoris neptem duxit, Agnete Bellini principi nupta.

De Mathilda comite fœmina insigni.

Mathilda fœmina religione magnisque alijs virtutibus insignis, quanquàm Henrici Imperatoris esset neptis, atq; in Ita-

in Italia multis populis latè imperaret, obedienter tamen passa est à Gregorio septimo Roman. Pontifice separari se Actij Estensis Marchionis connubio, quod in quarto gradu affinitatem cum eo habuisse inuenta erat, pudicitia in posterum diligenter custodita: quia penes eam plus religionis cultus valuit quàm vel maritalis charitas, vel procreandorum liberorum cupido atque ardor.

De Ludouico Caroli secundi Neapolitani regis filio.

Ob eandem religionem, Ludouicus matrimonio se atque regno priuauit. Nam cum in morte Caroli primi filius eius Carolus secundus, cui successio regni debebatur, in Catellanorum manu captiuus esset, Ludouicus pro patre obses pactione inita datus, septẽ annos in captiuitate mansit: quo tempore ob ægritudinem se ad Minores fratres trã sturum vouit. Tandem igitur liberatus, moriète patre, Roberti fratrem natu minorem regnare permisit & ipse Minorum religioni se dicauit. In qua ad Tolosanum episcopatum assumptus est, sicuti Ioannes vigesimus secundus testatur, qui eum in numero sanctorum retulit.

De Durante Podiensi.

Singulares esse vires suas religio assiduè ostendit, dum per eam illa efficiuntur, quæ neque vi, neq; industria humana effici possunt: regnante enim Philippo Deodato, cũ internecinum bellum inter Rothomagẽsem regem ac sancti Aegidij comites esset, neque ei vllius opera finem imponere posset. Pauper quidam vir ex Podio pusillo loco ortus, cum in parua membrana pictã Virginis imaginem cum filio gestaret, cuius margine latinè inscriptum erat. Agnus Dei dona nobis pacem: Eam sibi à Deo datam dicebat, & iniunctum, vt bellantes inter se populos pacem inire Dei verbis iuberet. Eius orationi fides habita est, atque inita pace, imagini illi similes permultæ factæ fuerunt, quæ gestantes eas in pileis non incolumes solum inter arma præstabant, verum vt viatico quoque in itinere iuuarentur, efficiebant.

De ijs qui candidati appellati fuerunt.

In Italia quoque anno supra millesimũ à salutifero par-

tu tercentesimo nonagesimo nono: qui annum illum præcedebat, quo sub Iubilæi nomine catholicæ ecclesiæ thesauri ad præstandam salutem Rom. aperiuntur, ex Gallia in Italiam descendit religiosus vir cum magna manu, quorum indumenta informia linteis constabant, misericordiam à Deo ingentibus clamoribus poscentes. Huius exemplum sequutæ multæ Italicæ vrbes in supplicantium morem vltro citroque inter se commeabant, depositisque odijs cibaria gratuita vltrò offerebant. Cæterum Bonifacius nonus Pontifex hunc motum veritus, Gallum huius rei authorē Viterbij noctu iussit comprehendi, ac postea ceu hæretici Romæ comburi: cum alij prauæ religionis authorem alij iustum virum eum appellarent. Ab hoc homine Candidatorum dictus est annus, quē alij Misericordiæ appellarūt.

De Iacobo Bussulario ordinis Hæremitarum sancti Augustini.

Tunc quoq; vires suas religio etiā in hominibus ostēdit, cum per Carolū quartum Imperatorem credita Papiensis vrbis administratione Ioanni Mōtis ferrati Marchioni, & ab eo vrbi præposito Iacobo Bussulario ordini hæremitarum sancti Augustini. Is Iacobus tū fictis ad bonitatē moribus, tum facundiæ magnitudine rē Papiensem, ita in potestatem suā redegit, vt ceu propheta parensq; omnium, & verus dominus à ciuibus coleretur: cuius potētiæ adeò magna iecerat fundamenta, vt vix quarto anno, fame Galeatius Vicecomes (anno supra millesimum à virginis partu tercētesimo quinquagesimo quarto) cum domuerit. Ciuiū enim pecunia & armis fideq; adiutus, semel Galeatium nō sine magna clade repulit: qui postea reparatis viribus tandem Iacobum ipsum cœpit, Vercellisque in ferrea cauea captiuum tenuit: qui solet exitus eos plerunq; manere, qui sub hypocrisi populorum administrationem inuadunt.

De Ioanne Vicentino ordinis Prædicatorum.

Guido Bonatus ætate sua scribit, se vidisse Ioannē Vincentinum ordinis Prædicatorum, qui hanc de se opinionē in hominum animis confirmārat, vt cum eo Deus loqui crederetur, & in eius verbo mortui suscitarentur. Per hanc enim opinionem captis ciuium animis, in Bononiensis vr-

bis

bis dominatū se insinuârat, annumq; in ea egit armis sepe⁹, ita vt in vrbe manerēt, eaq; pellerēt, quos ipse Deo aut gratos aut inuisos, tanquā diuinit⁹ moneretur, affirmaret.

De Guidone Flandriæ Comite.

Marci Attilij Rom. religionem, seruata à Guidone Flandriæ comite eiusq; filio fides superauit: quia qui cogere posset non habebat vt Regulus. Nam carcere liberati à Philippo cui cognomento Pulcher erat Gallorum rege, data fide si Flandriæ populos qui rebellarant & cum Britannis Philippum vexabant, ad officium restituere non possent, se ad carcerem redituros: quia de componendis rebus non succesſerat, fidem carcere repetito seruarunt, in quo intra breue tempus Guido decesſit.

De Ioanne primo Gallorum rege.

Gallorum rex Ioannes primo prælio victus, captusque apud Pictones ab Edouardi tertij Britannorum regis filio Galliæ principe: postea quàm magna vi auri atq; locis quibusdam redemptionem suam pactus data fide ad ea paranda, quæ ex pactione debebat redire in Galliam permissus est: cùm domi inueniſſet nimium hac re regnum grauari, neque ea comparare quibus seruare promissa posſet, in Britanniam reuerti decreuit, vt fidem seruaret & si fieri posſet summam pactam cum Britannis minueret. Itaq; in Britanniam reuersus breui in aduersam valetudinem incidit atque decesſit.

De Renato Barri ac Lothoringiæ Neapolitano rege.

Renati Barri ac Lothoringiæ ducis religio non admirationis minus quā laudis meretur. Nam cū bellum ei esſet cum Antonio Valdemontis comite, in prælio à militibus Philippi Burgundionū ducis captus, cùm dimissus esſet, data fide quoties vocaretur rediturum se: à Philippo vt fidem seruaret requisitus est, eo tēpore quo fratre ipsius Ludouico Neapolitano rege defuncto ad regni succesſionem vocabatur, qui & si norat Alphonsi Aragonij opera à Philippo se vocari, quod is quoque trahere ad se Neapolitanum regnū quærebat, & ab Eugenio quarto Pōt. propter aditā regni dignitatem, fidei quā antea dederat ipsum non

teneri declaratum fuerat, præposita rebus omnibus fide ad Burgundionum ducem reuersus est, vbi custoditus quâquam post aliquod tempus postea liberatus fuit: quia ob eius tarditatem aduersariorum res inualuerant, regnum amisit. Quæ res cum alijs exemplis quæ scripta sunt manifestè ostendit, quantum in hominum animis religio possit. Si quidem hæc vna maximè odia delere, iniurias obliterare, connubiales amores dirimere: denique vita ipsa vt negligatur efficere potest, vitijs atque affectibus prauis sæpe in contrarias virtutes conuersis.

De Gallorum regibus.

Rebus ad religionem pertinentibus finem imponet consuetudo, quam nostris quoque temporibus Gallorum reges obseruant: nam cum in multis templis per ea regna Canonicorum ordinariorum numero ascripti sint, suprema illa potestas quæ alios Christianos principes antecedit, cũ ad eiusmodi templa contingit reges accedere: depositis regijs ornamentis lineam vestem sacerdotali more cum alijs Canonicorum insignijs desumunt, muniaq; sua cum alijs Canonicis obeunt, arbitrati non modo indignã regio honore rem nullam in eo à se fieri, sed potius regium honorẽ prisco more sacerdotio vehementer augeri. Cæterum quoniam satis de religione scriptum est, iam tempus est vt Valerium sequentes, de spreta religione & de pœnis, quæ sequutæ sunt scribamus.

DE SPRETA RELIGIONE Cap. II.

De Nerone Imperatore.

NEro nullo discrimine templis atque altaribus spoliatis non solum sperni à se religionem, verumetiã graui odio haberi ostendit. Nam ne à Syriaca quidem dea quã colebat, abstinuit: quin vrina quoque eam aspergeret. Itaque cum his rebus dijs atque hominibus inuisus esset factus. Pont. Rom. imperium ab eo defecit, vnde in trepidam miseramq; fugam compulsus, cum vereretur ne grauiora ei in morte contingerent, sibiipsi mortem consciuit.

De Commodo Imperatore.

Antonino Commodo Imperatori satis non fuit multis alijs

alijs modis peruersis moribus abuti, quod in medijs quoq; sacris tēperare sibi à scelere noluit, cū Isidis sacrificia perageret, illius imagine quam ipse gestabat, sacerdotū percutiebat capita, impellebatque vt pineis nucibus quas secundum religionis ritum manu gestabant, adeò se diuerberarent, vt ex eis aliqui interdum morerentur. Quam ob rē & hoc religionis contēptu, & alijs infandis sceleribus nulli non inuisus, dum in lecto iaceret à suis oppressus vitam amisit: magna po. Rom. lætitia, corpusque eius cum insepultum aliquantisper mansisset, post omnia quæ fieri poterant ludibria, in Tyberim proiectum est.

De M. Aurelio Antonino Bassiano Heliogabalo.

Sacrilegus ac prorsus religionis contemptor Commodus fuit, sed hac impietate longè eum Heliogabalus superauit: Vestalem enim virginem secum nubere coēgit, ac loco suo Palladium dimouij, perpetuos Vestę ignes extingue re tentauit, & ceu cum dijs ipsis bellum gereret, Romanorum religiones omnes quæ eius temporibus colebantur, sine discrimine violauit. Quibus sceleribus deos hominesque ita irritauit, vt ab equitibus suis impetu in eum facto, occideretur. Quanto autem eos qui antea principatū gesserant violata religione superauit, tanto ipse alijs despectior fuit, in latrinis interemptus, ac per vrbem primo, inde in lupanar pedibus tractus, cum ibi quoque quiescere non posset in Tyberim deiectus est. Sed ab eo ad Hebræos transibimus.

De Achab Samariæ rege.

Nihilo meliore exitu finem habuēre Achab Samarię regis sacrilegia, nam cum ceu apertus veræ religionis hostis non contentus idolis templa condidisse, eis sacra etiā peregisset, cœlesti in eum conuersa ira cum in Ramaoth pugnaret, haud aliā ob causam Assyriorum armis cæsus fuisse putatur.

De Ochozia Samariæ rege.

Ob idem scelus Ochozias item Samariæ rex de palatij fenestris cecidisse creditur, atque ex eo casu sacrilegam animam effudisse.

De Ozea Samariæ rege.

Ozeas quoque Samariæ rex à Salmanassare, Assyriorum rege prælio victus fuisse, ac demum tributarius factus, ob hoc ipsum existimatur, quod spreta vera religione idolatriam colebat.

De Ioram Hierosolymarum rege.

Sceleſti Samariæ reges fuêre, sed nihilò eis meliores, quidam ex his qui Hierosolymarum sceptra tenuerunt. Inter eos Ioram cum idola coleret putatus est, ob hoc ipsum bello ab Aethiopibus ac Philistæis superatus regnũ vitãq; cũ stirpe sua amisisse, vno Ochozia q infans erat superstite.

De Ozia Hierosolymarum rege Nadab, & Abiud & Oza.

Sæpius eorum temeritatem vltus immortalis Deus qui se, aut peragendis sacrificijs, aut tangendis cõtra religionis ritum sacris rebus, criminis reos fecerunt: ostendit aliorũ exemplo ab eiusmodi esse abstinendum. Declaratum hoc fuit in Ozia, qui cũ sacerdotale munus vsurpare vellet, apprehenso manu thuribulo repente lepra percussus est. Nadab quoque & Abiud sacerdotes cum partes suas parum castè obirent, ac thuribulum manu tenerent, ignibus inde prodigiosè egressis combusti fuerunt. Item Oza cum cadẽte fœderis arcam (quam solis sacerdotibus contingere fas era) sustinere vellet, subita morte correptus est.

De Manasse & Amone Hierosolymarum regibus.

Ne diutius in Hebræorum sacrilegijs immoremur, eis finem facient Manasses ac filius Amon in Iudæa reges, quos minimè obscurum est, quia Hierosolymarum templum spoliarunt, opibus regnoque priuatos fuisse. Manasses ab Assyrijs à quibus diu Babyloniæ in custodia habitus est. Amon autem patri liberato cum æquè in impietate sicuti in regno succesisset, ne impune abiret, à suis in palatio obtruncatus fuit. Nunc igitur ab Hebræis ad Babylonios Assyriosque eundum est.

De Nabuchodonosor Chaldæorum rege.

Hij de quibus nunc dictum est propter impietatem aut regnum, aut vitam vel vtrumque simul amisere. At Nabuchodonosor Chaldæorum rex quoniam deuictis Ioachim

& Se-

& Sedechia Hierosolymarũ regibus templum spoliauit, ingenium sensumque communem amisit: adeoque delirauit, vt similis iumentis factus, tanquam extra humanã effigiem in nulla parte hominum mores agnosceret.

De Balthasare Chaldæorum rege.

Proaui sacrilegium à pronepote patratum scelus pœnaque quam inde tulit, sequetur. Is Balthasar Chaldæorum rex fuit alto nomine Naboar appellatus. Nã cum præter multa alia infanda facinora, adhibere mensis sacra Hierosolymitani templi vasa in eisque vesci ausus esset (quæ Nabuchodonor Babylonem transtulerat) cœlestem iram in se conuertit, & quo tempore fœlicior sibi visus est, ei Cyrus Persarum rex cum regno vitam quoque ademit.

De Seleuco Assyriorum rege atque Heliodoro.

Auaritia mortalibus in omni ordine grauis, in principibus eo grauior, quò priuatos magis antecellũt: & ratò à diuinis manũ abstinẽt vbi prophanorũ bonorũ præda deest. Id Seleucus Assyriorũ rex declarauit: Nam ingentium opum fama incensus, quæ in Hierosolymitano templo ferebantur esse, nulla religionis habita ratione, Heliodorũ ad spoliandum templum misit: eum autem cũ Onias pontifex in sacrarium induxisset, duo ingentes equites, qui aurei videbantur adorti grauiter verberauẽre. Cæterum cum ita male multatus Pontificis precibus pristinas vires recepisset: ad regem suum rediit, monuitq; si quẽ in regnis suis inuisum haberet, eum ad spoliandum Iudæorum phanum mitteret: damnata enim ijs verbis sacrilegij grauitate, diuinam quoque potentiam quanta esset testari, voluit.

De Antiocho Epiphane Asiæ ac Syriæ rege.

Tentata ab Assyriorũ rege Hierosolymis sacrorũ vasorum præda in mentem reuocat, id quod non fine graui pœna Antiochus Epiphanes Asiæ ac Syriæ rex perpetrauit. Nam cum Iasonis ac Menelai Hebræorum opera Hierosolymam cœpisset, parum ducens thesauris atque ornamẽtis omnibus templum spoliasse, sanxisseque ne in posterum in eo veteri cultu sacra fierent, Olympio Ioui templũ dicauit, & vt Iudęorũ legẽ cereimoniasq; penit⁹ deleret

per-

perquisitas omni cura sacras Iudæorum scripturas omnes combusserit. Quam ob rem concitata in se diuina iusticia, in sæuum incidit morbum, ex putrida eius carne subinde nascentibus, ceu in aquarum scaturigine vermibus: vnde cũ in omnium odium fastidiumque simul veniisset, ac post lõgos graues que cruciatus à charioribus quoque deuitaretur, rabie atque ira plenus mortem obijt, cùm ante obitum & agnouisset, & fassus esset, propter violatum Iudeorum templum id se perpessum fuisse.

De M. Crasso.

Perpetrata in Iudæorum templo à Babylonijs Assyrijsque regibus præda, monet ne illiud prætereatur quod M. Crassus dux Romanus eodem in loco edidit. Nam cũ ad Parthicum bellum proficisceretur, iter per Iudæam faciẽs, impellẽte auaritia sacris thesauris templum spoliauit. Itaque cùm perpetrati sacrilegij diræ eum insectarẽtur, haud multo pòst, conserto cum Parthis prælio superatus, cũ maxime partis opibus & nomen & vitam cum filio cæsus, amisit. Inuentoq; ab hostibus capiti eius infusum quod liquefecerant aurum, auaritiam scelusque simul exprobrauit.

De Philomelo Onomarcho & Phaillo.

Fuit pariter ceu diuinitus castigatum scelus Philomeli Onomarchi & Phailli, quòd spoliato Delphici Apollinis templo putati sunt perpetrasse. Nam cùm sacrilegis statuta esset pœna, vt præcipitati aut immersi vel combusti vitam finirent: haud multo pòst raptos sacros thesauros, vnus eorum viuus combustus, submersus alius: tertius autem ex alto præceps demissus. His mortis generibus Gracam legem in sacrilegos moriendo seruarunt.

De Cambyse Persarum rege.

Non minus acerbè sacrilegæ mentis suæ (& si factum abfuit) pœnas tulit Cambyses Persarum rex: qui post deuictam Aegyptum, cùm videret bouem Api consecratum, tanquam omnium religionum hostis, percussa bouis coxa eum interemit. In eo impius, quod quanquam idolatram belluam peremisset, tamen vero Deo vim se feciisse arbitrabatur. Itaque cum ab eo falsus Smerdis, haud multo pòst

rebel-

rebellasset, qui penè Perfidem omnem occupauerat, dum equum conscendit lapso vagina ense, quo bouem ante occiderat, in coxa vulnus accepit, qua parte ipse Apis bouem vulnerârat, atque ex eo vulnere breui decesit. Quæ ideò posita sunt, vt homines intelligant omni tempore, atq; in omni religionis cultu sacrilegos Deo abominabiles fuisse. Nunc omissis veteribus ad recẽtiora exẽpla descendamus.

RECENTIORA.

De Fl. Cl. Iuliano Imperatore.

Violentum necis genus Iuliani Impera. ipsiusque propria confessio palam testantur, non solum eũ ob spretam Christi religionem mortuum esse, sed ipsum quoque antequam moreretur illud agnouisse. Nam cũ se Christianum fingeret, & vt nonnulli affirmant sacris initiatus vsque ad diaconatum conscendisset, ex Christi cultore persecutor factus, adeò impiè egit, vt ad vltionem Deum impelleret. Suscepto igitur aduersus Persas bello, cum in ipso prælio ab incognito inter costas lætale vulnus accepisset, sanguine suo manum repleuit, atque in cœlum iaculatus in hæc verba prorupit: Exple iram tuam Galilæe (ita enim Christum appellare consueuerat) fateor enim me à te superari. Eo verbo religionis neglectu repetito, eius causa se mori confessus est.

De Valente Imperatore.

Iustè quoque sceleratum Valentis opus pœnas tulit. Arriana enim hæresi laborabat, à quo cum Gothi petijssent, vt mittere Episcopos vellet, à quibus in Christiana fide institui cupiebant, ad eos pro catholicis Arrianos misit. Itaque cũ simplex Gothorũ genus pro fideli doctrina perueršam accepisset, ne impunitum Valentis scelus maneret, tulit Deus, vt traiecto Danubio, intra imperij fines, sine alia publica fide Gothi cùm consedissent, Valentis auaritia cogente rebellarent. Capta igitur Antiochia Valente victo vulneratoque, cũ is fessus in pastoralem casam diuertisset, in ea superueniẽtibus Gothis viuus combustus est, vt quibus ignibus missis peruersis doctoribus Gothorum incenderat animos, ijs viuentis corpus Valentis (quia mali au-

thor

author fuerat) cremaretur.

De Philippico Imperatore Constantinopolitano.

Philippicus Imperator, non ob aliam causam ad hanc peruenisse miseriam creditur, vt per Anastasium oculis captus etiam imperium amitteret, nisi quod in imaginum hæresim se demisit, & pulso Cyro patriarcha viro catholico Ioannem abbatem hominem hæreticum ei suffecit, quę ob eam rem Constantinus Pontifex Maximus extra catholicam fidem illato anathemate fecerat.

De Leone quarto Constantinopolitano Imperatore.

Graue fuit quod Philippicus tulit, sed celeritate miraculique magnitudine maius fuit, quod in Leone quarto contigit: qui auaritia impellente per ioci speciē, ceu alter Dionysius ex sanctæ Sophiæ capite diadema sustulit à superioribus principibus magnis opibus in eius honorem factum. Itaque cùm illud ipse postea gestaret, eam Deus impietatem vltus est. Nam pro gemmis venenati carbunculi atque anthraces Leonis caput obsederunt, coactusque diadema deponere, viuendi quoque finem fecit.

De Paulo Græco qui in Hispania tyrannidem exercuit.

Quàm manifeste in Pauli quoq; Græci pœna cœlestis vltio apparuit? qui cū à Bāba Gothorū rege desciuisset, Hispaniarūq; regis nomen vsurparet, ac preter multa alia impiè facta coronā quoq; in vrbe Gerunda à Bamba rege sancto Felici dono datā de templo tulisset, haud diu id factū post perpetrati sceleris pœnā tulit, captus enim à Bamba à quo rebellārat Nemausi vrbe Gallica, atque Toletum in Hispaniam perductus, piceo diademate coronatus, luminibusque orbatus, non sine magno eorum, qui hominem viderunt ludibrio camelo eum ferenti, auersus, insedit.

De Vitiza Gothorum rege in Hispania.

Non minori pœna ob spretam violatamq; Christianam religionem Vitizæ Gothorum regis in Hispania castigatū scelus fuit: qui præter multa alia infanda facinora, contra sanctorum Conciliorū sanctiones, in ditione sua sacerdotibus, non coniuges modo ducere, sed multas quoq; habere permiserat. Quāobrem cum vereretur ne rex Rhoderi-

cus

ens(cuius patri aliâs Theodeberto Vitiza oculos effoderat)paternam iniuriam vlciſceretur, iuuantibus Roma. ab eo defecit. Itaque prælio victus captusque lumina regnũque ſimul amiſit,& in tetro carcere deceſsit.

De Alphonſo quarto Legionis in Hiſpania rege.

Non impune contemptã à ſe religionẽ fuiſſe Alphonſus quoq; quartus Legionis in Hiſpania rex exemplũ erit. Nã cũ quinto anno poſt ſumpta imperij inſignia regno abijſſet,& monaſterio incluſus, fratri ſuo Ramiro ſecundo regno ceſsiſſet, abiecto poſtea religioſo habitu reſumere regnum tentauit: itaque à fratre captus,oculis erutis in monaſterium vnde abierat reiectus fuit,vbi mortem obiuit.

De Vrracha Aragoniæ Regina.

Pœna quæ Vrrachæ reginæ in Hiſpania ſacrilegium ſequuta eſt admiranda prorſus ac celeritatis plena fuit. Nam cum in bello quod aduerſus filium Alphonſum gerebat pecunia ei deeſſet, & ſancti Iſidori in Legione vrbe Hiſpaniæ fanum ſpoliare decreuiſſet:cæteris cõtingere ſacros theſauros reformidantibus, ipſa manu ſua multa auferens, dum templo egreditur mortua concidit.

De Honorico Vandalorum rege.

Honoricus Vandalorum rex in Africa cum Arriana hereſi laboraret,complures catholicos epiſcopos aut ab Africa exilio multauit, aut morte affecit. Itaque non multo pòſt in phtyriaſim morbum incidit, ſcaturientibusque ab corpore eius vndiq; pediculis, hoc ſupplicij genere ſceleris ſui pœnas ludit.

De Vladiſlao Hũgariæ et Poloniæ rege,et Ioãne Vniade Vaiuoda.

Datam fidem quæ iureiurando vallata ſit, etiã hoſti aduerſæ religionis,religioſe ſeruari debere, Vladiſlai Hungariæ & Poloniæ regis infœlix exitus, vnà cũ cladibus quas Ioannes Vniadus Vaiuoda(id dignitatis nomen eſt) tranſyluanus tulit,apertè declarant. Nam vt ante ſæpius fœliciter aduerſus catholicæ fidei hoſtes pugnârant,poſteaquã impulſu Iuliani Cæſarini Cardinalis, atque Eugenij quarti pontificis legati inducias violarunt,cum Morato ſiue Amurathe Turcarum rege iuratas ſoluente eos ſacramenti

nexus

nexus Pontifice, aduersus Turcas cum exercitu profecti, iuxta Varnam occiso rege vnà cum legato, Ioannes in turpé fugam coniectus: non solum viri fortis laudem amisit, verumetiam cũ Morato siue Amurathe conserta manu haud longè à Bulgaria (hæc Scythiæ pars est) iterum cum Pannonijs quibus præerat prælio victus & in fuga subsistere à Georgio Seruiæ Despoto (id etiam potestatis nomen est) coactus haud partuo labore, non sine magna vi auri ab eo se explicuit. Qua re satis apertè ostensum fuit, parum probasse immortalé Deũ vt iusiurando data fides, violaretur.

DE OMINIBVS SIVE AVGVRIIS Cap. III.

SOlent nonnunquam aut verba casu enunciari, aut etiam res euenire, quæ experimento postea inueniuntur, aut autoribus eorum, aut his qui ea notarunt futura prænunciasse. Hæc prisci homines gentilesque cum superstitiose nimis obseruarent, omina nũcupabant, quæ haud incongruè prognostica quoque nuncupari possent. De hiordinem quem proposuimus sequentes, nonnulla exempla suggeremus, de quibus mentionem faciamus non indigna, quorum exitus quanquàm sæpe fallat, non erit tamen ab re, quid de his veteres censuerint, ostendere.

De Lucio Lucullo Romano consule.

Cum afflictis regis Mithridatis rebus, Lucullus à bello pene confecto reuocatus esset, atque in Galatia cum Gn. Pompeio successore conueniisset & vtrique lictores facesq; laureati essent: cõtigit vt Pompeiani lictores nimijs caloribus ac præ viæ longitudine exiccata lauro sua, Luculliana lauro, quæ recentior & propterea viridior erat, se fasces que suos exornarent: augurati ex Luculli victorijs Pompeium non mediocre adiumentũ, ad Mithridaticũ triumphum esse reportaturum.

De M. Crasso.

Infelicis euentus crudelisque mortis atque ignominiæ omen fecisse notatum est quendam poma vendentem, dum Brundusij M. Crassus traijcere ad Parthicum bellum vellet exercitũ. Nam cum (vt moris eiusmodi hominum est) clare

clare Cauneas exclamaret (id ficus à loco cognomen trahentis nomen erat) visus putabatur eo verbo Latinè significare velle: Caue ne eas.

De eodem.

Idem haud fœliciora sibi ipsi ominatus videtur, cum in eadem expeditione Euphratem amnem traiecisset. Nam è more exercitum alloqueretur atque vt alacri animo hostem inuaderent, hortaretur, dixit vt maiorem audẽdi necessitatem ostenderet, põtis facultatem ex amne à se sublatam. Quod cum ipse in eam accipi partem vellet, vt sublata fugæ spe milites in virtute sola spem ponerent, in tristem ominationẽ tunc acceptum esse exitus infœlicis prælij confirmauit: quod neque ipsi, neque filio imò ne exercitui quidem pauciſsimis militũ exceptis regrediendi via patuit, omnibus à Parthis miserabilem in modum occisis.

De Claudio Imperatore.

Claudius princeps postremis vitæ suæ temporibus pro tribunali, poscente ità sermonis materia, cùm dixisset ad vitæ finem peruenisse (dictum qui ãstabant abominantibus) casus tulit vt sæpius idem repeteret, breuique euentus rem comprobaret.

De Nerone Imperatore.

Nero Imperator non minus apertè, quàm Claudius futura mala suæ mortemq; ominatus est. Nã paulò ante quã Galba rebellaret in Senatu, de Vindice qui desciuerat verba faciens, diceret: Haud diu pòst, huiusmodi scelestos homines pro criminũ magnitudine pœnas daturos. Ab vniuerso Senatu responsum fuit: Tu is eris Auguste. quod verbũ & Nero & Senatus in eã partẽ accipiebant, vt ipse puniẽdorũ eiusmodi hominũ author esset. Sed exitus contrariũ ostendit: quia ambiguũ verbũ ad id traxit, vt intelligeretur futurũ Neronẽ illum in quẽ Senatus animaduerteret. Illud quoq; in Nerone à multis notatũ fuit, quod in vltima fabula quã Græcè de Oedipo exule in scæna cantauit Græcum versum pronunciauit, cuius hic sensus: Morti mẽ coniunx, pater & mater dãnarunt, quod in eã partẽ acceptum fuit, vt ipse sibimet prædiceret, matris ac coniugis quas necauerat: item Claudij quem veneno, imperij causa sustulerat, vmbras iustè eum ad mortem citare.

De Domitiano Imperatore.

Idem penè Domitiano contigit, pridie enim quàm occideretur cũ porros quosdam dono missos in posterum diẽ asseruari iussisset: verbum hoc subiunxit, si modo eis frui concedetur. Inde conuersus ad eos qui astabant dixit: Fore vt sequenti die luna in aquario cruentaretur, facinusque inde sequuturum, de quo per totum terrarũ orbem homines loquerentur: scalpensque interim tuber quod in fronte gerebat, ita vt sanguis ex eo manaret, dixit: Vtinam hactenus & non vltra fluat sanguis. Mortem suam proximam ijs verbis ominatus, quæ casus & nulla data opera tulit.

De Helio Adriano Imperatore.

Postrema die, quæ vltimum natalem diem Helij Adriani Imperatoris antecessit, cùm is esset in Senatu, ad eum venit quidam vlulans gemensque, obscura voce, parumq; intellectis verbis: qua re (tanquam quæ mortis esset præsagia) turbatus Adrianus, cum senatum alloqueretur & post mortem filij mei dicere vellet, post mortem meam dixit. Id quod res triste sequuta omen (breui enim mortuus est) verum eum ominatum declarauit.

De Geta filio Septimij Seueri Augusti.

Cum simul sermones sererent Antonius Basianus cognomento Caracalla, Getaque ipsius frater detectis coniurationibus aduersus Seuerum patrem, dicente Basiano debere coniuratos omnes occidi. Respondit Geta mortem suam ominatus: Tu qui nemini parcis, posses ne etiam fratrem interimere? nec multo pòst mortuo Seuero patre Basiani opera Geta fuit interemptus.

De Antonino Pio Imperatore.

Hi de quibus diximus, aut suis, aut aliorum verbis mortem sibi ominati sunt. At contra Antoninus Pius imperii. Nam Adriani Augusti decreto, ad Italiæ administrationem ordinatus, ea hora, qua primò tribunal conscendit Augusti nomine (quod solis Imperatoribus dabatur) salutatus, imperij sui hoc omen accepit.

De P. Helio Pertinace Imperatore.

Contigit vt sæpius mala sua homines quàm bona ominentur, sicuti in Pertinace Imperatore perspectum est. Nam cum

cum ei Didius Iulianus adhuc priuatam agens vitam, fratris filium præsentaret, Pertinax adolescentem hortatus, vt patrui dicto obediens, cùm reuerteretur hæc verba protulit: Reuereare collegam, & successorem nostrum. Iulianus enim Pertinaci in consulatu collega, in proconsulatu successerat. Euentus enim rerum Pertinacis verba aliud significare ostendit, nam paulo pòst occiso Pertinace, Iulianus in imperio ei successit.

De Septimio Seuero Imperatore.

At sibijpsi malum Pertinax ominatus est, ita Seuero fœlicitatem filij verbum portendit. Etenim cum in villa sua Seuerus cum amicis satis parcè cœnaret, infantémque partiri alijs largius poma de secunda mensa videret, monito eo quod supra fortunam largior in partiendo esset, respondit filius, Si tunc parcior esset fortuna, vt pater dicebat, habiturum aliquando ampliorem: id quod pòst fœlix illud omen breui secutum est, creato Seuero principe, quo imperante filio fortuna quam ominatus erat, oblata fuit.

Item de Seuero.

Seuero filij verbum ominatum est imperium, mortem ei miles Aethiops præsignificauit, qui dicterijs gratiam principis captabat. Liberata enim à Barbaris Britannia insula, cum Romam redire Seuerus vellet, Aethiops obuiã se obtulit, serto ex cupresso facto coronatus. Itaque tristi eius aspectu, cùm turbatus esset Seuerus, pelli hominem confestim à comitatu iusserat. Cæterum cum hilari aliquo verbo emendare miles tristem funesti serti aspectum vellet, magis rem aggrauauit, principi dicens: Omnia habuisti, omnia vicisti, nunc tandem Deus efficiare. Quod verbum haud longè pòst in Britannia mortuus Seuerus impleuit, quia inde Romam perlato corpore, in Deorum numerum relatus est.

De Maximinis Imperatoribus.

Haud dissimile prodigium Maximinis patri & filio mulier fecit in foro Iulio, cum aduersus Senatum cum exercitu venirent: obuiam enim facta, passis crinibus attrataque veste Maximinos, magna inuocans voce, ante eorum pedes mortua concidit, postquam rem ante paucos dies

exercitus Maximinos interemit.

De P. Annio Tacito Imperatore.

Prænunciatum simili modo, sed cum læto euentu, priuato adhuc Tacito, ab eo quem male vexabant vmbræ, imperium fuit. Is enim in Syluani fano diu indefinenterque clamauit: Tacitus tandem poterit.

De Aurelio Alexandro Seuero Imperatore.

Aliorum verbo fœlix aduersaque fortuna ijs de quibus diximus prædicta fuit. At Alexāder Seuerus Augustus suę, & verbo suo & alieno omen accepit: nam cum in Gallia exercitum alloqueretur cupiens à fausto verbo sermonem ordiri, fortuna contrarium obtulit, quod vt malum omen fuit acceptum: Incœpit enim, occiso Imperatore Heliogabalo, ab Imperatoris morte sermonem exorsus. Inde autem cū ad Persicum bellum proficisceretur, vesana mulier, Gallica lingua hæc dixit: Vade, neque tibi victoriam polliceare, neque te tuorum militum fidei crede. Id quod recte monitum euentus docuit, ipso haud diu post à militibus occiso.

De C. Aurelio Valeriano Diocletiano Augusto.

In Gallia quoque apud Tungros in Leodiensi agro, cū illic statiua haberet Diocletianus, adhuc Roma. tantum eques tenuique fortuna, & hospiti parcè mercedem persolueret. Saga autem mulier obijceret, quod auare nimis cum hospite ageret: & is contra (vt fieri solet) responderet largius se acturum Imperatorem, ad ea affirmatum fuit imperaturum ipsum cum Aprum occidisset. Nec res verbo abfuit: mortuo enim Numeriano Cæsare Apri socori fraude, Diocletianus electus fuit, qui in consilio manu sua Aprum occidit.

De Ionatha Sauli Iudæorum regis filio.

Ionathæ Sauli regis Iudæorum filio augurio grandis victoria ostensa est. Nam cum Philistæi Iudæam magno exercitu petijssent, ita vt Saulus descendere in prælium vereretur, Ionathas vno solo comitatus, cū propè hostium castra ceu explorator accessisset, incertus quid ageret, captare aliquod auguriū decreuit, quod si ab hostibus vt castra iniret inuitaretur victoriam polliceri posset, secus autē si ab eis

eis pelleretur. Castris igitur per hunc modum appropinquans, cũ à Philistæis esset conspectus & per contemptũ ab eis, vt iniret castra, inuitatus, captato augurio stationeque mutata, ab alia parte castra iniuit, somnoque captos vigiles occidit. Ea re experrecti hostes somnolenti, & fortasis etiam ebrij, cùm maiorem ingressum esse numerũ putarent, sublato clamore, in fugam se coniecerunt, Saulòque terga statim sequente magna cæde deuicti fuerunt.

De Caipha Iudæorum Pontifice.

Non solum autem inter Romanos aliosque gentiles atq; Iudæos superstitione tactos, omina, auguriaque obseruata inueniuntur, verum eiusmodi quoque rerum in sacra Scriptura (cui catholica fides credit) mentio facta est. Nã Caipham Iudæorum Pontificem in Euangelio legimus (quo anno perfida Iudæorum gens Christum redemptorẽ cruci affixit) cum in consilio de eo loqueretur, dixisse, Pro populo necesse esse vnũ mori, ne tota gens periret. Quod à Caipha in aliam partem dictum, postea res ostendit verisimum fuisse omen, omnium salutis vnicum remedium esse Christi mortem.

De Pontio Pilato Iudææ præside.

Non est omittendum illud quoq; quod à Pontio Pilato manauit, & si cũ id diceret, parum rẽ visus est intelligere. Nã cũ dato militibus Christo vt crucifigeretur, & causam inscripsisset Iesum Nazarenum regẽ Iudæorum, peterentq; Iudæi vt titulum mutaret: dicerentque, quia se Iudæorum regẽ faciebat: vt sententiã mutaret nunquã addu ci potuit, Deo ita agente, vt etiam ex ore hostili, gloriæ Christianæ magnitudo testata, inuenirerur.

De Hierosolymarum præsignificata clade.

Hierosolymarum quoque cladem omen antecesit. Iudæus enim quidam, haud paulò ante in furorem cõuersus, per id tempus in templo, Veh, veh, clamabar, vrbi hominibusque, ac denique sibijpsi multa minitatus, vrbe demum à Romanis obsessa, vulnere in caput accepto, vitam vocẽque, qua Veh pronunciabat simul fininit.

RECENTIORA.

De Fl. Cl. Iuliano Imperatore.

Iulianus secundus Imp. cum Antiochia discedens contra Persas iturus esset, vbi vitam amisit, odio in Antiochenos propter motas ab eis seditiones incensus, ad populu se conuertit, malumque suum ominatus dixit: Se in eam vrbem nunquam rediturum. Marti quoque cum iuxta Ctesiphontem vrbem sacrificaret, neque in victima faustam rē vllam inspiceret, se Marti amplius non sacrificaturum affirmauit, opinione sua in vtroque falsus. Nam cum voluntate sua se in posterum, neque Antiochiam rediturum, neq; Marti sacrificaturum intelligeret, subsecuta breui mors docuit, ipsum sibi fatum quod imminebat prædixisse: quod rem vtranque quam se nunquam facturum dixerat, facere prohibitus fuit.

De Ambrosio Mediolanensi episcopo.

Notatum est non in antiquis solum Hebræis gentilibusque, verum in Christianis quoque & sacerdotibus omina auguriaque obseruata fuisse: nam cum sub primo Valentiniano Augusto, Ambrosius ciuis Romanus Mediolanum (vbi postea episcopus fuit) iudex ad vrbem gubernandam mitteretur, atque ei Probus vrbis Romæ præfectus administrationis normam, atque mandata (vt mos est) daret, iniunxit vt ad munus demandatum non tanquam iudex, sed ceu episcopus proficisceretur. Quo verbo cū Probus satis se declarauisse putaret, quæ eum agere in exercenda castis moribus iurisdictione oporteret, eius dignitatis quæ postea Ambrosium secuta est, ominator fuit.

De Augustino qui postea Hipponensis fuit episcopus.

In recentioribus ominibus minimè illud prætereundum est, quod Augustinus vir Carthaginensis, qui postea sapientiæ magnitudine inter quatuor ecclesiæ Doctores annumeratus est, sibijpsi contigisse scripsit. Nam cum accepta quidem fidei cognitione, nondum tamen baptismi charactere insignitus esset, magnisque ageretur animi æstibus, quidnam sequeretur, ac magnopere cuperet à Deo ostendi quid facere eum vellet. Ex propinqua domo audiuit verbum hoc decantari: Accipe & lege. Hocque sæpius iterari, eo verbo arbitratus se moneri quid ageret, acceptoque libro quem propè inuenit se esse (erat autem epistolarum apo-

apostoli Pauli volumen) aperto forte libro primum versum legit qui cũtinebat. Non in ebrietatibus, neque impudicitijs, aut contentionibus, sed induimini Iesum Christum: qua hora omine illo motus, decreuit nihil vltra Baptismum differre.

De Clodoueo Gallorum rege.

Omen de quo diximus initium fidei salutisque Augustini fuit, per similem modum Clodoueus Gallorum rex, victoriæ spem sibi promisit. Nam cum mouere bellum aduersus Alaricum Gothorum regem in Hispania decreuisset, priusquam signa exercitumque mouerer, nuncios cum muneribus in Turones ad sancti Martini fanum venerandi gratia misit, mandauitque vt templum ingressuri ea obseruarent, quæ futuri euentus, ex eo bello cõiecturam possent præbere. Fanum igitur ineuntes auditis monachis vespertinas horas canentibus, in ea parte Dauidici psalmi, quæ dicit: Tu Domine ad prælium virtute me accinxisti, captato omine ceu fœlicitatem portendente ad regem redierunt, narratoque omine, plenus bonæ spei rex bellum suscepit, victumque hostem è Vasconibus Auxitanisque pepulit.

De Hirprando Longobardorum rege.

Caio Mario Asellus ducem se prębuit vt L. Syllæ manus euitaret, at contra Hirprando Longobardorum regi bubo, qui hastæ quam manu gerebat insedit, vt regnum amitteret causa fuit: territi enim ignauæ auis omine, Longobardi statim regno eum priuarunt.

De Yda comite Bononiæ quæ est in Celtica Gallia.

Cum Ydæ Bononiæ comitis alludentes tres filij, sub matris veste se occultassent, virque eius Eustachius superueniens, quidnam sub eius veste lateret, interrogasset. Subridens vxor, tres inquit magni principes: quorum vnus dux, secundus rex, & tertius comes est. Euentusque mulieris verbum secutus est: siquidem primus puerorum Gotifredus Bolionus patruo Gotifredo in Lothoringiæ ducatu successit. Balduinus autem Hierosolymarum rex fuit. Postremus Eustachius Bononiæ comes.

De Balduino tertio Hierosolymarum rege.

Par omen Balduinus tertius Hierosolymarum rex, fratris filio Almerico Sareptæ, quæ nunc Ioppe, comiti tulit, cum in Baptismate eum coram sacerdote teneret, nomenque suum ei imponeret, à quibusdam enim rogatus quid baptismatis filio dato nomine suo bonæ fortunæ afferret. Respondit omne Hierosolymarum regnum se daturum, resque verbum comprobauit. Nam Balduinus sine liberis moriens Almericum nepotem successorem reliquit, qui postea Balduinus quartus fuit nuncupatus.

De Nicolao quinto & Pio secundo & Pont. Max.

Thomas Sarzanus legatus ab Eugenio quarto Roman. Pontifice in Germaniã proficiscebatur, & dum Alpes trajiceret incidit in Aeneam Picolhominæum Senensem Friderici tertij Imperatoris oratorem. Cùm autẽ in eodem diuersorio manssissent, atque Aeneas parcè ageret, viaticique impensas extenuaret, ab eum subridens Thomas: Quid tam opere victui parcimus, cum nostrum vterque ad Pontificatum sit ascensurus? quod ipsorum fortuna virtusque postea verum fecit, vt Thomas sub Nicolai quinti, & Aeneas sub Pij secundi nomine pontificiam obtinerent dignitatem.

De Paulo secundo Pontifice maximo.

Paulus secundus Rom. Pontifex eo die quo Franciscum Ruuerum Sauonensem ad Cardinalatum promouit: cum forte de ea re verba faceret, dixit se ea die successorem sum elegisse, euentusque verbo fidem attulit. Siquidem Paulo mortuo, Franciscus Ruuerus in Pontificatu sub Sixti quarti nomine successit.

De Paulo Riario Sauonensi.

Sixti Pontificatum cum alia tum furiosorum voces præ nunciauêre, sicuti Romanis quibusdam principibus, imperium. Nam antequam Sixtus crearetur, Paulus Riarius Sauonensis, quamuis tenui fortuna, nobili tamen ortus genere morbo impellente (vt interdum contingit) in furorem agebatur. Itaque è domesticorum custodia elapsus in publicum prodijt futuros Pontificem & Cardinales clamitans. Tulit autem fortuna vt creato Pontifice Sixto, inter primos Cardinales ipsius furiosi filius frater Petrus Riarius

rius promoueretur.

De Leonardo Ruuero præfecto vrbis Romæ.

Sixti mentio fœlicitasq; propinquorum quoque memoriam secum trahet. Leonardus eius ex fratre nepos fuit, qui re domi angusta, nec maiore virtute, ludibrio in patria erat. Etenim cum appellari eum contingeret, aiebat Comitem se appellari debere: & si quando de iungenda ei vxore per iocum sermo haberetur, se non aliā quā regis propinquam ducturū respondebat. Tulit igitur patrui fortuna, vt quæ de se aiebat implerentur: quia vrbis Soræ ducatu comitatuq;, & in primis Romana præfectura honestatus, Ferdinandi Neapolitani regis neptem duxit vxorem.

De Mauritio Parrhisiensi episcopo.

Finem ominibus Mauritij mentio imponet, qui postea Parrhisiorū factus est episcopus. Is tanta premebatur inopia vt mendicare cogeretur. Cæterum à nullo vnquam adduci potuit, vt accipere eleëmosynam vellet, si per iocum (vt in eiusmodi nonnunquam solet) ab eo exigeretur, vt se nunquam futurum episcopum, iuraret.

DE PRODIGIIS. Cap. IIII.

SVpra communem vsum res interdum veniunt, quas plerunque pro ipsarum varietate vel fœlicitas insignis vel aduersa fortuna sequitur. Veteres igitur Latini prodigia eas res appellarunt. De veteribus ergo primò, ac postea de recentioribus pauca quædam, sed insignia notabimus.

De Iesu Christi Saluatoris natalitio die.

Omnium prodigiorum illud primum post petitam immortalis Dei veniam (neque de eo loqui aliter fas esset) à nobis ponetur, quod natalitio die Iesu Christi in vrbe Roma trans Tyberim contigit. Ex fonte enim in quadā priuata domo, oleum manauit, vt is liquor ortum eo die ostenderet, qui ad humani generis salutem misericordiæ fons ac lumen erat futurus.

De Bochoro Aegypti Rege.

Haud iniuria secundum inter prodigia locum habebit, quod de Bochoro Aegypti rege contigit, ei enim nec admiratio, nec fœlicitas defuit: siquidem scripsit Eusebius Pam

philus, agnum in Aegypto mansuetum Bochori ingeniũ, Aegyptique fœlicitatem sub tam bono rege apertis verbis prædixisse.

De Tarquinio Superbo & alijs.

Anno quo Tarquinius regno pulsus fuit, propter morũ acerbitatem Superbi cognomento insignis, ad rem tã grandem præsagiendam obseruatum fuit canem, & præter eam serpentem quoque locutam esse. Quarto etiam. Qu. Fabij Maximi consulatu, & M. Claudij Marcelli tertio ex Sicilia nunciatum fuit, bouem idem egisse. Item quinto eiusdem Fabij & Qu. Fuluij Flacci consulatu durante Hannibalis bello, aliã Priuerni in Latio bouem in hominis verba prorupisse & postea L. Veturio &. Qu. Cæcilio Marcello consulibus propè vrbem Romam idem quoque aliam bouem fecisse.

De M. Ottone Imperatore.

Paulo antequam vrbem Romam Otto egrederetur, cum exercitu aduersus Vitellium profecturus (à quo victus prælio sibi ipsi mortem postea consciuit) Romæ nunciatum fuit, in Ethruria bouem clarè locutam.

De L. Sylla.

Lucio Sylla ab vrbe cum exercitu aduersus Mithridatem regem profecto (quo tempore C. Marius motis ciuilibus armis Syllam ipsum redire Romam coêgit) conspectæ fuerunt signorum hastæ ignem emittere, qui non sine labore extinctus fuit: magnoque fragore ac sonitu sereno cœlo per aërem territis hominum mentibus tubarum clangor exauditus fuit. Tubis, ferro atq; ignib. natura futuros motus præsagiente.

De Prodigijs quæ bellum sociale cum Romanis præcesserunt.

Anno qui bellũ cũ Romanis antecesit periculi & laboris plenũ L. Mario & Sex. Iulio consulibus in agro Mutinẽsi à multis grauibus viris, ciuibus Romanis, qui per Aemiliam viam iter habebant, duo montes fragore magnaq; emissa flamma simul concurrere conspecti sunt: non sine ingenti locorum atque hominum strage, vbi concursus factus est. Quo prodigio putauerunt homines mala prænunciari, quæ postea ex eo bello secuta sunt.

De

De Pluuijs prodigiosis & Statuarum lachrymatione.

Belli Punici secũdi mala cladesq; horrẽdis prodigijs natura prenũciare visa est. Cõsulibus enim Fabio Max. quarto & M. Claudio Mar. tertio, Romæ in foro boario sanguine pluit. Idẽ contigit in area Vulcani ac Concordiæ tẽplo. Sp. Posthumio, & Qu. Fabio Labeone cõsulibus: cum non minore admiratione Fabij Max. consulatu quinto scriberetur Priuerni lacte pluisse. P. autem Corn. Scipionis, & C. Lælij consulatu in Tusculano agro terra pluisse. Cæterum grauiore euentu consulibus P. Cor. Lentulo, & M. Bebio Lauini sospite Iunonis statua palam lachrymas effundere visa est, aliàs sanguine sudare.

De Hierosolymarum vrbe.

Horrenda prodigiorum de quibus diximus facies aliorum etiam, quæ non mira videntur similitudinem nobis proponit. Nam paulo antequàm Antiochus Epiphanes Syriæ rex captis Hierosolymis atque spoliato thesauris suis templo, Iudæorum gentem in extremam adduceret calamitatem, in cœlo conspecto sunt quadraginta diebus homines stolis aureis amicti, tanquam diuersæ acies in curribus concurrere, magno armorum fragore strepituq; equorum. Quod ne fabulosum putetur, Titus Liuius quoque non vanus author haud dissimilem rem Fabij Maximi cõsulatu quarto contigisse scribit. Dum ostendit in Ianiculo legiones armatas vltas esse, quæ tamen, cùm nusquam essent inuentæ, Rom. populo ad arma currente prodigij loco accepta res fuit.

De Iudæis quoque.

Paulò antequam Iudæi gens impia seditiosáque propter scelus suum à Vespasiano Augusto delerentur: diu supra vrbem cometes in gladij formam apparuit, sæpiúsque noctu, aperto sine humana ope templo, diræ voces clamantium: Hinc abeamus, exauditæ fuerunt. Nec sine Iudæorum terrore (licet aliud esse interpretarentur) armorum strepitus tubarúmque sonus ad humanas aures peruenit. In Paschate quoque ducta ad aram vitula, vt sacrificaretur, ante aram peperit.

De diuersis Prodigijs & monstris.

Sicuti

Sicuti Hannibalis in Italia, Romanorumque in Macedonia per eadem tempora bellum crudelitatis plena res fuit, & varietatis mirandæ, propter regnorum mutationes quæ secutæ sunt: ita etiam magna & extra communem naturæ vsum prodigia apparuere. Nam M. Marcelli, & Marci Valerij Tarquinijs. Item Sesse. T. Qu. Flaminij & Sex. Helij Pæti consulatibus, sues humanis capitibus nati sunt. Frusinonæ quoque agnus: idem C. Aurelio, &. P. Sulpitio consulibus contigit.

De Cæsare Dictatore.

Cæsaris Dictatoris mors quæ humano generi magno stetit, haud obscuris signis ostensa est. Nã non multò ante quàm periret, coloni Capuam Iulia lege deducti, cum nouas domos molientes sepulchra quædam diruerent, in Capys tumulo (qui Capuam fundasse dictus est) inuenta fuit ænea tabula in qua incisæ erant literæ monentes: fore cum Capys ossa detegerentur, vt vnus à gente Iulia progenitus suorum manibus occideretur, eiusque sanguis magno Italiæ damno vindicaretur. Grex quoque equorum, quos Cæsar traiecto Rubicone consecrarat, eo tempore cibo abstinere, clareque lacrymas effundere visi sunt. Auis quoque regulus cum in Pompeianam curiam rostro lauri ramusculum gerens intrasset, ab alijs auibus quæ eum insectabantur conuulsis sæuè pennis discerptus fuit. Addêre Eutropius atque Eusebius in agro Romano conuersum ad aratorem suum, bouem planè locutum frustra eum stimulis agere: quoniam prius homines quã frumenta deflutura erant.

De Claudio Imperatore.

Cùm adhuc priuatus esset Claudius, prima die qua consulatum iniuit Romæ per forum transeunti, aquila dextro eius humero insedit. In eo enim imperiũ ostendit ad quod postea Claudius conscendit.

De Agrippina Aug. atque Tito Vespasiano.

Mira quoque res, sed quæ infœlicitatem portenderet Agrippinæ contigit, Claudij vxori, anno antequam moreretur. Nam cùm esset in Germania in Vbiorum vrbe quæ ab eis nomine Agrippina Colonia postea fuit dicta, in ea vrbe agroque magnis hiatibus aperta tellus ignem emittebat,

tebat, omnia quę contingerẽtur consumentẽ: quì neq; alio aquis, neq; humore extingui poterat saxisq; aut pãnis dũtaxat, opprimebatur. Id quod imperante quoque Tito contigit, anno post Vesuuij incendium, nec multò ante eius mortẽ in Vrbe Roma. Ignẽ enim terra emittebat, quo Capitolium cõpluraq; alia ædificia (vt Dion Græcus scripsit) incensa fuerũt. Neq; ab hoc multũ dissimile fuit quod parentum nostrorum ætate contigit, cũ Carolus Burgundiorum dux Geldrensem cœpit vrbem. Incensa enim humo nulla conspecta flamma herbarum arborumq; radices cõburebantur, atque ab ea regione penè in Burgundiam vsq; malum illud penetrauit, neque remedia populi ad id satis inueniebant, & si ingentibus fossis incendio præcidere viã viresque conabantur.

De Prodigijs quæ apparuerunt in fine stirpis Cæsarum.

Vt in Nerone finis fuit Cæsarum stirpis naturalis adoptiuæque: ita eius etiam ingentia apparuerunt signa. Liuia cum recens Augusto nupsisset per Veientanam villam suam eunti, aquila in gremium eius gallinam candidam, in ore lauri habentem ramum demisit. In bonam partem augurio accepto, cũ curari diligenter gallinam iussisset, magnus ex ea candidorum pullorum numerus prouenit. Plantatus quoque lauri ramusculus ingens lauretum protulit, ex qua sylua obseruatum postea fuit vt triumphaturi laureum ramum sumerent, quem manu in triumpho gestabant, peractoque triumpho restitutus ramus plãtaretur, radicesque mitteret. Illud quoque notatum fuit deficcatum eiusmodi ramusculum, præsagium fuisse mortis illius, quì eum in triumpho gestasset. Cæterum postremo Neronis anno, vt propinqua eius mors Cæsarum quoque defecturа soboles ostenderetur, gallinarum candidarum stirps tota decrijt, lauretumque ex toto aruit defecitq; . Præterea statuis Cæsarum fulgure decussa fuerunt capita, sceptrũq; de manu Augusti ereptum.

De Nerone Imperatore.

Anno ante Neronis mortem in agro Marrucino in possessionibus Vectij Marcelli, qui procurator erat Neronis: pratum oliuetumque occa motum, viam, quæ vicina erat tran-

transilijt, atque ab alia viæ parte constitit: vt à Nerone ad alios ostenderetur tranſiturũ esse imperium. Ipso quoque anno quo Nero perijt Mausoli, in quo Augustus erat fores sponte patuêre, ex eóque audita vox Neronem ad se vocantis.

De Sergio Galba Imperatore.

In prodigijs Neronem Galba sicuti in imperio sequitur. Eius auo qui sacrificio fulgur procurabat, cum è manibus exta victimæ aquila rapuisset, atque in propinqua quercu reposuisset, augures monuerunt ipsius domui imperium serum quidem, sed certum portendi, quibus ipse, ne nullo modo fieri posse ostenderet, Respondit id demum fore, cùm mula peperisset. Nec verò Galbam ipsum cum à Nerone defecit ad imperij spem res vlla magis confirmauit, quàm cum ei nunciatum fuit mulam peperisse: verbi auiti memoria reuocata.

De eodem Galba.

Non minus euidentibus signis mors eius quam imperium significata fuit. Venienti enim Romam ex Hispania cũ per viam vtrinque in eius honorem sacra peragerentur, Taurus è manibus sacrificãtiũ accepto iã vulnere elapsus, in pedes anteriores ad Galbæ lectică se erexit, eãq; sanguine suo totã respersit. Deinde cũ vrbẽ Romã iniret, terra tremere ac mugire audita est. Calẽd. postea Ian. sacrificanti è capite lapsa est laurea, & cum è more milites alloqueretur, obseruatum fuit ei sellam paratam non fuisse, & in Senatu curulem præpostere positam esse.

De Aulo Vitellio Imperatore.

Et Galbæ de vita & Vitellio, quæ de eius imperio euentura erant prodigia ostenderunt. Nam cum audito Galbæ morte exercitus partem vnam Vitellius præmisisset, aquila eius partis signa circumuolans, lætis omnibus diu præcessit: ipsi autẽ vt cum reliqua exercitus parte se mouit ex capite laurea quam gestabat in amnem prolapsa est. In terram quoque statuæ, quæ in eius honorem positæ fuerant effractis cruribus corruere. Item Viennæ pro tribunali iusdicenti, pullus in eius humerum, postmodum in caput volans, illud rostro fodiebat, quæ omnia cum fine imperij ipsius

ipsius congruere putata sunt. Nam vt Legatorum opera atque exercitus quem præmiserat parte imperium peperit, ita postea quàm res gerere per se cœpit, illud corruit. Item posteaquam ab Antonio primo, cognominata Becco, Vespasiani nomine, prælio victus cæsusque fuit, quod per eum pulli in caput rostro fodientis auguriũ fuit expressum.

De Vespasiano Imperatore.

Vt Vitellio imperij finem aduersa prodigia, ita Vespasiano qui ei successit fœlicitatem læta ostensa prænunciarunt. Nam vt Vespasiæ matris tribus partubus, in eius villa haud longè ab vrbe ingens quercus per singulos partus ab imo stipite ramum emisit. Primus alijs subtilior cito exaruit, eiusque fortunam primò orta puella, quæ cito defecit, equauit: secundus surculus in satis magnam altitudinem firmitatemque ad fruges excreuit. Tertius arborem ipsam magnitudine roboreque equauit, ob eam rẽ cum pater Sabinus matri (quæ Vespasiani fuit auia) natũ ei nepotem dixisset, qui imperaturus erat, subridens respõdit, Mirari se quod cum auus esset integro sensu, filius eius deliraret. His verbis augurij neglecto effectu, quem tamen in Galbæ Ottonisque ac Vitellij discordijs Vespasiani virtus verum fecit.

De eodem.

Antequam ad Bebraicum haud lõgè à Brixello, Otto atque Vitellius manum consererent, conspectæ sunt in cœlo inter se duæ aquilæ dimicare, earúmque victricem à tertia quæ ab Oriente veniebat, depelli. Ita enim Imperij sors ostensa fuit. Siquidem victorem in eo prælio Vitellium reuertens ab Oriente Vespasianus superauit.

De Domitiano.

In prodigijs parem Vespasiano Domitianum filiũ ponemus, quamuis moribus longè dispar esset. Nam paulo antè eius mortem, in Capitolio cornix audita est Græcè loqui, Omnia bene erũt, sicuti verè fuit Domitiani superbiæ & crudelitati secutis Nerua Traianóque, mansuetudine clementiáque insignibus. Hócque facit vt minus videatur mirum, consulibus Marco Lepido, & Quinto Luctatio Catulo in Ariminensi agro legatur Gallũ esse locutũ.

De

De Tito Vespasiano.

Non minus horrenda fuêre prodigia quę ante Titi mortem (is Domitiani frater fuit) apparuêre. Nam in Campania propè Vesuuium montem, terra non sine ingenti hominum pauore tremuit: claréq; & in cœlo & in terræ gigantum species ac simulachra conspecta, etiam interdiu visq; ad ipsam vrbem fuere. Vesuuius quoque post eas res mirũ in modum ignes euomuit, fauillis in vrbem vsque penetrantibus. Aêr etiam per multos dies in noctis speciem caliginosus, & in fumo gigantũ simulachra apparebant, tubarúmque sonus magno omnium terrore (vt Dion Græcus scriptum reliquit) exaudiebatur.

De Antonino pio Imperatore.

Vt ostenderet fortuna Antonini Pij in imperio fœlicitatem lætissimis signis id præmonstrare visa est, Nam in Cilicia à deorum simulachris sponte & sine vlla humana ope laurea in sinum eius translata est atque in ipsius imperio vno partu mulier quinq; liberos enixa. In Mysia quoq; in arborum cacuminibus hordeum natum, quatuórque leones sponte sua mansuefacti, vltro se comprehendi tulerunt. Quæ omnia eò forte tetenderunt, vt Antonini in imperio fœlicitas humanitásque ostenderetur. Sub eius exitum serpens crinita ingentis magnitudinis apparuit, quæ apprehensa mordicus cauda semetipsam supra dimidiam partem deuorauit. Infans quoque biceps natus est, vt ex ijs ostenderetur ab annis, id est, ab æuo Antonium consumptum iri, ac Philosophum, et Verum ceu duo capita ei successuros.

De M. Antonino Philosopho Imperatore.

Antonini Pij mentio secum M. Antoninij philosophi memoriam trahit, qui natus octo annos inter Salios ab Adriano connumeratus, cum secundum morem in sacro puluinari Saliorum iacerent serta, ipsius tanquam manu hominis positum esset, in Martis capite fuit inuentum.

De Thimoleonte Corinthio.

Thimoleontis Corinthij similitudo in prodigio faciet, vt aliquantisper omissis Romanis hic de eo loquamur. Nam à Corinthijs dux belli aduersus Siculos de-

clara-

claratus cum in Delphico tẽplo Apollinẽ consuleret, à donarijs quæ in templa affixa erãt, ex alto in caput eius corona tam apte concidit, ac si manu ei composita foret. Quod in eam acceptum est partem, vt quod res fuit intelligeretur, ex demandato bello victoriam reportaturum.

De Commodo Imperatore.

Crudelis Commodi Imperatoris exitus, quẽ sæua prodigia antecessere, cogit me ab ijs qui prospera vsi fuerunt fortuna, ad eos qui infœlici fuerunt iterum redire. Nam præterquam quod diu in eius morte cometes apparuit, à multis templis quæ erant in vrbe cum simulachris deorũ effigies, quoque abire visæ sunt.

De Pertinace Imperatore.

Pertinaci qua die occisus fuit, id euenit, quod Iulio Cæsari contigisse minimè in obscuro est: sacrificante enim eo, in victima cor inuentum non est, quod cùm ei malum ominari videretur, & propterea iterum quærendo laboraret, epar quoque defuisse compererunt.

De eodem.

Paucis diebus antequam periret, fertur dixisse, se cum in viuarium inspiceret, in aqua vmbram conspexisse, quæ stricto gladio mortem minabatur.

De Septimo Seuero.

Seuero Imperatori & mors & fortuna gentis suæ manifesto prodigio ostensa fuit. Nam Circensibus ludis, à suggestu vnde is ludos spectabat, ex tribus victoriæ simulachris quæ de more appendebantur, ea quæ Seueri nomine inscripta erat in terram concidit: altera quam in Getæ honorem expresserant, cadens tota confracta est: tertia autẽ cui Basiani erat inscriptum nomen, è manu palma dilapsa est. Post hunc casum haud diu Seuerus vixit, Getam Basianus occidit, Basiano autem, ad imperium translato, nec diu frui vita contigit, & imperium inglorium fuit.

De duobus Maximinis.

Maximino patri scutum ad solem accensum est, & hasta fulgure percussa à summa ad imum vna cum ferro in duas discissa est partes: vnde aruspices dixerunt, ex eadem gente futuros Imperatores eodem nomine, qui paruo tempo-

re durarẽt. Ita enim cõtigit: pater enim & filius ambo Maximini, simul paruoque tempore imperarunt.

De Aureliano Imperatore.

Aureliano dum nasceretur fœlicia fuerunt prodigia. In pelui enim in qua lauabatur sæpius, serpens inuenta est in nodos inuoluta, quæ nunquam occidi potuit: & aquila ex cunis leniter raptum in propinqua ara, quæ forte sine ignibus erat, reposuit. In patris quoque villa natus est vitulus candore eximio insignis, in cuius latere purpureis maculis effigiata erat corona. Patre eius viuo adhuc inope & priuato, hæc prodigia contigerunt, quæ Aurelianus parto postea per virtutem Imperio, omnia vera effecit.

De Publio Annio Tacito Imperatore.

Tacito similiter imperij mortis signa contigêre. Sacrificanti in Herculis fano candidum vinum in rubens conuersum est. Item, vitis quæ vuas albas ferre solebat, eo anno rubentes permultas edidit. Mortis autem præsagia fuere spõte patefactum parentis sepulchrum. Item quod iam mortuæ matris vmbra ei apparuit: neque sine horrore diuersa in specie locoque fratris manes.

De M. Bruto.

Perspecta à Tacito materna vmbra, moner ne prætereat id quod non minore horrore à M. Bruto cum in Europam traijceret perspectum fuit. Nam cum noctu solus in tentorio esset, coram terrifici aspectus vmbram intuitus, Quænam ea esset, pro animi magnitudine qua præditus erat, interrogauit. Illa genium eius esse respondit, foreque vt iterum eam in Philippicis campis videret. Itaque posteaquã in Macedoniam peruenit, in Philippicis campis, nocte ea, quæ postrema vitæ Bruti fuit, iterum eandem sicuti prædictum erat, vidit.

De Dione Syracusano.

Virtutis prodigijque ac mortis similitudo, suadent ne Bruto Syracusani Dionis memoria seperatur. Is cum pol solis occasum, iam lucem certam dies amisisset, atque in ne porticus, in qua solus erat strepitum sensisset, ad strepitum conuersus, vt inter tenebras poterat, vmbram fœmineam ingentẽ macilentamque conspexit, in infernarum

tiarum effigiem formatam, quæ verrere domum videbatur. Quo prodigio territus (& si natura minimè timidus erat) ingentem edidit clamorem. Nec multo pòst huius simulachri conspectum à fenestris filius in terram se præcipitem misit, & ipse crudelem in modum cæsus fuit.

De Curtio Ruffo Romano.

Veterum prodigijs quæ phantasmata efficiebant, hoc quoque addemus, alijs de quibus diximus in hoc dissimile: quod illa acerbæ mortis, hoc autem fœlicitatis præsagium fuit, Cum Adrumeti (quę ciuitas est Africæ) Curtius Ruffus penes quæstorem, in cuius familia nulla insignis dignitate ageret, per meridiem in porticu deambulans, fœmineam vmbram augustiore forma, longè supra humanã vidit, à qua hæc verba accepit. Tu Ruffus es, qui in hanc prouinciam proconsul venies. Eo prodigio ad bonam spẽ erectus, haud multo pòst à Tyberio Africæ proconsulatũ obtinuit. Id quod visionis euentum impleuit.

De Lazate Adiabenorum rege.

Vox quoq; haud dissimilis Lazatis Adiabenorũ regis ortũ nuntiauit. Nã cũ eius mater Helena fœtu cum Monabozo (qui Bozeus est dictus) fratre eodẽq; marito Adiabenorũ rege iaceret, & is illius ventrẽ manu tractaret: vocẽ audiuit monentis, vt modestè tangeret, ne filium offenderet, qui æterni Dei iudicio principium finemq; miræ fœlicitatis erat habiturus, sicuti re ipsa postea perspectũ fuit. Nam in regno patri succedens, ab idolorum impietate populum ad Iudaicum cultum transtulit, vir bonitatis non modò, verum etiã fœlicitatis in visis vocibusq; iam dictis fuit, eò miseriarum pleniora fuere quæ sequuntur.

RECENTIORA.

De Constantio & Fl. Cl. Iuliano Imperatore.

Constantio Imperatori infœlicis prodigij phantasma in Asia apparuit, paucis diebus antequam moreretur. Perspecta sæpius vmbra, quæ ei offerebatur mœsto valde aspectu, Iuliano quoque Imperatori ea nocte quę dies mortẽ ipsius in Perside antecessit, cum in tentorio lectioni operam daret, horroris plenam vmbram offerri sibi intuitus, & præ formidine consurgens, vt è tentorio eam egredi cõ-

ſpexit, putauit genium ſuum eſſe, qui morti iam vicinum deſereret.

De Mauritio Cappadoce Imperatore.

Phantaſmata ſequentes, Mauritij quoque Imperatoris mortem, quæ crudelitatis multum habuit, ſubtexemus, ea in Conſtantinopolitano foro quidam religioſa veſte amictus, gladium manu tenens prædixit. Nuſquam poſtea ante id tempus à quoquam conſpectus. Quod fecit vt non homo, ſed potius ſpiritus aut phantaſma putaretur.

De Matthæo Vicecomite qui Mediolani rerum eſt potitus.

Haud multo antequàm Henricus ſeptimus Imperator moreretur, non ſine Vicecomitum gentis clade (vt Muſatus ſcribit cui Franciſcus Petrarcha aſtipulatur) in area adium Matthæi Vicecomitis, qui Magni cognomentũ meruit, poſt ſolis occaſum cũ iam adueſperaſceret, viſus eſt vir armatus in equo longe humana ſpecie maior: vbi à multis conſpectus per horæ ſpacium poſtea euanuit, magno eorũ qui rem viderant horrore. Triduo quoque poſt, tertia noctis hora eodem in loco, duo equites pari ſpecie diu inter ſe dimicantes conſpecti fuêre, qui poſt aut ante alius ſolus, euanuerunt: interdiu quoque circularis ſpecies ſolis orbi ambire viſa eſt.

De Ludouico Alodiſio Imolæ Domino.

Quæ hactenus dicta fuerunt prodigia appellari fortaſſe poſſunt, ſed quòd ſequitur prodigij tráſgreſſum & magnitudinẽ miraculi nomẽ ſibi vendicat. Nõ indignũ quòd hic ponamus, cùm adhuc in phantaſmate pergamus. Ludouici Alodiſij pater, qui Imolæ rerum potitus eſt, haud diu poſteaquam deceſſerat, homini à ſecretis, quem filium Ludouicus Ferrariam mittebat in itinere equo inſidens cui accipitre (vt in aucupio mos ei erat tenere) apparuit, huicque quamquam magno capto formidine dixit, Vt filium moneret, vt poſtero die in eum ipſum veniret locum, quoniam magni momenti res ei prædicturus erat. Ea re audita Ludouicus, tum quia non credebat, tum quòd inſidias verebatur, alium pro ſe miſit. Ei illa ipſa vmbra quæ ante apparuerat obuiam facta vehementer indoluit, quòd filius non veniſſet: longè enim plura ei dicturam ſe fuiſſe affirmã-

firmabat. Sed tunc illud tantum referri iussit, quòd transacto, scilicet, 22. anno, ac præterea vno mense die quoque specificè addito, vrbis imperiũ quòd obtinebat, esset amissurus. Vt tempus quod vmbra prædixerat, aduenit, adhibita magna cura ea ipsa nocte, quã patris manes suspectam fecerant, ducis Philippi Mediolanensis (cui is fœdere iunctus propterea ab eo non timebat) milites glacie magna cõstrictis fossis ad muros penetrarunt, adhibitisque scalis, vrbem cum ipso principe cœperunt. Sed iam ab ijs ad lætiora transeamus prodigia.

De Apostolis.

Si capiti circumfusus ignis Seruio Tullo regnum, ac C. Mario victoriam portendit, non minus mirus, sed fœlicioris prodigij is ignis est habendus, qui linguarum specie Apostolorum capita circumfulsit: qui eorum cordibus charitatem sapientiamque eam infudit, qua totum terrarũ orbem postea ad diuinum cultum incenderunt.

De Martino Turonensi Episcopo.

Hoc igne correptus in Gallia Martinus qui ad Turonẽsem episcopatum assumptus fuit, magna spectantium admiratione, dum Christianam hostiam immolaret, ingentẽ flammam emisit, vt ex eo qui aderant intelligere possent, quam celebre clarumque sanctitatis nomen in Dei ecclesia esset habiturus.

De Ambrosio Mediolanensi episcopo.

Dum Ambrosius quẽ episcopum Mediolanenses habuere, quartum & 40. psalmum interpretatur: flamma ingens circum caput micare, atque per os pectus eius irradiare visa est, vt diuinitus immissum in eo sacrum dogma putetur, & propterea ijs quæ scripsit obijcere nullus valeat: cui etiã addemus (ne soli Platoni apes mel in os instillasse dicantur) grauissimorum virorum testimonio scriptum esse: idẽ ei infanti contigisse, vt ex eo vere præmonstraretur eloquij eius futura suauitas & magnitudo. Hac enim effecit, vt Theodosij augustale fastigium ecclesiæ censuram non aspernaretur. Hac Auxentij Arriani episcopi furentes impetus cohibuit, aut potius vicit: qui doctissimis luculentissimisque scriptis labentem catholicam fidem sustinuit, qui

mellis prodigio hoc maiores dedit effectus quò falsis vera & solida maiora esse duci debent: & propter hoc excellentior Stesichoro poëta habendus est, in cuius ore philomena auis suaues cantus concinuisse fertur.

De Bamba Gotho Hispaniarum Rege.

Quæ diximus prodigia morũ sanctitatem ac doctrinam, cæterũ quòd in Bãba apparuit bonitatem synceritatis immensæ ostendit. Nam cum in Toletana ecclesia Archiepiscopo Quilico pro regni Hispaniẽsis dignitate vngeretur, ab ijs qui aderant visus est ab oleo quo vngebatur, vapor clarus ad cœlum conscendere, & eandem sequi viam, qua vertice ipsius egrediebatur flamma.

De Pertharite Longobardorum Rege.

Spoliatus in Italia paterno regno Pertharites aliâs Pertaris Longobar. à Grimoaldo Beneuentano duce, quem in discordia frater eius ad ferendam opem vocârat, cũ ex Gallia in Britanniam omnium egens traijceret, prodigio fœliciore, quàm Mancinus, vocem sine vllo certo authore audiuit, monentis Grimoaldum mortuum esse, & propterea hortantis vt ad paternum regnum rediret. Is igitur in Italiam conuersus, nullo labore regnũ quòd amiserat recepit.

De Anastasio Abbate.

Inter multa regum prodigia abbati quoq; Anastasio locus dabitur, quoniam prodigij magnitudo non abhorret. Is enim à saxo quod monasterio suo imminebat, vocẽ exaudiuit, secum quinque alios vocantem, cuius vocis authorem nullum videbat: nec multo pòst septimus quoque fuit vocatus, qui omnes eo ordine quo vocati erant, haud multo pòst mortui sunt, hæc legimus: quod sequitur ab eo cui res euenit, audiuimus.

De Opicino Cacia Nouariensi.

Cum domi suæ Opicinus Cacia Nouariæ per meridiem solus deambularet, cogitabũdus vocari se nominatim, neminem videns, audiuit & postea dici: Velléne vt filius tuus moreretur? cui cum nulla ad cogitandum mora interiecta, Velle, se dixisset. Deinde ad se reuersus statim quòd annuerat, negasset, ob prodigij atrocitatem mœroris plenus erat. Itaque intra triduũ Ioannes Baptista eius filius, quem vni-

vnicum habebat, in aduersam incidit valetudinem, & biduo post decessit, & ne vllum prodigiorum genus omittatur eorum, quæ vel legimus vel vidimus, à cœlestibus principium sumemus.

De Prodigio magno.

Cum in Oriente Valens Arrianus imperaret, anno primo, quo Gratianus in Occidente gessit imperium, in Gallia scriptum est diem vnam pluisse lana iuxta vrbem Atrebarensem, prodigij interpretatione in ambiguo relicta. Vtrum per eam pluuiam Gratiani bonitas, an Valentis perfidia declararetur: id quod postea detectum est in Valentini fratris morte.

De Prodigijs quæ aduentum Longobardorum anteceſſerunt.

Ad declarandum Longobardorum in Italiam aduentū, qui anno salutis 568. fuit ipsi Italiæ atque imperio calamitosum ante horroris plena prodigia apparuêre. Triennio enim ante in cœlo visæ sunt armatorum turmæ, infestis ignibus pro telis concurrere qui sanguinem effundebant.

De Prodigijs peſtem nunciantibus.

Italiæ quoque vastitas, quam pestis intulit prænunciata fuit. Hæc autem totam penè occidentalem plagā occupauit Anno salutis millesimo duodecimo, Pōtificeq; Benedicto octauo. Terræ enim motus ingētes fuêre lunaq; tota sanguineo colore erubuit. In Gallia quoq; in Lothoringia fons multos dies sanguine manauit. Ante etiam imperante Ludouico cognomine Pio, Pontifice Paschali primo, in Italia penè diem totā lapidibus pluit. Dicta iam prodigia peſtem, at quæ sequentur bella scissuras que in Catholica ecclesia significarunt.

De Prodigijs bellis ſignificantibus.

Imperante Ottone primo, Ioanne autē duodecimo Pontifice, (fortasis vt eorū vitæ turpitudo morsq; ostenderetur) non sine magna omniū admiratione, in vestibus in Italia cruces rubentes apparuere, è cœloq; cecidit lapis stupendo ingenti: quæ res credibilius facit id quod Anaxagoræ Clazomenio prædictū fuit, scilicet è cœlo casurū secundo anno, octauæ supra LXX. olimpiadem saxum, id quod postea contigit ad flumen Aegos in Thracia, vbi species eius

ad plaustri magnitudinem apparebat. Item alterius in Abydi gymnasio in Casandria, quem Plinius se vidisse scribit: & alterius qui id Vocuntijs cecidisse dicitur. Sed ne vetera tam diu repetamus, ætate nostra haud longè à Crema in agro Ripaltensi cœlo sereno lapis magno fragore cecidit capitis humani magnitudine, qui se in terram penitus vltra duo cubita condidit, & in duram incidens materiam in duas partes scissus est. Præterea ætate quoq; nostra anno salutis supra millesimum ac quadringentesimum nonagesimo secundo, in Germania ad Rheni ripas propè oppidum Ensheym, quinque miliaria distans à Basilea vrbe, sexto Calend. Decembris triangulari forma lapis ponderis trecentarum librarum cecidit. Sequētique anno tertius Fredericus mortem obijt.

Ante quoque quàm schismatici tumultus inter Calixtū secundum, Burdinumque orirentur, in Gallia in Leodiensi agro, porcus capite effigieque humana natus est, Anno quoque salutis M.CCC. additis quindecim, in agro Veronensi equus similiter capite humano ortus est.

Item anno qui ante schisma Gregorij atq; Gilberti Ravennatis episcopi fuit, qui Henrici tertij Imperatoris fauore, Clementē se vocari iussit, in Britānia sanguine fons manauit, & plusquam quindecim dies aues cicures effetæ sunt. Hæ quoque Pontifice Victore tertio vitantes hominum consuetudinem, ad syluas nemoraque fugêre: fortassis vt hac fuga pestem quæ postea fuit salutis anno octuagesimo nono supra mille, demonstrarent.

De Prodigio ingenti.

Anno supra mille trecentosque quartodecimo. Calend. Martijs in Italia crux in luna apparuit, posteraque die tres soles conspecti fuere in medio trium orbium, qui iridis speciem præbebant. Horum tertius imperfectus altero cornu occidentem, aquilonem altero spectabat: quo prodigio fortitan Vgutio cognomento Fagiolanus ostensus est, qui Pisanarum copiarum ductor Maio proximo Pisarum Lucæque imperium inuasit.

De Prodigio pestem significante.

Imperāte Lothario imperij eius anno octauo, ad signifi-

candam

candam pestem, quæ eo anno crudeliter sæuijt in Saxonibus, natus est agger, siue collis sex passuum milia longus, & grandine mixtis lapidibus pluit.

De Prodigijs quæ desinente Caroli Magni stirpe apparuerunt.

Anno qui Caroli Lotharij filij mortem antecessit, quo anno desinente in Gallia masculina stirpe Caroli regis cognomento Magni, Hugo Capetus Gallicum occupauit regnum, manifeste in Gallia frumento, aqua & piscículis mixtis pluit.

De Prodigijs item bellum ac schisma ostendentibus.

Vt de Prodigijs bellum ac schisma prædicentibus scribam, me impellit id quod conrigit priusquam Henricus quintus, cum Paschali Pontifice discors esset, (ex eorum enim discordia bella ingentia secuta sunt, hoc prodigio significata) quod Iunij tertio decimo die in regione quæ quondam Aemilia, nunc sub Romandiolæ nomine censetur, palam sanguine pluit, Salutis anno quartodecimo supra mille centumque. Anno quoque priusquam Fridericus primus Imperator cum Alexandro Pontifice ad bellū descenderat, clarè effigiata in ipsa luna crux in eius medio apparuit. Item. Salutis anno LXIX. supra mille centumque, regnantibus ijsdem Pontifice Imperatoreq; nonis Septembris tres apparuêre soles occidentem versus qui vltra duas horas cō spectí sunt: post quod tempus sol is qui inter tres medius erat, permansit. Anno quoque qui Friderici mortē antecessit in Italia lapidibus aqua mixtis pluit. Item anno salutis CCVII. supra mille imperante Philippo in Germania cum publicè epulum præberet, sol in tres scissum partes apparuit: quæ huud multo pòst in vnum orbē conuersæ sunt, quod fortasse præsignificauit imperij inter Fridericum iucundum, Philippum, Ottonemque scisionem. Quod postea penes Fridericum solum permansit.

De Prodigio ingentis admirationis.

Nónne illud quoque mirum inter prodigia duci debet, quod anno salutis decimo octauo supra mille ducentosq; in Germania in pago Colonienfis agri, qui Ledon dicitur visum est. Cum in cœlo tres apparuêre colore candido cruces: quarum quę media erat Christi crucifixi imaginem

expressam habebat.

De Hominum simulachris in aëre conspectis.

Item, Salutis nonagesimo tertio supra mille trecentosque Maio mense, iuxta Nouionum in Gallia, paulo antequam Philippus Deodatus Britannos Normandiæ finibus pelleret, in cœlo conspectæ sunt armatorum turmæ, in prælij speciem concurrentes. Idem apparuit Calend. Febr. paulo antequam inter Carolum Simplicem Gallorũ regem eiusque proceres discordiæ erumperent: quod repetitum est Ludouico eius filio regnante ad stragem significandam, quam Pannonij in Burgundiam intulêre. Gens enim rubenti colore in cœlo conspecta est.

De Prodigio iterum simulachrorum in aëre conspectorum.

Matthæi quoq; Vicecomitis tẽporibus, dũ Mediolani rerũ potiretur, circiter eius mortẽ, forsitan ad bella, quæ post ea secuta sunt, Itẽ ad filij Galeatij exiliũ deinde carcerẽ, ostendendum, quæ Ludouici Bauari imperantis manu gesta sunt. Supra Mediolanũ vrbẽ Modœtiã, conspecta gens in cœlo multiplex discolorq́; inter se concurrere amorũ fragore strepitu equorum palam exaudito.

De Leodiensium prodigio.

Apertũ signũ nõ modo prodigium videri illud debet, q̃ propè vrbẽ Leodiũ in Gallia contigit, paulo antequã orta de vrbis episcopatu cõtentione, ab eo cuius partes Burgundionum dux Ioannes fouebat, aduersa pars superata est: in quo prælio vtrinq; perẽptorũ 30. milia desiderata sunt: Eo enim in loco vbi præliũ cõmissum est, corui impetu facto aquilæ gen⁹ illud (quod nunc falconẽ dicimus) nido effractis ouis pepulerũt. Postero die reuersus falco, qui pulsus fuerat magno aliorum falconũ numero comitante, coruis quoq; ex aduerso magnũ, in numerũ coactis, graue præliũ cõmisit. In quo superati corui ad vnũ omnes perière. Quæ res circa Constantiensis concilij tempora contigit.

De Venete Classis prodigio.

Non iucongruum videtur propter propter prodigij similitudinẽ, id quod Venetæ classi propè insulã quæ nunc Sapientia dicitur, in Peloponnesi contigit. Illic enim in aëre magna vi coruorũ inter se dimicante superataq́; ea coruorum

rum parte, quæ ſupra Venetã claſſem erat, in claſsis triremes plumæ ſanguisq; deuictorũ coruorũ cõcidit. Itaq; poſtero die claſsis ipſa, quæ 36. triremb. & biremibus duabus & viginti cõſtabat, à Pagano Auria Genuenſiũ triremium ſex & triginta præfecto, tota deuicta ac capta fuit, vnà cũ Nicolao Piſano Venetę claſsis præfecto, & Venetis quinque milibus & vltra, multo vtrinque effuſo cruore.

De Prodigio Genuæ calamitatem monſtrante.

Cum in Italia Berengarius ſecundus, in Germania autẽ Henricus Ottonis primi pater rerum potirentur, Salutis anno 36. ſupra noningentos: Genuæ in vico cui fonticulo nomen erat. (Nunc autẽ Bordigotus dicitur) iuxta portus molẽ, fons integrũ diem ſanguine manauit. Nec verò minus horroris deliderare videbatur in prodigio in calamitatis atrocitas quæ ſecuta eſt. Genuam enim Sarraceni petiêre, qui captam vrbem non contenti diripuiſſe, totã incenderunt, atq; per vrbis vicos cęſorũ ciuiũ ſanguis haud parcius exundauit, quã fons in ſanguinẽ verſus præmonſtrare videbatur, ſed tamen ingentem ciuium cædem ac funera illud etiam ſuperauit, quòd fœdum in morem matribus familiãs atque ingenuis virginibus ad ſtuprum raptis, eas in Africam in miſera ſeruitute victuras Genuenſes qui ſupererant auferri viderunt.

Iterum de Genua.

Poſt illatam à Saracenis cladẽ minimè ab re videtur oſtẽdere, & prodigiũ anteceſſerit, cũ Genuenſes in libertatẽ imperante Philippo Mediolanenſiũ duce ſe vẽdicarunt. Eo enim ipſo tẽporis momẽto quo Genuẽſis claſsis prefectus Baſilius Axaretus claſſem cõſcẽdit, qua Alphõſum Siciliæ & Aragoniæ regẽ atq; Ioannẽ ipſius fratrẽ, ipſum quoque Nauarræ regẽ cœpit, fulgur in vrbe Genua ex apice cãpanariæ turris ſani ſancti Ambroſij Mediolanenſiũ patroni, nulla in alia parte læſa turri pietatis marmoreum ſignum decuſsit. Itaque deuictis nauali prælio captisque regibus ipſis, cum Blaſius contra officium (vt Genuenſibus videbatur) Philippo duci captos reges dediſſet, isque nulla Genuenſium habita ratione, quorum ſanguine atque impenſa parta victoria erat, eos liberaſſet, dolore per-

perculsi Genuenses ad recuperandam libertatē conspirarunt. Vrbique succesſit vt quòd non niſi difficillimè fieri poſſe videbatur, ſine vllo publico malo potentiſsimi principis iugum excuteret. Huius autem prodigij facies haud diſsimilis, niſi in fine ab eo fuit, quòd mihi in patria principi contigit. Nam primis tēporibus, quibus rerū potitus ſum, fulgur in turri Farea, vbi è more gentis noſtræ inſignia picta erāt, illæſa manēte turri, tria in eis foramina eſſecit: per ea imperij mei numerum annorum oſtendens. Nocte quoq; diē eam inſecuta, qua in excidiū meū conſpiratum eſt procella malum defregit, quo in palatio tolli ſigna noſtra conſueuerāt, isq; ſupra cubiculi mei tectum cōcidit, & familiæ noſtræ ruinam haud obſcuræ oſtendit.

De Eugenio IIII. Pont. & de ſchiſmate, & de Florentinis.

Ad prodigiorum finē acceleranti duo fulgurū exēpla occurrunt ad ſignificationis euidentiā non minus aperta, quā quæ ſuperius dicta ſunt. Ex ijs enim nō fine cauſa intelligetur, veteres cum eiuſmodi res contingerent eas obſeruaſſe. Anno antequā ſchiſma erumperet inter Eugenium IIII. Pontificem atque Amadeū Sabaudienſem à concilio Baſilienſi ad Romanum Pontificatum electum, cui Fœlicis nomen indiderant. Cùm in Germania eccleſiæ in diuerſa ſtudia ſciſſæ eſſent, atque in Italia bella cædesque peragerentur: eodem die in vrbe Roma fulgur quatuor templorum Pontificiæ curiæ dicatorum, campanarios turres chorosque tantum percuſsit. Similiter eo anno, qui aduentum Caroli octaui in Italiam anteceſsit, in vrbe Florentia ſanctæ Reparatæ fanum, in ſublimiori parte de cœlo tactum fuit, lapideque immenſæ magnitudinis quo fornix claudebatur ad terram fulgur deiecit. Quæ res immenſorum malorum illi vrbi præſagium fuit: nam poſtera die mortē obijt Laurentius Medices, potentia prudentiaque Florentinæ vrbis primarius, cuius opera plurimum fines ſuos reſpub. Florentina protulerat. Deinde in Florentinorum finēs profecto Carolo octauo Gallorum rege, Sergianę, Petraſanctæ, ac Piſarum imperium Florentini amiſêre. Laurentijque liberi, Petri culpa, qui inter eos maior natu erat, bonis omnibus ſpoliati in exilium abiêre.

De

De Prodigio in Caroli Octaui aduentum in Italiam.

Relicturi lectorum arbitrio quo nomine id appellandū sit, quod in Italia contigit Caroli octaui vltimis annis, duo hic admiratione non indigna ponemus: quo anno is in Italiam ad Neapolitanam expeditionē venit, cuius paruo labore cōpos factus, breui etiā partorū possessor fuit. Is enim salutis annus fuit nonagesimus quartus, supra mille quadringentosque, in Cisalpina Gallia manna pluit, quæ ex arborum frondibus lecta, ad medicinam salutaris fuit inuenta: cuius rei Plinius mentione facta (contigit enim alijs temporibus ea pluere) non Manna, quod nomen Hebræū est, sed cœleste mel ac medicinę parū idoneū appellat. Biēnio quoque antequā Italiam Carolus veniret, noua ægritudo inter mortales deiecta, cui nec nomen, nec remedia medici ex veterum authorum disciplina inueniebant, varie vt regiones erant appellata. In Gallia Neapolitanum dixerunt morbum, at in Italia Gallicum appellabant, alij autem aliter. Nonnullique Iob sancti ægritudinem esse dicebant, cuius vis grauiter artuū iuncturas torquebat, quibusdā totū corpus vlcere corripiebat, quosdam autē in gāgrenæ morē corrodebat. Id autē quod in ea maximè mirū fuit, erat, quod contagionis vires in coitu solo exercebat, à genitalibusq; mēbris primordia sumebat, Id quoque in ea non leue visum fuit, quod qui ei curādæ operā dabant, nisi diligenter sibi vitæ modestia cauissent, posteaquam morbum euasisse videbantur, tanquam id ab initio pullularet, in id recidebant. In senibus quidem ea ægritudo incurabilis apparuit. Quæ pestis (ita enim visa est) primo ex Hispania in Italiam allata, ad Hispanos ex Aethiopia, breui totum terrarum orbem comprehendit.

DE SOMNIIS. Cap. V.

OMinibus prodigijsq; haud incongruè somnia subiūgentur, siquidem sæpe inuenta sunt verè clareque futura præmonuisse. Eorum vt Macr. scripsit quinque inueniuntur species, nomen iuxta eorum qualitates habentiū. Primum dicimus Somnium, secundum Visionem, tertium Oraculum, quartum Insomnium, quintum Apparitionē, quam Græci phantasma vocitant. Somnium dicitur cum

sub

sub aliqua figura tecta apparet veritas: vt illud fuit quòd de vaccis spicisq; Ioseph Pharaoni Aegyptiorum regi interpretatus est. Item illud quod de Polycarpo Ioannis Euangelistæ discipulo scriptum est, cui dormienti puluinū comburere, martyrium futurum visum est igne quem ipse propter hoc certum prædixit. Neque huic dissimile quòd Cæsaris matri contigit, quæ intestina sua per aërem ferri somniauit. Visio est cum id propriè contingit, quod per somnium est visum: vt Vespasiano de Neronis dente euenit. Oraculum est cum à diuina persona, siue etiam patre aut sacerdote aliquid in somnijs nunciatur, sicuti Magis cùm moniti sunt ne ad Herodem redirent, & Ioseph viro Mariæ: vt cum puero & matre in Aegyptum fugeret. Hæc tria aliquid veritatis secum habent, qua prorsus carent duæ quæ reliquæ sunt species, videlicet insomnium & apparitio. Nam aut cibus grossiq; vapores, aut mētis agitatio ac labor eorum causam præbere videtur. Alij hæc somnia in tres partiuntur tantum species, naturalem, animalē, et cœlestem. Naturalē vocant ea per quā Physici de humorib. iudicant, nam somniantibus aquam flegmaticos humores dicunt designari, per rubentē colorē sanguineū, & per ignes coleram, tetris autē humoribus melancholiā: vt eā de qua Arnaldus philosophus in somnijs scriptum reliquit: Nam cū somniasset à nigricante cato pedē sibi morderi, in ea pedis parte postera die cancer innatus est. Animalia dicūtur somnia, quæ ab animi passionibus, quæ interdiu contingunt, proficiscuntur: sicuti Apostolo Paulo euenit in Macedoniam proficiscenti. Visus est enim sibi cum dormiret à Macedone quodam rogari, vt hominum eius regionis misereretur. Cœlestia tantum illa dicuntur somnia quæ rerū diuinarum monita esse censentur, sicuti de statua fuit quā Babylonis rex in somnijs habuit, quam propheta Daniel interpretatus est. De ijs sub generali nomine Somniorum dicemus: quibus & si catholica fides credere nec prohibeat, nec permittat, & philosophus veros eorum effectus casu contingere scribat, nos nihil plus fidei dantes quàm oporteat, aliquot eorum exempla vetera nouaque in quibus veri eorum exitus fuere, subiungemus. Ex quibus cognos-

gnoscetur hominem à Deo ad similitudinẽ eius creatam, cum ei per corporeum impedimentum permittitur, interdum mirandum in modum futura diuinare.

De L. Sylla.

Sicuti L. Syllæ somnia victoriam de hostibus, ac principatum in patria portenderunt, ita etiam apud nos primũ ei locum dabunt. Primo enim bello quod aduersus Marium patrem gessit, pridie quàm confligeret cum eo, somniauit à Pallade fulgur sibi dari, monerique vt eo telo hostes percuteret: cuius somnij verã effigiem belli exitus tulit. Siquidem Marium hostem ferro igneq; patria expulit.

De eodem.

L. Syllæ pari modo in somnis ostensa est victoria aduersus C. Marij filium. Nam per quietem nocte quæ lucem antecesit illam, qua Marium filium deuicit, visus sibi est Marium patrem videre iam mortuum, qui filium monebat ne postera die cum L. Sylla prælium committeret, quoniã ea sibi dies infausta fuerat.

De Iuda Machabæo.

Nónne similiter Iudas Machabæus clarè in somnis ingentẽ vidit victoriam, qua aduersus exercitum Syriæ regis Demetrij, cuius Nicanor dux erat potitus est? longè enim pauciore numero regios adortus, ex eis triginta milia occidit. Cum ante per quietem Oniam pontificem iam mortuum vidisset, ad Deum pro Hebræo populo orantem, & post illum Hieremiam prophetam gladium aureum porrigentem, à Deo ad superandos hostes missum.

De L. Lucullo.

Nequaquam tantam fortunam, non minorem, tamen rei ipsius certitudinem, somnium illud tulit, quod dormiens in Asia Lucullus vidit, arbitratus dormienti sibi dictum: Vade Luculle, Autolycus enim venit vt tecũ sit. Expertectus somno cùm rem diligenter inuestigaret, intellexit à nauibus Cilicum, quas Romanæ insectatæ erant, ad mare in littore relictam marmoream statuam, quæ postea Autolyci fuisse cognita est, qui olim in Ponto vrbem Sinopem muro cinxerat.

De Petilio cive Romano.

Non

Non minus quoque certum Petitij quàm Luculli somnium fuit, qui dum in Aegæo nauigaret, & naualibus socijs narraret, se per quietem Pompeium solum obsoleta veste amictum vidisse, conspexit à paruo celoce innui sibi, vt expectaret: cui cũ appropinquasset, vidit in ea Pompeiũ cum veste comitatuq; vt somniauerat, quem in naui sua recepit, à Pharsalico prælio fugientem.

De Themistocle.

Vt Petitius somnians alienam vidit miseriam, ita Themistocles periculum suum quod iam imminebat Nam cũ exul patria procul degeret in vrbe, cui Leonis caput nomen erat, dũ quiesceret visus sibi est Cybelem videre monentẽ, vt Leonis caput euitaret, ne Leonem obuiũ haberet. Excitatus igitur cũ sine mora inde abijsset haud multo post supueuere Pisidæ quidam, qui Epixiæ Persæ impulsu occidere eum quærebant: quorum vim somno illo monitus deuitauit.

De Sophocle poëta.

Silentio prætereundum non est poëtæ Sophoclis somnium, qui sæpius per quietẽ conspecto Hercule furem eũ nominatim accusante, qui ex fano suo aureum vas furto subripuerat: vt rem Ephoris detexit, comprehensus quem Hercules accusabat, verum esse furtum confessus est. Quamobrem ab eo tempore templum illud Vindicis Herculis nominatum est.

De Mosis patre Amrami.

Non minus verum est quod sequitur. Nam non sub ambage, sed sub claro verbo Amramis quoque per quietem vidit à Deo dici sibi de Moyse & Aaron liberis quos susceperus erat, item de eorum perpetuo Pontificatu ac gloria, id totum quod postea secutum est.

De Actia Augusti matre.

Haud dissimilis fœlicitas in Actiæ matris Augusti somnio apparuit, quæ pridie quàm Augustum peperit noctu, per quietem vidit intestina sua ad cœlum vsque ferri, atque illic explicata vniuersam tegere terram. Id quod comprehensus filij imperio, terrarum orbis verum ostendit fuisse.

De Octa-

De Octauio Augusti patre.

Eadem nocte pater Octauius ex Actiæ coniugis ventre, visus sibi videre egredi solarem radium, de filij gloria certior factus fuit.

De Qu. Catulo.

Rarò contingit quin natura, aut potius Deus insignes hominum virtutes ac fœlicitates somnij, aut prodigijs anre significet, sicuti ante de Augusto dictum est, & inferius etiam dicetur. De eo enim Qu. Catulus dedicato Capitolio per quietem vidit Iouem, è multis prætextatis pueris vnum delegisse, cui signa Romana manu gestanda dederat, atque sequenti nocte cùm dormiens illum ipsum puerum, à Iouis gremio pellere vellet, Iouem dixisse, Ne puerum amoueret, quod ad reipub. Romanæ tutelam eum seruabat. Et mane sequenti in Octauium forte incidens adhuc puerulum, ab effigie vesteque cognouit ipsum illũ esse, quem per quietem viderat.

De M. Tullio Cicerone.

Cum in Capitolium Cicero Iulium Cæsarem prosequeretur, eique narraret nocte proxima à se visum Iouem, qui cathena aurea puerulum mira indole à cœlo ad Capitolij portam demiserat, cui postea flagrum in manu dederat. Perspecto tunc Octauio, quem Cæsar voti soluendi gratia in Capitolium duxerat, cognouit eum esse quem in somnijs viderat, Triumuiratusque eius, verè flagrum inso lentis nimium Romanę nobilitatis, certum Ciceronis somnium fecit.

De Socrate philosopho.

Quibus veri argumentis Q. Catulus, ac M. Cicero Augusti imperium per quietem viderunt, his Socrates in somnis discipuli Platonis eloquentiam atque philosophiam præuidit, nam pridie quàm ad Socratem à patre Plato puer adduceretur, visus sibi est è sinu suo videre candidum cygnum egredi, qui aërem totum miris concentibus replebat. Quod somnium perspecto Platone puero statim enarrauit.

De Pub. Cornelio Ruffo.

Eodem modo certi euentus cæterum celerioris effectus

somnium P. Cornelij Ruffi fuit, qui olim consul cũ Manlio Curio fuit. Nam cùm somniasset se visum amisisse, experrectus cæcum se factum inuenit.

De M. Liberto Plinij iunioris.

Non somnium sed potius miraculum dicetur, quod Marco Plinij secundi liberto contigit: nam cùm somniasset sedentem quendam in lecto, vbi ipse erat, caput sibi tonderi, experrectus tonsum sibi caput esse inuenit. Quę sequuntur somnia, hoc plus habebunt, quod cum veritate iunctam etiam infœlicitatem habuerunt.

De Tiberio principe.

Tiberius paulò antequã è vita discederet, Apollinẽ Temenitẽ se videre somniauit, cuius statuam Syracusis aduexerat: dicentem, Fieri non posse vt ab ipso dedicaretur.

De Caligula item Romano principe.

C. Caligula per quietem pridie quam moreretur, visus se cum in cœlo ante Iouem esset, ab eo pedis pollice depressum ad terram concidisse.

De Nerone Romano principe.

Vt Caio similis Nero in scelere, ita etiam in somnijs a morte fuit. In somnijs enim nauiganti sibi eripi clauum atque ab Octauiæ coniugis vmbra in obscuras tenebras trahi se, atque à formicarum allatarum multitudine oppressi vidit. Quæ somnia populi motus, atque ipsius mors vera effecerunt.

De Sergio Galba principe.

Non minus quàm supradictus Sergius Galba fortunæ suæ mutationem per quietem vidit: nam cum ex gemmis quas habebat magnum numerũ delegisset, vt torque Fortunam suam Tusculanam exornaret, deinde mutata sententia Veneri Capitolinæ torquem dedisset, in sequẽti nocte Fortuna in somnis ei apparuit, ea ipsa effigie, qua in Tusculano posita erat, dixitque: Quia promisso munere fraudata erat, breui se quoque erepturam quæ dederat. Itaque haud multò post Romæ occisus Galba, quod in quiete viderat, confirmauit.

De Domitiano Romano principe.

Haud dissimile somniũ, nec minꝰ re ipsa triste vidit Domitia-

mitianus paulò antequam interficeretur. Etenim visus est videre Mineruam à se abeuntem, dicentémque ei: Non posse amplius opem præstare. Præterea multa alia adeò horrenda, vt adhuc somnolentus à lecto in terram præ formidine se deijceret. Cæterum sicuti in somnis de morte sua certior factus fuerat, ita etiam quæ succederent in imperio, præuidit, cum in renibus gibbum se aureum habere sibi videretur. Laus Neruæ ac Traiani qui successerũt non mediocris.

De Vespasiano Romano principe.

Somnus Domitiano vicinã ostẽdit mortẽ successoresq́;, sicuti Vespasiano patri imperiũ suũ filiorũq́;: Nã cũ adhuc priuatus esset in Achaia cũ Nerone, ab incognito dici sibi per quietem vidit. Cœpturam suam fœlicitatem cũ Nero ni dẽs exẽptus esset. Experrectus igitur is in quẽ primo incidit, medicus fuit, qui dentẽ ostẽdit, quẽ tunc Neroni euulserat. Itaq; haud multo pòst secuta Neronis mors, itẽ Galbæ, ac post eos Ottonis ac Vitellij discordię, Vespasiano ad imperium primordia ac vires dedêre.

De eodem.

Nec verò minus clarè imperij tempus filiorumque successione quàm imperij primordia per quietẽ vidit: si quidẽ in medijs ædibus videre sibi visus est bilancem, atque in bilancis altera parte Claudium Neronemq́; in altera filiosque positos esse: cuius somnij effectum illud ostẽdit, quod ad filiorumq́; imperij tẽpus æque se sui illud quo Claudius Neroque regnauere, extendit.

De Septimio Seuero Romano principe.

Septimius quoque Seuerus haud aliam ob causam filiũ Antonium Bassianum vocauit, nisi quod per quietem succedere sibi hominem viderat, cui Antonio nomen esset, fortasse impulsus somnio fidem habere ex visionis euẽtu, quã quietem habuerat, audito Pertinacis imperio. Dormiens enim videre se putauit Pertinacem ab insigni equo in terram prouolui, equumque ad se venire, in quem ipse saltu conscendit: nam paulo pòst Pertinace mortuo, ab omnibusque destituto Iuliano, ipse per virtutem sibi imperium peperit.

De Hyrcano principe ac pontifice Iudæorum.

Nónne mirum & quod ob veritatem proximè ad Seueri somnium accesit, illud fuit quod in quiete vidit Hyrcanus princeps ac pontifex Iudæorum? cũ dormiens à Deo ostendi sibi vidit filium Ianneum qui Alexander appellatus fuit, & dici regnaturum post ipsum, sicuti fecit. Mortuis enim Hyrcano patre, deinde Aristobolo Antigonoq; filijs, qui maiores natu erant Alexander in regno succesit.

De Iacob Patriarcha.

Potest quidem verius oraculum dici, quod Patriarchæ Iacob contigit quam somnium, & tamen inter somnia cõnumerabitur: qui successionis suæ propagationem dormiens (vt hi de quibus dictum est) vidit. Nam à patre iussus in Haran Bersabee proficisci: cum è via fessus se in terram prostrasset, vidit per quietem scalas à terris ad cœlum vsque iunctas, atque per eas descendere atque conscendere angelos, deumque in summis scalis stantem, loci illius sanctitatem, futuramque illic Iacob stirpem pollicentem, sicuti postea ædificato eo in loco templo, aucto Israëlitici populi numero comprobatum fuit.

De Ioseph Iacob filio.

Nec verò minus vera efficaciaque fuere Ioseph Iacob filij somnia: cum in Aegypto à parentibus fratribusq; ei cognito honos veneratioq; habita est, eo tempore quo fame compulsi ad eum confugêre, & ipse amanter suscepit nutriuitque. Id enim re ipsa contigit, quod eis interdum narrarât, fomitemque inuidiæ concitarât, scilicet, Vidisse quasi solem lunamque et duodecim stellas se adorantes, fratrũq; manipulos in agris manipulo suo cedere, & se inclinari.

De Pharaone Aegyptiorum rege.

Fames qua sæuè laborauit Aegyptus septem annos, nõne Pharaonis somnio præuisa fuit, sub vaccarum spicarũque velamine? quod Iosephi verbis interpretatum fuit, nec minus prudenter ei occursum.

De propheta Daniele.

Mentio de somnij interpretatione facta monet, ne de propheta Daniele omittam scribere. Nam cum Nabucho donosor Chaldæorum rex terroris plenam rem in somnis habuisse

habuisset: experrectusque ita totius memor non esset, vt coniectoribus narrare eam posset: volebat vt coniectores non interpretarentur modo somniũ, sed illius quoq; quod oblitus esset in memoriam reuocarent, vt sæpe regibus & magnis est mos principibus, quibus possibilia omnia quæ velint esse videntur. Cum in magno coniectorum numero nullus esset, qui tantam efficere rem posset, solus Daniel adhuc adolescens, noctu per quietem vidit, illud ipsum quod Nabuchodonosor somniauerat, & præter illud, somnij quoque expositionem intuitus est. Itaque cũ regi quòd dormiens viderat ex ordine narrasset, confirmauit rex illud ipsum esse, quod somniauerat. Quod profecto mirum videri debuit, vt quod alter somnians vidisset, in somnijs alius quoque haberet.

De Alexandro Magno & Iaddo Iudæorum Pontifice.

Cum Alexander Magnus Hierosolymis cum exercitu appropinquaret, infesto multis de causis animo, in magnũ metum illius vrbis populum coniecerat. Quamobrem Iaddus pontifex post longas ad Deum orationes cum in somnum incidisset, Deum vidit dormienti sibi dicentem, Ne formidaret, sed Alexandro pontificia amictus veste se offerret. Credidit Iaddus somnio, in eumque morem qui prædictus erat, ornatus ipse cum alijs sacerdotibus stolatis, postero die Alexandro occurrit, vt venientem exciperet, quẽ Alexander intuitus ex equo descendit, & humi genu innixus eum adorauit, petitaque omnia concessit. Quod cum Alexandri duces alijque mirarentur, & illud Alexander animaduertisset, dixit pridie eius diei, Deum in somnis vidisse eo habitu, quo Iaddum viderat amictum, grauiter vitæ eius comminantem, si quid Iudeos offendisset. Cui somnio cum fidem non haberet, tunc Iaddi conspectum in ea veste qua amictam Dei effigiem viderat, Deum se & non Pontificem coluisse. Mirum profectò duorum diuersorum hominum somnia ita conuenisse.

De Glaphyræ Archelai Tetrarchæ coniuge.

Iudæorum superius facta mẽtio, inuitat ne Glaphyræ somnium prætermittam. Nam cum ei per quietem Alexander qui primo nupserat, secundas cum Archelao nuptias cum

primi amoris obliuione exprobraret, dicens, Se breui vtẽ secum duceret venturum, haud diu pòst mortua somnij impleuit effectum.

De Eudemo Cyprio.

Eudemus Cyprius graui laborans morbo in vrbe Phæra, vt Aristoteles scribit, visus sibi in somnis formosum iuuenem videre, dicentem, Quod cito sanus fieret. Ac paulo pòst Alexander Phæreus qui tyrannidem exercebat moreretur, ipseque in patriam intra quintum rediret annum: sicuti per quietem vidit, breui liber ab ægritudine factus est, atque inter paucos dies tyrannus interijt, peractoque quinquennio de quo in somnis audierat, cum reditum in patriã speraret, intra id tempus moriens, non solum in suum, sed in communem quoque locum abijt.

De Galeno medico.

Parem in somno (quo ad veritatem) Galenus Medicus exitum vidit. Nam cùm æger somniasset quendam dixisse, si inter pollicem atque indicem ex manu sanguinẽ hausisset, vim morbi quo laborabat euasurum, hausto sanguine liberatum se offendit.

De fœmina Romana.

Omnibus veterum somniorum exemplis finẽ faciemus, si vnum subiecerimus, quod salutis & admirationis plenũ, à Romana fœmina quæ vidua erat visum est. Nam cũ Romæ somniaret, se in hortis suis esse, ac videri radicem Cynorrhodon se mouere, ac monere, vt ad filium Hispaniam (in Lacetania enim militabat) scriberet, ea radice rabie laborantes curari: cum somnium secuta, ad filium scripsisset, in tempore contigit literas ad ipsum perferri, nam cum dente rabidi canis vulneratus filius, iam aquas expauescere inciperet, statim ea radice curatus est.

RECENTIORA.

De Constantino Imperatore.

Recentioribus somniorum exemplis initium faciet, id quod verum fœlixque in Constantino accidit. Qui cum Romam versus cum exercitu aduersus Maxentij tyranni vim tenderet, nocte visus sibi in cœlo fulgentem videre crucem, & moneri quòd in eo signo hostes esset superaturus,

rus. Posita cruce in militaribus signis quæ vsque ad eam diem abominabilis fuerat, parta de Maxentio victoria cũ eius morte nocturnæ visioni fidem asseruit.

De Maselcereo.

Missus ab Honorio Imperat. Maselcereus aduersus Gildonem ad recuperandam Africam, somniauit episcopum Mediolanensem Ambrosium videre, qui iam diu mortuus erat, pedo pastoreo ter humum percutere, terque dicere: Hic atque in hoc loco. Itaque postera die in eo ipso loco, paruo labore Gildonem superauit.

De Gennadio Carthaginensi medico.

Per visum in Gennadio quoque Carthaginensi medico quæ ad rectã fidẽ ducit, salus ostensa est: quẽadmodum ei de quo dictũ est, ea quę ad tẽpus pertinet. Nã cũ de animorum immortalitate dubitaret, viuerent ne post mortẽ, an extinguerentur. Viso bis per quietẽ iuuene, qui primo vrbẽ pulcherrimã ei ostendit, deinde postera nocte reuersus ab eo petijt, an eum agnosceret? Respondit, & nosse se illũ, & somnij meminisse. Iterum ab eo interrogatus, ubi eius corpus esset & quid ageret? Cũ respondisset in lecto esse ac dormire: argumento cui respõdi nõ poterat, didicit quẽadmodum tunc dormiens cernebat per quietẽ, quãuis clausis oculis corpus in lecto iaceret: ita vita functo homine crederet eius spiritum viuere ac videre posse, quamuis tumulo clausum corpus maneret. A somno igitur excitatus hoc oraculo, vt recte crederet monitus est. Itaq; relicta hæresi catholicè in posterum credidit, quemadmodum Augustinus ad Eradium scribens affirmat.

De Natali.

Natalis etiam martyr & cõfessor, cum in Theodori hæresim prolapsus esset, quæ Iesum Christum simplicem hominẽ arbitrata est, ac in ea factus esset episcopus, sæpius in somnis à Deo frustra monitus, demum grauiter se ab angelo vapulare visus est. Quamobrem cum experrectus plagarum dolorem sentiret, ad catholicam fidem regressus est.

De Fl. Valerio Martiano Imperatore.

Martianus quoq; Imperator in somnis videre visus Attilę Hunnorũ regis confractũ esse arcũ. Haud multo pòst,

vt putabat, ea nocte intellexit mortuum esse Attilam.

De Mauritio Imperatore.

Mauritij Imperatoris clarum & veri effectus somnium adeò alia vincit, quod inter diuina oracula connumerari potest. Nam cũ somniasset occisum se cum tota stirpe, à quodam qui Phocas appellabatur, idque non sine horrore genero Philippico commemorasset, diligenter quæsitis si qui hoc nomine appellarentur, vnus tantum in toto exercitu qui notarius erat, eo nomine fuit inuentus: à cuius humili fortuna satis se tutum ratus, priusquam maiorem rei curam adhibere posset, rebellantibus exercitibus quibus retinebantur stipendia, creatus Imperator à militibus Phocas, dũ Constantinopolim exercitus regrediebantur, Mauritium qui Chalcedonem se receperat, cum vniuersa stirpe interimi iussit. Phocam igitur tam malè euitauit, quàm Cassandrum Alexander, etsi vt Mauritius per quietem monitus fuerat.

De Varroniano.

Cùm somniaret Varronianus se consulem fore, filiumque Iouinianum imperaturum, diu antequam res succederet duobus amicis rem communicauit. Id autem mortuo Iuliano postea contigit, cũ ei Iouinianus successisset. Cæterum quemadmodum consulatum se adepturum ex somnio sperabat: ipso repente mortuo consul factus est minor Varronianus Iouiniani imperantis filius. Itaque in somnij interpretatione vt sæpe contingit, deceptus est, sed quoad alias somnij partes, nihil defuit.

De Iusto patricio Romano.

Stirpis suæ fœlicitatem, Iustus patricius Romanus, cum vitæ suę clade similiter somniauit. Imperante Constantio, cum is in Piceno iudicis personam gereret, è genitalibus membris suis, videre se per quietem putauit, purpuram egredi, qui color imperantibus dicatus erat: quod à Constantio intellectum, ob suspitionem causam præbuit, vt eum perderet, sed nequaquam hominum prouidentia, fatalem ordinem interrumpere potuit, nam ex Iusto superstite, vnica filia, cui nomen Iustinæ erat, cum & forma & pudicitia insigni esset, conspecta in balneis à Seuera Augusta

eique

eique familiaris facta, atque marito Valentiniano seniori laudata, ita Valentiniani incendit animum, vt cũ postea vidisset, ardenter eam diligeret. Itaque lata prius lege, vt duas ducere vxores liceret, adolescentulã Iustinam, in matrimonium duxit, eamque Seueræ reluctanti comitem dedit, fidemque paterno somnio dedit, purpureo Augustorũ amictu exornata.

De matre Echelstani siue Athelstani Britannorum regis.

Ex parte simili somnium fuit rusticanæ puellæ in Britannia, quam nunc gentili sermone Angliam dicunt. Hæc enim comitibus suis cũ cõmunicasset, somniasse se ex ventre suo egressam lunam, quæ totam Britanniam illustraret. Reab vxore regij pastoris audita, quæ regis Britannici filium lactabat, domi puellam hanc excepit, eius amore captus, regius infans, firmior postea factus, puellæ vterũ impleuit, ex qua natus est Echelstanus, qui postea Britannorum regnum obtinuit, qui virtute victorijsque clarus, vere vt luna illustrasse Britanniam dici potest.

De Altreda matre Gulielmi Normandi ducis.

Vt Iulij Cæsaris mater antequam eum in lucem ederet in somnis vidit intestina sua per terrarum orbem spargi, ita Altreda Gulielmi (qui cognomine Nothus, Normandorum dux fuit) mater, viscera sua per omnem Normandiam atque Britanniam disseminari, per quietem nocte antequam eum pareret, vidit. Id quod re ipsa Gulielmi virtus ratum fecit. Nam ad Normandiæ ducatum euectus, ducatui regnum quoque Britannicum adiunxit.

De Elysabella Darca quæ virginis Gallicæ, Pullicellæ nuncupatæ, fuit mater.

Altredæ somnio, haud dissimile fuit, quod Elysabellæ Darcæ contigit, nam genere Lothoringa, & inter rusticanas mulieres, in tenui fortuna nata, cum vicinis narrasset: Videri sibi magnum fulgur parere: ab eis haud longè post irrisa fuit, puellã enim enixa, nihil minus quam vllius magni effectus partum edidisse videbatur. Cæterũ puella quę nomine Iana nuncupata est, virtute prudẽtiaq; sua, victores Britannos (vniuersam enim penè Galliam occuparãt) prælio ita afflixit, vt verè in eo bello fulgur fuisse visa sit,

exemplo antea inaudito, vt pastoralis mulier, in prima ætate prudenter magnoque animo, Gallicum exercitum ductando, in quo magni principes multique belli scientia insignes erant, de hostibus victoriam reportaret.

De Ecelino Romano, ita ab oppido eius nominis dicto.

Ecelinus quoque cognomento Monachus, per quietem filiorum vidit fortunam, ea nocte qua primum cum vxore congressus est, quæ Adela nomine, Tusca ex comitum antiquorum Montaionis gente fuit. Visus est enim sibi videre collem, in quo Romanum oppidum situm, ita efferri exaltarique, vt culmine cœlum contingeret, eundemque paulo pòst veluti niuem liquefieri, adeoq; demitti vt amplius nó extaret. Liberorum casus hũc effectum tulère. Nã primus natu filius, & ipse Ecelinus nomine Veronæ, Patauij, Vincentiæ, Feltrij, Ciuidalísq; ac Marchiæ imperium occupauit. Alter iunior Albericus Taruisij aliorúmque locorum tyrannidem inuasit. Cæterũ postea variante fortuna, salutis anno ducentesimo quinquagesimo sexto supra mille, cũ apostolicus legatus, Guelphíq; simul in Ecelinũ armamo uissent, Patauium cũ toto agro amisit. Cũ autem confideret se astu Mediolanum vrbem occupaturum, & ob id Abduam amnem traiecisset, circumsessus ab hostibus, prælio victus, vulnere accepto, iuxta Soncinum captus, eo ipso in loco perijt ac conditus est. Hoc casu frater Albericus perculsus, cum diffideret Taruisium retinere posse, in sancti Zenonis arcem se recepit, vbi saluris anno ducentesimo supra mille à suis proditus in hostium potestatem venit. Illic intuitus coram se sex filios occidi, vxorémque Margaritam cum duobus puellis cõburi, ipse minutatim per singulos artus cæsus, Romanam gentem suam sicuti in somnijs pater habuerat, finiri secum vidit.

De Alfredo Britannorum rege.

Ad mentionem de Britannis factam redeuntes, somniũ & verum & mirum describemus. Nã cũ Britanni graui bello ab Aubone & Aguero Cimbrorum Dacorúmque regibus premerentur, & eo tempore dormiret Alfredus Britannorum rex, per quietem vidit Cuthbertum Britannum episcopum iam mortuum mira sanctitate insignem, dicentem:

tem: ne animo terreretur quoniam hostes superaturus erat. Victoriæ autem illud signum esset habiturus, quod quanquam astrictæ glacie essent aquæ, piscatores tamen ad paruum nisi amnem, magnâ piscium vim allaturi essent, vix experrectus pisces allatos vidit. Auditáque matre somnium eiusdem generis quod ipsi quoq; contigerat narrante, impetu in hostes facto partem eorum occidit, partẽ secum retinuit, & baptismo dignatus, Christianos fecit, reliquos insula pepulit, anno decimo septimo Ludouici secundi Imperatoris, qui Lotharij pater fuit.

De Ambrosio Mediolanensi episcopo, & Luciano sacerdote.

Par penè visio, quæ Alfredum victoriæ commonuit, Ambrosio Mediolanensi Episcopo, corpora martyrum Geruasij Prothasiiq;, quæ ad eam diẽ vbi essent ignorabatur, detexit: cum se ipsos ei in somnijs, quales inuenti sunt ostendissent. Idem Hierosolymis Honorij imperij septimo anno, in somnijs Gamalieli, Luciano sacerdoti locutus est: & apparuit, atque vbi esset corpus suum detexit, filiiq; Abibæ, ac simul protomartyris Stephani, neque verò somnio fides ante adhibita est, quàm ter hoc idem per quietem vidisset, corpora enim eo numero et forma, quam in somnijs viderat inuenit. In huius rei testimonium his quoque temporibus, catholica Ecclesia, diem festum sub Stephani inuentione celebrat.

De Petro sacerdote.

Pari admiratione veritatéque Andreas apostolus, sacerdoti Petro Pontio, simplici viro apparuit, lanceámque qua saluatoris Christi traiectum fuit latus, quæ Antiochiæ terra obruta erat, in templo Petro dedicato reuelauit: cuius inuentione, ciuitas, quæ à Turcis obsessa fame premebatur, bona spe repleta, in prælium egressa, Corbanam superauit, qui Belfech Turcæ Persarum regis auspicio, vrbem obsidebat, à Niceno Episcopo in prælium inter armatorũ turmas eam gestante.

De quodam ciue Mediolanensi.

Quemadmodum illi, de quibus est scriptum, res sacras somnio moniti, ita Mediolanensis quidam, scripturam inuenit, qua satisfactum esse ab eius patre ostendebatur,

pro

pro pecunia, quæ mortuo iam patre, ab ipso repoſcebatur. Per quietem enim viſus eſt videre paternam vmbram, quæ geſta res erat, & vbi ſcripturam inuenturus eſſet, monentem, qua creditor ſibi eſſe ſatisfactum fatebatur. Itaq; ſomno experrectus, quæ viderat ſomno captus, vera eſſe omnia re ipſa inuenit, quemadmodum Auguſtinus doctor, ſe vidiſſe ſcriptum reliquit.

De Ioanne Aegyptio monacho.

Incertos nos relinquit, ſomniúmne, an verum miraculi appellare debeamus, id quod nunc de monacho Ioanne Aegyptio ſcripturi ſumus, qui vitam hæremiticam agens, cũ fœminarum conſpectu ſemper abſtineret, rogatus à Romano Tribuno, vt eius alloqui vxorem veller, quæ de hoc inſtanter cum viro agebat: Reſpondit, Se quod conſtituerat, de mulierum non videndarum propoſito, mutare nolle, cæterum proxima nocte in ſomnijs ei appariturum, id quod re ipſa impleuit: euigilata enim mane Tribuni vxor viro quis eſſet veſtitus, ſermoque & effigies Ioannis, atque ea quæ in ſomnijs ſibi ab eo dicta erant enarrauit, quod inter miranda ponendum eſt, ſiquidem nulla in parte mulier à vero aberrauit, & ſe hæremita ad eam dormientem per viſum acceſsiſſe, ea ſpecie quæ viſa erat, & ea dixiſſe, quæ mulier narrauerat, affirmauit.

De Benedicto Abbate.

Ioannis monachi ſomnio, & rerum & auctorum ſimilitudo, ſubtexere quod ſequitur me cogit. Tarracinam Benedictus abbas in Caſsinati ſaltu, duos monachos miſerat, vt ordinis ſui monaſterium inchoarent: quibus cũ ſe proxima die affuturum ad monaſterij formam deſignandam promiſiſſet, ipſe autem neque eo neque poſtero die profectus eſſet, & monachi Caſsinũ reuerſũ eſſent moleſtiæ pleni, quod Benedictus promiſſa non ſeruaſſet, reſpondit Benedictus, ſe affuiſſe in ſomnijs, & ædificationis formam declaraſſe. Renouata igitur ſomnij memoria, ambo Tarracinam regreſsi monaſterium iuxta ſomnium ædificarunt.

De Præſtantio.

Par admiratio in Præſtantij ſomnio fuit, ſicuti Auguſtinus teſtatur. Nam cum à quodam Philoſopho rem dubiam

biam solui petijsset, isque se id facturum negasset, noctu postea, & si vigilabat visus est Philosophum ad se venientem videre, qui postulata interpretaretur ac solueret. Itaque postridie Præstantius à philosopho quærens, quamobrem quod primo negasset, postea vltrò ei patefecisset? responsum hoc ab eo tulit, in somnijs vidisse se dubitationē illam soluentem. Non est ergo minus mirum, Præstantiū per quietem vidisse, quod Philosophus somniabat, quàm Tribuni Romani vxorem, aut Benedicti monachos, ea quæ Ioannes heremita, Benedictusque animo agitabant: sed iam somnia relinquamus, & ad ea transeamus per quę homines verum salutis effectum præuiderunt.

De Innocentia Carthaginense.

Innocentia Carthaginensis mulier, cum cancro obsessam haberet mamillam, somnio monita, vt proximo pascha te, ad baptisterium profecta, à fœmina quæ primo ei obuia foret, baptizari se & sanctæ Crucis signo pectus signari curaret, quoniam ita eo morbo liberanda erat: peractis ritè quæ in somnijs habuerat (mira profecto res) eo morbo liberata est.

De Ildrico Leodiensi Episcopo.

Ildricus Leodiensis episcopus, cū circa annum cancro laboraret, nullamque medici salutem sponderent, iussit se in Turones ad beati Martini fanum deferri, illic cum septimum diem, inter lacrimas gemitusque iuxta aram ageret, & fessus in somnum incidisset, visus est videre Martinum Britiumque simul de ipsius morbo loquentes, atque Martinum crucis signo frontem eius notare, ac pedo quod manu gerebat morbosam contingere partem: itaque à somno experrectus, præ lætitia magna voce exclamauit. Ad quem eius familia, cum clamorem mirata accurrisset, amotis fascijs, quibus læsa pars deligata erat, liber est inuentus, solaque cicatricis parua nota in eo esse loco, vbi cancer erat.

De Ioanne monacho.

Nónne penè simile, quoad fœlicitatem admirationemq; fuit, quod Ioanni monacho Romę in somnijs contigit? qui grauiter laborans, atque medicorum ope destitutus, cùm somniasset, senē se videre, qui virga quā manu gerebat, eū tan-

rangeret, Vt è strato surgeret quoniam sanus erat: cæteru diu superuicturus non esset: magna eorum qui ipsum vi derunt admiratione, mane valens à lecto surrexit, & post tertium annum decessit: sicuti, Gregorius, inter sanctos re latus, testatur.

De Francisco Petrarcha.

Salutem etiam portendit Francisci Petrarchę somnium nam de amici vita propter grauem valetudinem desperan cũ dolore ac lachrymis fessus aliquantulum indormiui set, per quietem visus est ægrum videre dicentẽ: Non pos se se diutius cum eo manere, quoniam ad cubiculi ostium quidã appropinquaret, qui mutuũ colloquiũ impediturus erat, ei vt se cõmendaret orabat, affirmans si adiurus es set, vim morbi se euasurum. Tunc igitur vno medicorũ a Petrarchã ingrediente, qui ægrũ pro mortuo reliquerat, d veniendi ea sola videbatur causa, vt Petrarchã consolare tur, excitatus Petrarcha lachrymarum plenus somniũ nar rauit, magnísq; precibus impetrauit, vt ad ægri curam re uerteretur: quod cum medicus feciss et, æger vt in somnio Petrarcha viderat, liberatus est.

De Auenzoaro Albumasare medico arabe.

De se Auenzoar medicus scribit, quod oculo laborãs, cu remedium non inueniebat, per quietẽ visus est, sibi medici non multo ante mortuum, tanquam viuentem alloqui, d ab eo remedia audiuisse, quibus liberaretur, quæ sequutus liberatus est.

De Thoma Pagano Perusino.

Non est prætereundum somnium, quod admiration plenum ter Thomæ Pagano Perusino exuli contigit. Ni cum Brachius qui eũ patria exegerat, Aquilam vrbem obs deret, visus est Thomas Brachium videre prælio vno mul tos hostium in fugam vertere, atque occidere, & cum ei ap propinquaret vt eadem vi in eum vteretur, ipsum impet in Brachium facto, vulnus in guttur intulisse, atque occi disse. Eo igitur die quo Iacobũ Caudolam prohibere Bra chius voluit, ne obsessis opem ferret, commisso prælio, ci iam milites terga verterent, à Thoma eo ipso in loco, qu in somnis visus erat, præterea etiam in capite vulnus acc

pit,

pit, primaque ea Brachij mortis causa fuit.

De Ecelino primo Patauij ac Veronæ tyranno.

Ecelinus qui Patauij ac Veronæ tyrannidem exercebat, Brixiæ per quietem mortem suam (sicuti Paganus vt dictū est alienam) vidit: dormiens enim videbatur venatum ire ac locum statuisse vbi quieturus esset. Itaque cum defessus aliquantisper reuerteretur, ministri tunc dixerunt: Soncini præparata esse, quæ ad quietem pertinerent, neque alibi posse eum quiescere: sicuti verè contigit, cum tentata incassum Mediolanensi expeditione ab hostibus circumsessus, ac captus Soncinum fuit perductus, vbi moriens sepultus fuit.

De Eugenio quarto Pontifice.

Reuertemur iterum ad somnia fœlicitatem portendentia, de Gabriele Condelmario Veneto scribentes. Nam cū grauiter laboraret, per quietem Petrum ac Paulum apostolos videre visus est, incolumitatem ac Pontificatum, qui non longè aberat ei promittentes: vi eius morbi superata, ad Pontificatum sub Eugenij quarti nomine, effectus somnij fœlicitatem impleuit.

De Nicolao quinto Pontifice.

Huius somnij similitudo secum Thomæ Sarzani mentionem trahit, qui magno dolore affectus, propter obitum Nicolai Albergati Cardinalis tituli sanctæ Crucis, quem is dominum habuerat, illius ymbram in somnis vidit: quæ cū fœliciter habere se dixisset, subiunxit, postea ipsum brevi Pontificem futurum. Quod somnium idem Thomas cū iam ad Bononiensem episcopatum prouectus, in Germaniā à Pōtifice legaretur, in itinere Mediolani Frācisco Philadelpho amico narrauit, nec multo pòst sub Nicolai quinti nomine ad Pontificatum ascendit.

De Gerontio monacho.

In tam multorum fœlicium somniorū fine, pauca infœlicia subiungemus, quorum primum monachi Gerontij erit, qui æger vidit in somnis lecto suo duos senes candida veste amictos appropinquare, dicereque: Hinc missos facia mꝰ aliquot ex ijs, qui Gregorij sunt fratres, nec multo pòst posita in albo eorū nomina recitauerūt, ac postremo subiunxe-

iunxerunt: Addamus hunc quoque qui in lecto iacet. Postera igitur die cum res fratribus declarata esset, qui nominati fuerant eo ordine quo facta nominatio erat, mori cœperunt, postremusque decessit qui iacebat in lecto, non sine magna eorum qui illic erant admiratione, ac præsertim Gregorij, qui postea Pontifex fuit, qui eo tempore monasterij illius præfecturam gerebat. Et rem hanc vt veram mirandamque scriptam reliquit.

De Trasilla Aemiliana monachissa.

Idem de tribus amissis suis monachisis scribit, inter quas Trasilla, huic olim auus Fœlix nomine, sacerdos in somnis apparuit, eamque qua die moritura esset commonuit, ipsa quoque iam fato functa quod in prædicēda morte secum, auus egerat Aemilianæ sorori præstitit, addiditque tertiam sororem Gordianam relicta religione matrimonium secuturam, sicuti breui magna omnium admiratione contigit.

De Monica Aurelij Augustini matre.

Quod in Gordiana propter relictam religionem admirationis fuit, id antea in Aurelio Augustino perspectum fuerat, dum à Manichæis ad vetè catholicos iuxta matris somnium se trāstulit. Nam cū ipsa recte de Christi fide sentiret, Augustinum filium quia hæreticus erat, lachrymis prosequi non desinebat. Cæterum somno correpta, cū flēs in mensa quadam sedere sibi videretur, audire visa est, supra eandem sedere filium: conuersaque illum iuxta se accūbentem vidit: ab eo tempore certam putauit filij salutem, atque ita re etiam esse perspexit.

De Malpaga Sagittario.

Verum, cæterum infœlix somnium fuit Malpagæ Sagittarij Galeatij Sfortiæ Mediolanensis ducis, qui et inter domesticos neque ingratus erat minister: pridie enim quàm Galeatius occideretur, noctu per quietem tanquam rei ipse interesset, vidit vulneribus confossum eum eodem loculo cum patre cōponi. Id quod postea ipse vigilans agi mortuo Galeatio perspexit, dum proprius ei loculus fieret: quæ visum idem Malpaga antequam dux occideretur comitibus suis terrore attonitus, narrauerat.

De

De Ambrosio Grimaldo ciue Genuensi.

Ambrosius Grimaldus, cũ insula Chios esset vrbe à Venetis obsessa atque oppugnata, quo tempore rerum Genuę dux Mediolanen. Philippus potiebatur, somniauit se ab horrido angue qui flammas euomebat, occidi. Itaque decreuit eo die prælio atque armis ábstinere, sed cum hostes muris nimium appropinquarent, atque Genuenses ducerent eruptione magis offendi hostes posse, Ambrosius intra armatorum multitudinem inuitus, præter animi sui sententiam erumpentium, impetu ab vrbe ablatus, est: retrò tamen cedens, ita vt muris tegeretur videndi nimia cupida captus, cum pugnantium clamorem ac strepitum exaudiret, prolato aliquãtisper capite, statim bõbarda in caput accepta perijt, somno infœlicem effectum accipiente.

De Marco Antonio Taurello Guastallæ comite.

Non minus certum aut infœlix, sed tamen clarius fuit somnium Marci Antonij Taurelli Guastallæ comitis, qui cum in Neapolitano regno militaret, eo bello quod Ferdinandus senior Aragonius rex cum Renato rege Andegauensi gerebat, in statiuis quæ in Apruciana regione habebat, manè e strato surgens, ijs qui eum circumsteterant militibus suis narrauit, se in somnis visum in aqua submergi, & propterea decreuisse à natione cui assueuerat abstinere. Cæterum cum in meridie post somnũ militari chlamyde desuper nudo amictus spaciatum, ad vicinum lacum esset profectus, ac quosdam è suis natantes videret, nocturni somnij immemor, aut fortasse ita trahentibus eum fatis, natandi gratia in lacum se cum alijs quibusdam demittens, iuxta somnium quod viderat submersus est, cum suorum nullus opem ferre posset.

DE MIRACVLIS. Caput VI.

IMmensa Dei maiestas interdum varijs in rebus potentiæ ac virtutis suæ magnitudinẽ ostendens, dum ea operatur, quæ humanis ingenijs fieri posset non videntur, in admirationem homines conuertit, & ab hoc eiusmodi res miraculorum nomen acceperunt. Quibus cum Christiana religio, gratię plusquàm aliæ assecuta ita abundârit, vt infinita sit eorum multitudo: si quis omnia comprehendere

velit, præsens volumen in magnitudinem immensam augere velle videbitur, atque aut de alia rescribere nolle, aut in eo laborare, vt oceani aquas quæ mensuram non patiuntur paruo vasculo comprehendat. Quamobrem ex omnibus quæ nobis historia offeret electis præstantioribus tū ex nostris, quàm peregrinis, alia ceu rem infinitam omittemus, plus rerum similitudinem quàm tempora quibus acciderunt sequentes.

De Iuda Machabæo & de Iudæis.

Eo prælio quo Timotheum Antiochi Eupatoris Syriæ regis ducem Iudas Machabæus vicit, quinque in equis ornati aureis apparuere, è quibus duo Machabæum defendebant, ne in medio prælio vulneraretur, tres autem alii ante primam aciem acriter hostes inuadebant. Itē alio prælio quo Iudæi contra Lysiam dimicauerunt, in quo magna hominum strages facta fuit, procedere in aere videntur duo equites armis aureis ac candidissimis equis insignes, non minore fœlicitate pro Iudæis, quam Castorem Pollucemque apud Regillum lacum aduersus Tusculanos pugnasse

De Aureliano Imperatore.

Cum aduersus Zenobiam propè Edessam Aurelianus Imperator certaret, & iā Romanus equitatus terga dare pari admiratione vt in superiori exemplo in medio prælio perspecta est, diuina imago Romanos ad prelium hortans. Itaq; redintegrata à peditibus pugna, victoriam de hostibus manu Romani extorserunt.

De Locrensibus.

Cum Locrenses aduersus Crotoniatas dimicarēt, in Locrensium acie perspecti sunt, in candidissimis equis duo iuuenes, alios in prælio antecedere, parta victoria nusquam postea visi: quæ victoria eodem momento quo parta fuit Athenis, Lacedemone, atque Corinthi, etsi à Locris atque Crotone ea loca plurimum distant, declarata fuit.

De populo Romano.

Hoc quod de Locrēsibus dictū est, facit vt minus mirum videatur, quod victoria de L. Antonio parta, qui à Domitiano desciuerat, in Germania eo ipso die quo parta fuit Romæ palam intelligeretur, populo theatrali

ludo

ludos spectante, quæ victoria postea per certos nuncios, & si magnis venére itineribus, intra multos dies cognita non fuit.

De Cornelio sacerdote.

Non ceu rem dubiam, sed tanquam præsentem sacerdos Coruelius vir integerrimæ vitæ, Pharsalicum prælium, & quomodo vtraque moueretur acies, ac demum Pompeij Magni fugam narrauit Patauij, ijs qui eum circumstabãt, eadem die horaque qua postea cognitum est prælium fuisse commissum.

De Hircano Iudæorum Pontifice.

Eodem modo Hircanus Iudæorum Pontifex, posteaquàm in ara munus thura dandi pro more peregit, ad populum ingenti lætitia conuersus, nunciauit illa ipsa hora à filijs suis iudicibusque prælio Antiochum Cyzicenum ipsorum hostem victum esse, & si locus longè à Hierosolymis aberat. Illa ipsa hora victoriam fuisse partam, allatæ postea ab exercitu literæ ostenderunt.

De Apolonio Tyanæo philosopho.

Par Cornelij sacerdotis facto admirabiliusq; quàm Hircani id fuit, quod Apollonius Tyaneus philosophus in Epheso cum disputaret, ostendit. Nam animo pene ab alienatus intentisque oculis, tanquàm si in re presenti fuisset, sæpius dixit: Petcute peccatorem Stephane percute. Postremoq; addidit: Mortuus est tyrannus. Qui cum magna omnium qui aderãt admiratione auditus esset: postea acceptum est eadem die, atque ipso horæ momẽto Romæ occisum fuisse Domitianum Augustum ab homine, cui nomen Stephano erat, sicuti tunc Apollonius declarauerat. Non minore rei certitudine quàm propheta Helisæus, & si à facto aberat, cum ipso temporis momento sciuit Giezi discipulum munera à Naaman Syro accepisse, & Petrus apostolus pecuniam ab Anania retentam esse. Cæterum vt hi res quæ tunc quanquam remoto loco gerebantur, viderunt, ita futura is qui sequitur perspexit.

De Barthabace Cybelis sacerdote.

Barthabaces Cybelis sacerdos, quo tempore C. Marius aduersus Cimbros bellum gerebat, Senatui prædixit

à dea se monitum fore, vt Marius hostes superaret. Et cum id populo declaraturus esset, Aulus autem Pompeius Tribunus plebis id prohiberet, subita ardentiq; febre tribunus corrept⁹ est, nec multo pòst victoriæ allati fuere nũcij.

De Vespasiano Cæsare.

Si res quæ longè aberant, ij de quibus scriptũ est tãquàm præsentes perspexisse videntur, id quod profecto admiratione dignum est, non minus mirabimur Vespasiano (cum Alexandriæ in Aegyptij Serapidis tẽplum solus iuisset) oblatum Basilidem Aegyptiũ, qui æger longe aberat, flores coronasq; quibus Deum veneraretur, porrexisse.

De Aureliano Imperatore.

Capta Thiana vrbe Asiæ quæ rebellauerat, Aurelianus Imperator dũ solus in tentorio irarum plenus de euertenda cogitaret, coram oblatum sibi non sine magno horrore Apolloniũ Tyaneum philosophũ vidit, qui diù ante mortuus erat, ceu crudelia quę agitabat damnantem, & nisi ea omitteret mala interminantem: cuius rei miraculo motus Aurelianus, euertendę vrbis propositum omisit.

De Athenodoro Philosopho.

Admirationem quoq; ædes illę Athenis meruêre, de quibus in epistolis Plinius scribit: In quibus nocte vmbra ingens ac macilenta cathenarum stridore ædes ipsas, quibus vincta videbatur, replebat: propter quam rem cũ habitari eas nullus auderet, ad exiguum preciũ locatio redacta erat. Itaq; cũ Athenodorus philosophus Athenas profectus, delectus precij vilitate, plusquam terrere eiusmodi posset phantasma, domum conduxit, perspectaq; audacter vmbra eã per ędes secut⁹, vbi vidit in quo apparere desiuerat, humũ effodit, illicq; corp⁹ cathenatũ vmbrę simile, q̃ apparuerat, inuenit: itaq; sublato cadauere, horrore ædes liberauit.

De Prophęta Abacuc & apostolo Philippo.

Admiratio quæ meritò sequitur, vt viuens aliquis temporis momento in longinquum locum transferatur (nisi veræ historiæ testimonium haberet, phantasmatis potius quàm veri nomen nanciscereturq;) huiuscemodi illud fuit, quod Abacuc prophetæ contigit: qui momento ex Iudæa in Babylonem translatus fuit, vt pulmento quod messo

messoribus suis ferebat, Danielem in lacu leonum pascere, in Iudæa ab eo loco pari celeritate relatus. Hoc Philippo quoque apostolo euenit, qui posteaquam Eunuchũ Candaces Aethiopũ reginæ baptizauit, in via quæ ab Hierosolymis in Gazam ducit, subito inuentus est in Azoto.

De Aresconte Argiuo & quibusdam alijs.

Mira fuerunt quæ diximus. Sed non minus videntur miranda quæ sequuntur, magis tamen propter raritatem rei ignorationesque causæ, quàm quod à possibili remotiora sint. Licinius Mutianus vir grauissimus dixit, Arescontem Argiuum à se visum, cum fœmina matrimonio coniuncta esset, & Arescusa nominaretur, eodemq; postea cum barba, prolatis etiam alijs virilibus signis vxorẽ duxisse. Neque verò de Aresconte tantùm hæc dicit, sed etiã de alio qui Smyrnæ in Asia fuit, id quod etiam ante consulibus Fabio Maximo quarto, & Claudio Marcello tertio Spoleti in alio contigerat.

De L. Cossitio Tisdritano.

Plinius quoque scriptor non minus verax quàm eruditus affirmat à se visum in Africa L. Cossitium ciuem Tisdritanum, ea ipsa die qua ceu noua nupta ad virum ducebatur, mirum in modum esse in marem conuersum.

De C. Mæcenate.

Illud quoque admiratione non caruit C. Mœcenatẽ donec vixit, febri laborasse, triennioque suæ vitæ postremo nunquam sensisse se dormire.

De Puerulo miræ in cursu celeritatis.

Potest etiam hoc inter vehementer miranda numerari quod à Plinio scribitur Fonteio Vipsanoque consulibus contigisse: videlicet puerum nouem natum annos, cursim, vno die sexaginta quinque confecisse passuum millia.

De Phæreo Iasone.

In eodem ponemus ordine Phærei casum, qui desperata salute in apostematis morbo quo diu laborauit: quia in medicis opem nullam inueniebat, in prælium ad comparandam mortem, vt ita morbi molestiam finiret, descendit: vulnereque in aduersum pectus accepto, quo apostema vires suas effudit. Salutẽ quam antea neq; medici, ne-

que eorum remedia præstare potuerant, ab hoste retulit.

De propheta Iona.

Multo magis mirum fuit quod propheræ Ionę euent
qui cum ab Ioppe Tarsim versus nauigaret, & orta grau
tempestate iactis sortibus ipse inuentus is esset, cuius cul
pa tempestas orta erat, fassus quod contra Dei imperium
vrbem Niniuen fugeret, in mare a nautis vt periculū ipſ
euaderēt, præcipitatus est. Sed cum Cete ingens ipsum de
uorasset, tertio die post ad Euxinum mare incolumem e
in ficco reuomuit.

De Iosue, Helia, Helisæo, ac Moyse.

Non minori admiratione antea Iosue cum vniuerso ex
ercitu siccis vestigijs Iordanem amnem traiecerat, & eod
modo Helias, Helisæus, ac Moyses mare rubrum. Quo
eiusmodi hominum virtuti, id elementum contra natur
iura parebat. Adeo enim Deus ijs qui ipsum deligunt, a
que ei fidelem operam nauant, vires suas impartitur, vt
sis cœlum aquas ac terram subijciat. In eo autem tam
homini hęc non parent quantum ipse Deo non paru
iuuenitur. Sicuti Iosue quoque tunc ostendit, cum con
ctos in fugam hostes Chananeos, ne ad plenā victoriā te
pus deesset soli, ne ad occasum tēderet, nisi parta victo
imperauit, solq; ei paruit. Mosis etiam simplici imperio
ra tremuit, atque Dathan & Abiron absorpsit, Helieq;
bis è cœlo ignis descendit, qui sacrificium combusit: de
de cum ab Ochozię militibus quęreretur, cœlestiigne
absorpti fuerunt, In Helisæi quoq; verbo oleū & farina
duam (cum valida fames regionē vrgeret) nō destituit,
Syriorū exercitus ceu lumine captus ab eodem quò ipſe
luit fuit perductus. Hoc etiā cū Aesculapij viuente serpe
te qui vrbem Romam peste liberauit, conferre præpo
req; possumus. Mosis enim serpens qui æneus erat tant
conspectus venenosis morsibus salutaris erat. Cęterum
nimis lato campo frena currenti equo cohibeamus, c
sumque temperemus, cui impares vires nostræ sunt. hu
generis exemplorum relicta maiori parte, quę in ipsor
historijs quæsita, non minus habent admirationis, ad
stilum nostrum vertamus.

De Iosaphat Hierosolymarum rege.

Subitus Ethruscorum ac Vejentum terror in eo prælio quod cõtra Publicolam initum fuit, quo consternari, nihil postea ad se tuendos tentauerunt. mihi in mentem maiorẽ reuocat metum Ammonitarum Moabitarumque, cũ contra Iosaphat Iudęorum regem valido exercitu vrbem Gad obsiderent: Nam contra eos profectus Iosaphat, iuxta ea quę propheta Iezel monuerat regem ipsum cum hymnorum cantu præeuntibus sacerdotibus in loco formáq; quã propheta prædixerat hostes inuenit, subito confusos terrore erroréq; simul arma in se vertisse, atque in mutuã perniciem seuire, ita vt Iudæis non pugnando aduersus hostes, sed in spoliandis qui occisi erant, esset laborandum,

De Theopompo Historico ac Theodecte Tragœdo.

Lenius animaduersum est in Theopompi & Theodectis cauillationes, quam de Daphnide Valerius scripsit. Primus enim penè ad insaniam deuenit, alter haud longè cecitatẽ euitauit. à quibus malis conualuêre, posteaquã eos pœnituit, voluisse sacras Moysi Historias libris suis, quibus gẽtiles historiæ fabulæq; continebantur inserere,

De Pestilentiæ arca.

Inter miranda illud quoque commemorãdum est, quod in Babylonis regione, in vrbe Seleucia contigit, imperante M. Antonio. In templo enim Apollinis, fracta capsula aurea, auiditate quorundã auidorũ Cassij militũ, egressus est pestilens spiritus, qui totam eam regionem peste vastauit, visque eius Romam vsque, atque in occidentem se extendit.

De Aelio Adriano Imperatore.

Permittit nonnunquàm immortalis Deus, quanquàm occultis, iustis tamen causis miranda fieri, etiam ab ijs qui inter seruos eius non sunt annumerandi, quæ ipsa à fidelibus petita impetrari non potuerunt: quæ res idcircò quod de catholica fide male sentiat, & à recta semita aberret neminem mouere debet. hoc in Adriano perspectum est. Nam cum ei grauiter laboranti mulier quædã diceret, per quietem à dijs se monitam vt eũ hortaretur ne sicut morbi tedio videbatur cõstituisse, se occideret, quoniam breui va-

letudinem recepturus esset. Mulier ipsa quia principis valetudo in tempore dictis non respondebat, se excæcauit. Denuo etiam monita vt Adriani genua oscularetur, & aqua quæ in templo erat oculos lauaret, monita per quietem secuta, statim visum recepit. Similiter quidam à natiuitate cæcus, è Pannonia profectus, tacto Adriano, oculorum lumen assecutus est, & Adrianus ad pristinam bonam valetudinem restitutus.

De Vespasiano Augusto.

Sed quoniam hoc quod nuper diximus apud Spartianum certam prorsus non habet fidem, aliud subiungemus omnino simile. quod duo clarissimi scriptores minime incerte fidei Tacitus ac Suetonius affirmant, se ab ijs qui viderunt audiuisse: scilicet quod dum Vespasianus Alexandriæ esset in Aegypto, initio imperij belliq́ue Vitelliani, quendam manu ceu fidere debilitatum, pede ab Vespasiano tactum valetudinem bonam recepisse, saliuaq́ue eiusdem cæcum lumen recuperasse.

De Pyrrho Epirotarum rege.

Minus quoque mirandum non est, Epirotarum regem Pyrrhum solo contactu pollicis dextri pedis splene laborantes curasse: & cum in funere eius corpus rogo cremaretur, combustis alijs partibus, solum eum digitum incombustum remansisse.

De Seleuco Mentore Syriæ rege.

Pariter inter miranda venit quod Seleucus qui Syriæ regno, possea etiam Asiæ iura addidit, ipse cũ posteris nasceretur coxa anchoræ imagine signata. Nec minus mirum matrem eius somniasse se ex Apolline grauidam factam, & premium concubitus ab eo annulum accepisse, cui anchora sicut in filij coxa erat insculpta, quem annulum postea ad bellũ cũ Alexandro eunti Seleuco mater dono dedit. & miraculum quo annulum assecuta erat, narrauit.

De vxore Loth.

Cum Sodomæ propinquarumq́ue vrbium scelera Dei iustitiam ita stimulassent, vt sicuti ad grauẽ iustamq́; vltionem ita etiam ad explendi æternitatem aduersus obstinatos in criminibus delerentur, quemadmodũ duo quanquã inco-

incogniti ad Simonidem poëtam ab ædium ruina liberã-dum venerunt, ita vt Loth ex patriæ incendio eriperetur, duo cœlestes nũcij sub humana effigie diuinitus missi fue-runt. Deducto autem Loth extra patrios muros cùm dua-bus filijs, atq; vxore, contrà diuinum imperium vxor supra quàm fas esset curiosior, cùm incendij fragore mora retro respexisset, in statuam salis fuit cõuersa: eam Iosephus He-bræus vir doctissimus à se visam scribit.

De Stagnis Palici ac fonte Iouis in Asia.

Mira quoq; erant Palici stagna in Sicilia iuxta Syme-thum amnem, vbi miro quodam modo iuramẽtorum ex-perimenta edebantur. Illis morientibus semper, qui falsum iurantes in eis se lauissent, contra autem vera iurantes nul-la in parte lædebantur. In Asia quoque iuxta Thyanã fons Iouis appellatus, frigidus vehementer ebulit, ac potantes ex eo periuros statim graui vlcere manibus, ac pedibus eo-rum percussis, magno dolore illic vera fateri cogebat: vera autem iurantes nihil prorsus lædebat, quemadmodum Phi lostratus scribit.

De alio miraculo.

In Vulcani colle iuxta Agrigentum penè pari euentu co gnoscebatur, si quæ poscebantur iusta erant, viridia enim ligna quæ aræ super imponebantur: si preces iustæ erant sponte ignem concipiebant, quod si iniquæ nullum conci piendi ignis signum edebant.

De Feroniæ Templo in Soracte.

In Soractis montis radice Feroniæ erat templum magnę venerationis, vbi cùm eius peragerentur sacra, multi ipsius afflati numine, vt homines rebantur, nudis pedibus super accensos carbones illæsi perambulabant, immorabãturq;.

De Palladis Templo apud Cyzicum.

Nec minus mirum quod Palladis templo euenit apud Cyzicum vrbem Asiæ, cum à Mithridate obsideretur. Nã cum sacrorum solenni die vaccam nigram sacrificare mos esset, & ea in bello clausa vrbe haberi non posset: atque ob eam rem sacerdotes in graui molestia versarentur, non sine miraculo conspecta est, in mari eiusmodi bestia ad terram annatare, vltroq; templo se offerre, vbi à Cyzicenis im-

molata fuit.

De mortuis ad vitam suscitatis.

Solent philosophi quidam nonnulli, etiã Hæbræi, adeò pertinaciter negare fieri posse, vt qui mortui sunt amplius reuiuiscant. Quod in miraculorum numerum duxi omissis naturalibus rationibus, tanquàm ad hanc rem parum facientibus, experimenta scribere eorum quæ in hac parte visa sunt: neque verò eos commemorauerim, quos Helias Christusque humani generis redemptor, vitæque ipsius dator, aut eius Apostoli, sancti ve alij viti iam mortuos ad vitam reuocarunt: quorum ingens numerus satis in historijs celeber habetur, in quibus diuinum numen vim suam ostendisse palam est. De eis tantum faciemus mentionem, qui sponte ad vitam redierunt: vt deuicti qui resurrectionem credere nolunt tandem cognoscant, contra experimentum argumentis locum non esse. Siquidem res nulla experimento aut certior aut verior est, & si verò inter eos ponere illum possemus, qui in via à latronibus occisus, in Helisæi tumulum proiectus, vt celeriter reuixit (visa in eo enim est plus prophetæ virtus quàm alia res valuisse) tamen eo omisso de alijs scribemus. Varro antiquus autor & doctrinæ plenus, affirmat quendam ad tumulum elatum pedibus suis domum redijsse: idemque Aquini alium fecisse. Heraclides autem feminam narrat post septimum diem, qua decesserat ad vitam redijsse.

De Corfidio equite Rom.

Magis etiam mirum illud fuit, quod duobus fratribus equitibus Romanis euenit: ex quibus maior natu nomine Corfidius, cum ab omnibus pro mortuo haberetur, & iam tabulæ testamenti recitarentur, quo alterum fratrem hæredem instituebat, in medio funebris apparatus, in pedes magna sc lætitia erexit, dicens: Se apud fratrem fuisse, qui filiam ei commendauerat, & ostenderat vbi certam vim auri sub terra conditam haberet: quo sepulturæ eius exequias ex funerali apparatu facto celebraret. Quo hæc dicente magna eorum qui aderant admiratione, allatum de morte fratris nuncium fuit, & aurum vbi dixerat inuentum.

De Ero Armenio.

Plus admirationis in Eri Armenij resurrectione fuit, qui decimo die postquàm in prælio cæsus fuerat, cum iam aliorum eo prælio cæsorum corpora putrescerent, ad vitam reuersus multa narrauit, permittentibus iudicibus, quibus in mortem præsentatus fuerat, qui ob id redire eum permiserunt, vt pro vera historia à Platone scriptum est.

De Enarcho.

Pari admiratione dignus est etiam Enarchi casus. Nam à medicis pro mortuo habitus & relictus (vt in libro de anima Plutarchus scribit) non multo post ad vitam reuersus verè resurrexisse, spiritusque eos qui eum vita abstraxerant grauiter ab ipsorum principe increpitos fuisse affirmauit, quod eum pro Nicauda Coriario accepissent, qui eodem die & hora febri correptus, cum in lecto iaceret eo morbo decessit. Neque verò hac re contentus ad testandam resurrectionem suam Plutarcho, qui tunc laborabat breui incolumem eum fore prædixit, atque ita cõtigit. Cæterum quoniã satis multa de antiquis dicta sunt, si vnum addiderimus ad recentiora transibimus.

De Hermotino Clazomenio & Aristeo Proconnesio.

Hermotini Clazomenij spiritus quantum videbatur relicto corpore ceu mortuo per varia errabat loca, eaque postea referebat quæ ab ijs solis intelligi poterant, qui rebus ipsis interfuissent: idem de Aristeo scribunt Herodotus, & Maximus Tyrius philosophus.

RECENTIORA.

De Christo Iesu.

Qui innumera mirandaque à te gesta, paruo volumine collecturum se arbitraretur, ô generis humani Saluator, quæ graue opus aggrederetur, ac si in cæca nocte, paruula candela fulgentes solis radios, representare, aut stellarum numerum, qui infinitus est, finito vellet numero recensere. Quamobrẽ, cũ illustrationi tuæ, sine alia ope satis tibi sit propria luce tua, qui nobis & lucis & vitæ causa es, tanquã à re, quę vires nostras nimiũ excessit, & quę cũ diuina sit, semp cũ venerationis timorisq; prefatione nominãda est,

est, stilum à materia de te scribendi cohibebimus. Neque enim decet admirandarum rerum tuarum maiestatem, vel inficere, vel minuere, hominũ qui serui tui sunt, societate, cum creaturæ nequaquam idoneus sit locus, vbi creatur est. Tuarum igitur rerum diuinitatem venerabũdi, religioso silentio præteribimus, vt æquum est, eam adorantes, neque verò cum diuinitati, quæ tecum coniuncta est, res vlla non modo impossibilis, sed ne difficilis quidem sit, quicquid à te gestum fuit, quanquam hominibus mirum videri possit, haud scio, an satis rectè miraculũm nuncupari debeat. Cæterũ quoniã cœptum opus in mortuis, qui apud veteres resurrexerunt relinquimus, ad recentiores manum ponẽtes, qui ipsi quoq; resurrexerũt, attingere incipiemus.

De Reparato Romano.

Reparati, de quo Gregorius scribit, casus similis Enarcho fuit, de quo superius est dictum. is rigens frigidusq; pro mortuo à suis conclamatus, statim ad vitam reuersus, misit ad Laurentij in Damaso fanum, in vrbe Roma, qui sciscitarentur de Tyburtio sacerdote, quid nam esset? atq; interim dum nuncius reuerteretur, narrauit à se illum esse visum in inferno magno ignibus cruciari. Reuerso autem nuncio, qui ea ipsa hora mortuum esse Tyburtium affirmauit, Reparatus quoque statim mortuus est.

De Stephano Romano.

Stephanus Romanus vir, & virtute & opibus clarus, Constantinopolim rerum suarum gratia profectus, cum decessisset, iam die ad vesperam inclinata, & ob id curari tunc funus eius nõ posset, vsque in posterũ diem domi retentus est, quo tempore suscitatus à mortuis, dixit, Se ante quẽdam iudicem deductum, illicq; magnis clamoribus reprehensos eos à quibus fuerat perductus, quod iudex nõ illum, sed Stephanum ferrarium eius vicinum deduci iusserat, missiq; ad illum ipsum ferrarium, nunciauerunt eum illa ipsa hora mortuum esse. Hoc autem Gregorius se ab ipso Stephano audiuisse testatur, meo quidem iudicio, nec mors nec resurrectio dubia videri potest, in ijs quæ diximus, id quod fortasse non tàm certum in duobus sequentibus videbitur, in quibus vtcunque res fuerit, negari non

potest

potest, quin admirationem mereatur.

De Curina.

Interdum spiritus humani corporibus inclusi manent. Cæterum motus occulti sunt, deuinctiq; sensus adeò, vt viuant ne, an non eiusmodi corpora, non facile intelligatur. Hoc facit vt nonnunquàm à mortuis suscitati esse dicantur, qui verè nondum perierant: sicuti experimento cognitum est, cum sepulti sunt aliqui, quos postea euidenter cognitum est, adhuc viuos fuisse, ex quibus nonnulli miranda narrantes, videntur illic fuisse vbi nunquàm fuerũt, sed eorum spiritus in seipsum collectus, ea comprehendit ac videt, quæ bene habens in varia abstractis cogitationibus propter corporeum visum non cognoscit, quemadmodum Augustinus de Curina se vidisse testatur. Hic pagi incola erat in Africa agri Hipponensis, qui cum in aduersam valetudinem incidisset ab omnibus penè pro mortuo habebatur, cum amissis sensibus nullo nutrimento aleretur. In hoc statu cum aliquot dies fuisset, id solum ne sepeliretur propinquos retinebat, quod aliquantisper per nares in eo reciprocare anima videbatur. Cæterum cum postea omnes eum decessisse arbitrarentur, repentè apertis oculis dixit, vt statim aliquis ad Curinã ferrarium fabrũ, qui vicinus erat visum quid ageret, properaret: & cum ea ipsa hora mortuum eum nunciaretur, affirmauit se coram iudice quodam ductum, qui vehementer eos spiritus increpuerat, à quibus ipse erat deductus: quoniam Curinam fabrum ferrarium, & non se volebat, ob eamq; causam se vitæ restitutum, in hac extasi à se paradisum multaq; alia narrabat, atque inter alia Hippone ab Augustino se baptizatum ac monitum vt ita faceret: quoniam quod tunc videbatur factum, visio erat. Bonæ igitur valetudini restitutus monita impleuit.

De quodam pastore suscitato.

Cum pestis in vrbe Roma sæuiret. Italiam procurante Narsete Exarcho, peste in Valeriani aduocati domo correptus est, iuuenis natione Liburnus & pastor, ingenio moderato minimeq; malo: qui cum putaretur penè mortuus, statim ad se reuersus, vocato domino, nunciauit ei: Vere

se

se in cœlo fuisse, ibique intellexisse, quot & qui ex ea domo peste morituri erant, eisque nominatim declaratis, affirmauit dominum superuicturum, & vt fides dictis haberetur, ostendit se linguas omnibus didicisse: atque ea ipsa hora, cum domino Græcè locutus, aliarum linguarum, cum is qui earum notitiam habebant, periculum fecit, cum antea solam Romanam didicisset. Cum biduum ita vixisset, penè in rabiem versus, mordicus apprænhensis manibus iterum mortuus est, eumque secuti quos nominauerat morituros domino superstite, prædicta ab eo impleuêre.

De Euerardo Ambula equite Germano.

Erit etiam inter mira commemorandum propter occultam causam, id quod in Germania, sub Pontifice Innocentio tertio contigit Euerardo equiti Germano. Grauiter enim laborans cum aliquantisper ceu mortuus mansisset, postea reuersus, dixit, spiritum suum à malignis spiritibus in vrbem Hierosolymam perductum, deinde in Saladini castra (is enim eo tempore Aegyptiorum obtinebat) mox ab eo loco perlatum in Lombardiam, vbi in quadam sylua Germanum amicum suum alloquutus est. Postremò ad vrbem Romam perlatum, descripta ipsius situs ac locorum ædificiorumque forma, atque effigie principum ipsorum graphicè vt erant, his futura multa addidit quæ secuta sunt. Quæ omnia cum mirandam rem faciant, illud tamen admirationem adget, quod is quo cum in sylua se locutum aiebat, colloquium habitum eo in loco temporeque quo is dixerat, confirmabat.

De Hor abbate, item de Seruo ac Maria Aegyptia.

Non minus quàm liguarum scientia, quam tàm paruo momento pastor est indeptus, habuit admirationis literarum scientia, quam triduo orans Seruus quidam est assecutus. Item Hor abbas Aegyptius, vt Hieronymus atque Augustinus affirmant, id quod etiam Mariæ Aegyptiæ euenit.

De Clerico Germano.

Mirum proculdubiò illud etiam fuit, quod Federici secun-

secundi tempore notum est, cuidam Germano clerico contigisse qui ex petra sancti Michaelis ortus erat. Is à vena hausto sanguine, seruata aliarum rerum memoria, literas tantum oblitus fuit, nec plus aut legere, aut scribere norat, quam si vtrunque nunquam didicisset, annumque in hac obliuione mansit, postea eodem tempore, atque ex eodem loco iterum hausto sanguine (mira res est) ad eandem legendi scribendique scientiam quam ante habebat, restitutus est: his, qui rem intellexerunt non minus in admirationem propter hoc motis, quàm Athenienses propter casum, de quo Valerius in memorabilibus scripsit. In eo enim percussum caput si memoriam offendit haud mirum est, siquidem in occipite sedem esse memoriæ ferunt: at in Germano Clerico, intacto capite, sanguinis haustus, ab eadem vena per temporis interuallum, ademit primo literarum memoriam, deinde restituit.

De Ioanne Damasceno.

Maius referam, quàm quod de Germano clerico dictum est. Siquidem obtruncatam manum, post temporis interuallum, corpori à quo abscissa erat restitutam esse, haud dubiè humanam superat fidem. Theodosius imperator, falso suspectum habuit Ioannem Damascenum monachum, ne ad Persas scriberet, apud quos captiuus fuerat. Itaque abscissa manu eũ mulctauit, quę Saluatoris nostri Matris virginis ope, nulla remanente offensa, palàm restituta est vt ante erat, & si Ecclesiæ valuis affixa, multos manserat dies. quæ res etiam Damasceni innocentiam testata est.

De Hirene virgine Cypria, ac Spiridione Episcopo.

Miraculo à falso crimine liberatus Damascenus, propter rei similitudinẽ secũ trahit quod Spiridioni Salamino episcopo in insula Cypro contigit, à quo cum pecunia reposceretur, quæ penes eius filiam Hirenem virginẽ deposita dicebatur, cuius moriens virgo nullam fecerat mentionem, cum Episcopo inopia soluendi modũ non daret, et alia ratio inueniẽdę veritatis nõ offerretur, creditorẽ Episcopus secũ ad sepulturæ locũ, vbi filia Hirene erat sita perduxit. Filiæ igitur tumulo incũbens, ac Deũ orans,

ab ea

ab ea petijt, vt de petita pecunia veritatem detegeret. Itaque Hirenæ vox palam audita est, respondentis, Vbi eam pecuniam condidisset, quæsitaque eo ipso in loco quem dixerat, inuenta est.

De Donato sacerdote Aretino.

Donatus quoque, qui tum erat sacerdos, sed postea Aretinorum factus fuit episcopus, impulit Eufrosynã Eustachij Aretini fisci exactoris coniugem, vt quanquam ante mortua & sepulta, loqueretur, ac detegeret vbi pecunia esset, quam ante mortem condiderat, & nemini reuelarat.

De Machario Aegyptio.

Macharius Aegyptius monachus, abbatis Antonij discipulus, cum ad eius antrum quidam profugisset, opis petendæ gratia, quia magistratus tanquam reum patratæ tunc cædis insectabatur, is autẽ, insontem se affirmabat, nominis sui reuerentia magistratuũ vim repressit, & quia suspicio tantum, non testes hominem vrgebant, vt veritas palã fieret, egit, vt qui occisus fuerat, à tumulo omnibus qui aderant audiẽtibus loqueretur, qui quoniam affirmauit, nihil cædem suam ad eum pertinere, cui tunc crimini res dabatur, magistratus hominem quem insectabatur, Machario auctore absoluit.

De Benedicto abbate ac D. Martino.

Non minus quàm hoc, de mortuis vocalibus, mirum videri debet, Benedictum abbatem Totilæ regi futura prædixisse, cum ad eum profectus esset, experiendi gratia an propheticum spiritum (vt ferebatur) haberet? Nam quanquam ad Benedictum mutata veste Totilas accessisset, & alium regio habitu ornatum pro se misisset, statim Benedictus eum agnouit, prædixitque redacturum vrbem Romã in potestatem, & item in Siciliam traiecturum, sed demũ decimo anno post moriturum, quæ omnia vt Benedictus dixerat contigerunt. Idem à Martino Turonensi episcopo factum fuit, Maximo tyranno, quemadmodum Seuerus Sulpitius testatur.

De Ioanne monacho Aegyptio, item de Maria Aegyptia.

Ioannes monachus Aegyptius, vir morum sanctitate clarus, præter ea quę de futuris victorijs & alijs rebus Theodosium

dosium præmonuerat, Hieronymo quoque, quemadmodum ipse testatur, affirmauit, eo die quo Hieronymus eũ alloquebatur: Alexandriam perlatũ esse nunciũ de Theodosij contra Eugenium victoria, quę prorsus ignorabatur, neque de ea adhuc aliud homines suspicabantur. Quæ res ita contigisse inuenta est, vt ipse tunc prædixerat. Maria quoque Aegyptia, permulta Zozimæ monacho Aegyptio nunciauit, partim futura, partim remotis in locis tunc gesta, eumque quem antea non viderat, nominatim compellauit, ac similiter de eius abbate egit.

De Paulino Nolano Episcopo.

Paulinus Nolanus episcopus, cum in Africa apud Vandalos captiuus haberetur. Vandalorum regi obitus diem prędixit, Verum quia in ijs quę dicta sunt, numen aliquod videri potest fuisse, nonnulla addemus, quæ aliter credi possunt, fortasse hanc vim non habuisse.

De Clemente quarto Pontifice.

In ijs Clemens quartus pontifex erit, cum aduersus Carolum primum Conradinus Germanorum Rex, ad recuperandum Neapolitanum regnum, cum valido exercitu proficisceretur: quanquam id ei à Pontifice interdictum erat. Dum autem is Viterbij consternata metu aula, in Prædicatorum fano, inter missarum solemnia concionaretur, ad solandas hominum mentes apertè monuit, Ne qui secum in aula erant formidarent, quoniam malorum hominum suasu Conradinus ad eam expeditionem, velut ouis ad occisionem ducebatur. Affirmauit autem à Deo habere se, hoc pro comperto, vt post Catholicæ fidei articulos, hac re nihil certius putaret, nec multo post superatus prælio Conradinus à Carolo, Neapoli capite mulctatus fuit.

De Edouardo Britanniæ rege.

Edouardus primus Britannorum rex non minore admiratione, quàm ij de quibus dictum est, tanquam rẽ præsentem eam narrauit, quæ propter loci longinquitatem perinde atque supradicta in futurarum numero haberi poterat. Nam dum in templo oraret, vultu in ridentis speciem ad eos conuersus, qui aderant, dixit: Frothonem Daciorum regem, qui contra ipsum magna classe veniebat

ea ipsa hora cum quadraginta nauib. submersum esse, idq; paucis diebus ab ijs qui inde venerunt confirmatum fuit, ita ea hora contigisse vt ab Edouardo dictum fuerat.

De Florentinis.

Iam non ita mirum videatur Castorem ac Pollucem Romæ Posthumij contra Tusculanos victoriam nunciasse, eadem ipsa hora, qua eam Posthumius est assecutus. Item P. Vatinium eo die captiuitatem Persæ sciuisse, quo captus fuit, & si magno locorum interuallo disiunctus erat. Quando quidem apud Florentinos par exemplum contigit, quo die Aretinus populus in Campaldini campis superatus fuit. nam cum vrbanus magistratus, penes quem imperium esset, nocturnis vigilijs defessus, per meridiem quiesceret, clangor pulsantium ad hostia strepitum audiuit, qui prælio victos Aretinos nunciauerunt. Excitato hoc nũcio magistratu, cũ propter rei magnitudinem à tota vrbe ad prætorium fieret concursus, nunquam victoriæ quæ nunciata erat auctor est inuentus, neq; ante de prospera pugna literę Florentinis, quam nocte, quæ eã sequuta est diẽ, allatę fuêre, quia neq; etiã loci interuallũ afferri celerius humana ope pmittebat.

De equite Hierosolymitani ordinis qui genere Neapolitanus erat.

Alijs diuinationum exemplis, meo quidem iudicio, annumerandum est, id quod sub Clemente quinto pontifice contigit. nam cũ Philippi regis cognomento Pulchri opera & suasu, Clemens Templariorum equitũ religionẽ dissipasset, atq; eorum multos, varijs in locis supplicio affecisset, postremò ad eum vnus est deductus, natione Italus, patria Neapolitanus, qui minimè intrepido se animo gerebat, Dãnatus enim vt viuus, sicuti ante alij, cremarerur, ex in Vasconibus in Burdegala vrbe ad supplicium deductus, consspectis in fenestra Põtifice ac Rege, magna voce in hęc verba prorupit. Sæuissime Clemens tyranne, posteaquam mihi inter mortales nullus iam supereſt, ad quem appellem pro graui morte, qua me per iniuriam afficis, ad iustum iudicem Christum, qui nos redemit appello, ante cuius tribunal te voco, vnà cũ Philippo Rege tanti mali suatore, vtante eum, intra annum diemq; ambo appareatis, vbi causam meã exponã, & ius sine prauo vllo affectu ministrabi-

tur. Mi[illegible]
quite fuera
ptus: nec m
pauciores h
andrum cu

Ex toto fi
breuius fu
nandũ qua
proditioni
ab ingẽti
suppliciũ
Christũ ap
que vt intr
tauerunt, q

Cogit n
poribus no
uersus pira
interim d
atq; Sicili
rem furci
Genuensi
quam per
gentis, q
Deum ap
qué grauio
sem, coran
nus, quem
dici potes
diuinũ á D
quos null
in presen
creationẽ
tas contũ
gerunt, ta
res videre
pora præd

tur. Mirum profectò, neque enim tempus quod dictū ab equite fuerat, abijt. quod Clemens repente morte est correptus: nec multo post Philippus quoq; interijt, neq; enim pauciores huius equitis verba vires, quam Calani ad Alexandrum cum mori constituisset habuere.

De duobus Hispanis equitibus.

Ex toto simile hoc fuit, & sequitur, nisi & citationis tēpus breuius fuit, celeriusq; vires suas exercuit aduersus Ferdinandū quartū Castulonensem regē cū falsis criminibus, proditionis duos equites Hispanos morti dānasset. Nā cū ab ingēti saxo precipitarētur, frustraq; de innocentib. sumi suppliciū exclamarent, tandē cū nihil proficerēt, ad Iesum Christū appellarunt, qui viuorū & mortuorū iudex est, atque vt intra triginta dies coram in eo appareret regem citauerunt, qui intra id tempus repente decesit.

De Pirata quodam Cathalano.

Cogit me rei similitudo, vt de quodam scribā, qui temporibus nostris fuit. Nam cum Genuensium triremes, aduersus piratas instructæ, biremem Cathalanā cœpissent, interim dum extra Drepanum vrbem, in Cathalanorum atq; Siciliæ insulæ contemptum, Genuenses biremis recto rem furcis noctu appenderent, & miser iniquè, se id pati à Genuensibus quereretur, cū nūquam eos violasset, postea quam perspexit frustra à se ea dici apud eos, qui plus odio gentis, quàm hominis causa mouerentur, pro iniuria ad Deum appellauit: citato patrono Genuensium, eo penes quē grauior mortis suæ culpa videbatur, vt intra sextū mēsem, coram Deo compararet, intra quod tempus is patronus, quem citauerat, mortuus est. Ad hæc exēpla quid aliud dici potest: nisi, Vbi humanum deest subsidium, pro iustitia diuinū à Deo mitti. Et quia permulti inueniuntur penes quos nulla futuri iudicij fides est, aliqua eius signa Deum in presenti ostēdere vita, vt hac spe, impotētiū oppressio, re creationē habeat, & insolentium proteruia atque malignitas contūdatur. Quod si etiā eiusmodi mortes casu contigerunt, tamen quia intra designata tēpora euenere, vt mirē tes viderentur effectū est: sicuti fortasse nonnullæ, quia tēpora prædicta preterierūt, & propterea pro miraculo habitę

miraculo habitæ nō fuerunt, earū obſeruatio neglecta eſt. Quæcūq; verò huiuſmodi rerū cauſa fuetit, negari nō debet, quin q̄ ita contigit, obſeruatione dignæ videantur.

De Conſtantio Auguſto.

Non poſſunt autem humana ingenia tam altè efferri, vt vere eiuſmodi rerum cauſas intelligant. ſtaque propter hoc experimentis ſtare cogimur, ſicut in ijs de quibus ſcriptū eſt. Apud Conſtantiū accuſatus fuerat Amphilochius Tribunus, quod in eius vitam conſpiraſſet, accuſatoribus autem reſponderat Conſtantius, ne moleſti ei eſſent, poſteaquam res non conſtabat, ſed finerent vt conſciētia ſua Tribunus torqueretur, ſe enim præſente, ſi in eo culpa eſſet, ipſos ſigna aperta viſuros eſſe. Poſtero igitur die cum ludos ſpectaret, & præ lætitia inter ſpectantes motus fieret, ſuggeſtum in quo è regione Conſtantij Tribunus erat, ad terram proruit, læſiq; leuiter qui in eo erant, ſolus Tribunus in ea ruina perijſſe inuentus eſt.

De Iuliano ſecundo Imperatore.

Præſens ſe diuinum oſtendit numen Hieroſolymis ingenti hominum formidine, cum Iulianus ſecundus imperator in Chriſtianæ religionis contemptum, Iudæos inſtaurare dirutū ſub Tito templum eorū permiſit, demandata eius cura Antiocheno Philippo. Nam poſt iactos in fundamētis primos lapides, terra edito ingēti mugitu, vehementer tremuit, cœptumq̄ iā murum à fundamentis, mira flamma cum ingenti fabrorum ſtrage reuomuit, omnibus, quæ illic erant vſque ad ferramenta ipſa conſumptis. quæ res vt opus intermitterent effecit. proximaq̄ nocte multis Cruces in veſtibus, quæ deleri non poterant apparuere.

De Olympio Arriano epiſcopo.

Nec verò minus ſe diuinū oſtendit numen in Olympio epiſcopo, qui regnante Theodorico, dum Carthagine in balneis ſanctā Trinitatem, quam non credebat, blaſphemaret, omnibus qui aderant videntibus, ignitis tribus puctis, quæ ſimul erant ambuſtus, totus cōſumptus fuit, Trinitatis vim quam contemnebat in perniciem ſuā experta.

De Valente ac Theodoſio Auguſtis.

Mira res, neq; ea parua, ſub Valēte Auguſto contigit, ſi erant

ferre Cõstantinopolim Ioãnis Baptistæ caput vellet, currus enim cui impositũ erat, moueri loco nunquam potuit, itaq; omittere coactus est opus, quod susceperat. hoc autẽ ipsum caput, postea facillime à Theodosio perlatum fuit, in eo enim diuinũ numen ostendit, quantum Valentem propter Arrianam perfidiam abominaretur, & quantum propter fidei syncteritatẽ ac bonitatẽ Theodosiũ diligeret.

De Heraclio Imperatore.

Pari miraculo Heraclij Augusti põpa, vt Valẽtis perfidia spreta fuit, cruce enim ex Persíde recepta in qua pendẽs Iesus nos ab æterna dãnatione redemit, cũ eam in locũ suũ Heraclius in Caluarię mõte vellet referre, ditissimo apparatu, regioq; amictu atq; diademate ornatus, in collũ eam sicuti redẽptor noster tulerat, cœpit, vt verò ad portã peruenit, qua ad Caluariæ cliuũ via ducit, progredi nunquam potuit. Itaq; cũ omnes mirarẽtur, monente vrbis Patriarcha fortasse, Christo qui toti terrarum orbi humilitatis atque inopiæ se exemplũ præbuit, opulentã illã superbãque pompã esse molestã, quę rarò iustitiæ esset coniuncta, mutata rerum facie, Heraclius cum abiectam vestem induisset, nudis pedibus facilè quo voluit crucem pertulit. Quę res ꝓfectò satis potest ostẽdere, si multa sanctorũ corpora, nostris tẽporib. admirãda tã multa vt olim nõ faciãt, eius rei causam illã esse, ꝙ principum diuitúmq; hominũ, qui per omne scelerum genus coaceruatis opibus fulgere pulchrum putant, impietas charitatẽ in eiusmodi sanctis extinguit, quæ olim cũ sanctius homines viuerent, promptos faciléq; ad concedenda quæ poscerentur eos præstabat. Fallimur igitur pleríq; , qui cũ auaritia nobis suadeat, in opibus summam felicitatem esse ponendam: etiam in religione sanctiora gratioráq; Deo ea putamus loca, quæ gemmarum atq; auri maiore copia refulgeant. At non ita veteres patres atque Ecclesiæ rectores Ambrosius, Paulinus & alij, qui vt hominum ægestatem sustentarent, non modò superuacaneis ornamentis nusquam vsi sunt, sed ne vasis quidem, quibus sacrificabatur pepercerunt, vt modus ad famem ex pauperum visceribus pellendam suppeteret, Omni igitur thesauro gratior Deo est in pauperes

pietas: neq; aurũ à nobis aut gẽmas is poscit, aut ad-ea nos in meliore vita inuitat. sed in Euangelio ad iustitiam ac pietatem nos vocat.

De Ambrosio Mediolanensi episcopo.

Non Iudeos solũ Romanósq; in prælio iuuere cœlestium corporũ apparitiones, verũ vt Fabricio aduersus Lucanos Brutiosq; pugnãti, Martem adfuisse dictũ est, ad victoriã parandam, visus & in Macedonia contra Brutũ Cæsar, ita verius cõtra Barbaros quos Leodrisius Vicecomes, ac Martinus Scaliger aduersum Actiũ vicecomitẽ Galeatij primi filiũ mercede cõduxerant, prælio ad vicum Parabiagi commisso, cum iã Luchinus Actianarum copiarũ dux captus esset, redintegrato prælio ab auxiliaribus copijs quæ superuenerunt, clare conspectus est Ambrosius vrbis episcopus iam mortuus, flagello barbaros insectari: cuius numine cõuersa eius prælij fortuna receptus est Luchinus Vicecomes, atque hostiles deletæ copiæ. In huius autẽ memoriã victoriæ Ambrosij, simulachro ab eo tempore flagellum quod non ante pingebatur, addi cœpit.

De Iacobo Apostolo atque Hispanis.

Quod Ambrosius Actio Vicecomiti, populoq; Mediolanensi, aduersus Barbaros præstitit, id Iacobus quoq; Apostolo, erga Hispanos egit, eo enim plio quo Ramir⁹ Hispanorũ rex aduersus Saracenos decertauit iuxta Calagurrã oĩbus q interfuere, cõspectus est Iacob⁹ Apost. albo vexillo Christianorũ aciẽ antecedere atq; in fugã Saracenos vertere.

De Aimaro episcopo Anicien si.

Quo die Gotofredus Bolionius, cum alijs ad Syriacam expeditionem profectis prælio Hierosolymas adortus eam vrbem expugnauit, similiter vt in ijs de quibus diximus, multis perspectus est, Aimarus episcopus Anicien sis in prælio alios præire, & cum primus in muros euasisset, alijs vt conscenderent innuere, quanquam pro certo haberetur multis mensibus ante eum Antiochiæ decessisse, sicuti Guilielmus Tyrius episcopus scribit.

De Balduino tertio Hierosolymarum rege.

Cum Balduinus Hierosolymarum rex, ex Arabia regressus, frustra vrbem Bostrensem occupare adortus esset

que Turcæ acriter insectarentur, atque in ea regione via aberrasset, biduo ab equite qui rubens vexillum præferebat ductus est. In vexillo autem Crucis signum erat positum, longeque is exercitum anteibat, qui nusquam conspectus est, posteaquàm incolumis rex cum copijs in tutum se locum recepit.

De Venetis.

In periculo Hispanos Iacobus Apostolus, item alij alios, vt ante dictum fuit, iuuerũt, Venetos quoq; Bartholomæo Gradenico duce, Euãgelista Marcus protexit, nam cum aquæ supra consuetum excreuissent, ita vt non leue periculum Venetæ vrbi immineret, mane piscator senex retulit, dũ tempestas sæuiret, à tribus se venerandi aspectus requisitum, eos vsq; in portus fauces tulisse, qui sedata tempestate, omnes in vrbe remanserunt. In sancto Gregorij fano vnus alius in sancto Nicolao, tertius cũ alios duos Georgiũ & Nicolaum esse dixisset, se Marcũ esse Euangelistam ostẽdit, imperauitq;. vt quod viderat narraret, quia ab vrbis principe abunde laboris sui, dum eos traijceret, mercedem esset accepturus. Vt autem ijs quæ narraret fidem penes homines inueniret, annulum donauit, quem piscator ostendebat. Itaq; re audita, Veneti constituto piscatori annuo stipendio, supplicationes decreuerunt.

De templo quod per miraculum fuit dedicatum,

Nónne mira fuit templi eius dedicatio, quod propè Parisiorum vrbem Dionysio est sacratum, dum in Gallia Dagobertus primus regnaret, pontificibus enim, qui ad dedicationem conuenerant, leprosus quidam, qui in eo templo nocte illa excubauerat, narrauit, Christum à se visum, alioſq; sanctos templum dedicantes, iubente Christo vt quod viderat pontificibus ad dedicationem profectis referret. eiusq; rei, ne forte fides desideraretur, signũ ostẽderet, illud quod esset à lepra mundatus, cutisq; ex facie, quæ tuberculis eius morbi vlcerosa esset, tota esset sublata. Ei igitur nõ fides tantum est habita, sed etiam à dedicatione põtifices abstinuerunt. In rei autem memoriam, nunc quoq; detracta ex leprosi vultu cutis, aurea pyxide cõdita ostẽditur, & dies quotannis inter solennes celebratur.

De Rhoderico Gotho Hiſpaniarum rege.

Hiſpanorum recordatio, de quibus paulo antè mentionem fecimus, inuitat, vt quiddam mirum ſcribamus, quod Rhoderici Gothi Hiſpaniarum regis tempocibus Toleti contigit, vbi veteribus ædibus, quæ diu clauſæ manſerant, contra omnium ſententiam à Rhoderico apertis, qui thesauros ſe in eis aſconditos putabat inuenturum, effracto cophino ferrato, Attalici operis pannus duntaxat in eo repertus eſt, hominum figuris barbaris effigiatus, cum hac inſcriptione: Quod quo tempore hic pannus eſſet inuentus, gens ea forma, quæ in panno erat expreſſa, totam peruaſa eſſet Hiſpaniam deletura: omnibus ea re territis, in locum vbi prius erat, pannus reſtitutus eſt, & palatij fores vt ante erant concluſę, nec longè itū eſt, cū Arabes ſimulachra in pāno expreſsis perſimiles, in Hiſpaniā traiecerunt, vbi Rhoderico occiſo, cōpreſsis magna ex parte Gothis, maiorē meliorémq; Hiſpanię partem, ditioni ſuæ ſubegerunt.

De Hirene Auguſta.

Imperante Cōſtantino, cum Hirene matre, in veteri ſepulchro Conſtantinopoli cadauer inuentum eſt, cuius pectori ſuperpoſita erat aurea lamina, in qua hæc verba inciſa erāt: In Chriſtum credo, qui ex Maria virgine naſcetur. O ſol imperantibus Conſtantino & Hirene iterū me videbis. Quæ res poſteaquàm publicè recitata fuit, in locum reſtituta eſt, vbi antea condita manebat.

De miris rebus quæ igne conſumptæ non fuerunt.

Tanquam rem miram antiqui ſcripſerunt incenſo Saliorum ſacrario, omnia quæ in eo erant combuſta fuiſſe excepta Romuli virga. Item Seruij Tullij & Claudiæ ſtatuas incolumes locis ſuis manſiſſe, templis in quibus erant incenſis. Nec ſatis cogitarunt inueniri quædam lignorum genera, quæ igne corrumpi nequirent, ſicuti hebenus eſt, & alia eiuſmodi naturā habentia. Præterea poſſe arte ligna quædam ad id redigi, vt ignis iniuriam non patiātur. Itaq; non incongruum, neq; inutile duxerim ſuper huiuſmodi rebus, q̄ cū facile cōburi potuerint in medijs ignib. illæſę manſerint, exēpla quædā edere. Sed quoniam in his trium puerorum quos Babylonis rex in ſuccēſam fornacē

præci-

præcipitari iussit, qui combustis tantum vinculis incolumes, cùm cæteris rebus manserunt, exemplum fortasse nimis antiquum, satisq; notum putari potest: nonnulla alia scribemus, quæ non minus vera sunt, sed non tam nota & longè etiam recentiora.

Coprus siue Copres in Aegypto monachus, rectè de catholica fide sentiens, cum de fidei Christianæ articulis, cum Manichæo monacho viro pertinacissimo contenderet, vt re aliqua mira ea probaret quę verbo dixerat, medios ignes ingressus in eis horam dimidiam mansit, non incolumis modo, sed ne minima quidem læsa capillorũ parte. Quẽdam monachum nomine Benedictum, qui haud longè ab vrbe Roma habitabat Gregorius narrat, cum in cella clausus esset, magna lignorum strue circumposita atque accensa (& si ea quæ circa erant combusta fuerunt) ipsum tamẽ vnà cum cella, eo incendio inuiolatum fuisse. Quare indignatos Gothos, quod ijs quæ in monachum agebant, nec suam nec Totilæ regis iram explere possent, arbitrarenturque casu monachum cellamque extincto incendio incolumen mansisse, monachum ipsum succenso furno penitus inclusisse: ad quem postridie reuersos non sine ingenti admiratione incolumen in furno integris vestibus eum inuenisse. In villa quoque Gallica ad amnem Matronã, tactum de cœlo templum succensum est, cum omnibus ijs quæ eo erant, solaque Christiana hostia, quæ asseruari in templis solet eam vim non passa est.

De mirandis quæ in aquis perspecta sunt.

Non in igne solum temporibus nostris, verumetiam in aquis contrario ei elemento miranda perspecta sunt. Nam Aegyptia Maria Iordanem amnem sicco vestigio, neque semel tantum transgressa est: qui fluuius si sola naturæ vis inspiciatur, traijci sine naui non potest. Regnantibus Autarico Lõgobardorum rege, item Mauritio Augusto in Pelagij pontificatu, cum Athesis qui Veronam vrbem mediam secat, adeò excreuisset, vt superato alueo, eius aquæ iam vsque ad fenestras fani vbi Zeno colitur ascendissent: in ipsum tamen fanum, neque à valuis, neque à fenestris, & si apertæ erant, eius humoris pars vlla ingressa est. Sed magis

etiam illud mirum videtur, quod homines qui fortè in fano inuenti sunt, vbi aquæ sæuiebant à porta ex eis biberunt, & in vasa cœperunt

De Redemptoris sanguine miranda.

Facilè omnia credere non oportet, quæ miraculi facie habere aut dicuntur, aut scribuntur : nam sub eiusmodi nomine sæpe hominum mentes falluntur, contra quo que haud prorsus pertinaces se præbere homines debent, vt ea siue recentia, siue vetera sint, quæ vniuersalis Ecclesia probauit non credant: nam & si crimina, quibus immersum est humanum genus tantum munus mereri non videntur, extincta in humanis cordibus charitate, tamen meminisse oportet, à Saluatore dictum esse: Infirmis & non valentibus medico opus esse. Itaque credendum est pro bonitate sua, immortalem Deum, non desinere hoc medelæ genus, ad calefacienda mortalium corda mittere, prudentia ergo opus est, vt neque credamus miracula omnia, neque negemus, sed cum ratione fidem dispensemus. Itaque hic nonnulla subnectemus ad sanguinem morum pertinentia, quia & rariora sunt: & plus admirationis habent. Imperantibus Ottone Philippoque in bello quod pro Germanico imperio inter se gesserunt, cum permulti se cum rebus suis in fanum sancti Gouari, haud longè a Treuiris recepissent, quia & natura & manu fortis munitus videbatur is locus, eoque oppugnaturus templum Vernherus Bolanus venisset, qui intus obsidebantur, cum suspectam haberent fenestram, ne ea hostes aditum sibi in templum facerent, posita in eo loco crucifixi Christi imagine quæ lignea erat, satis cauisse rebantur, ne illi de hostes venirent. Sed cum auaritia pro Deo aurum conflat, sagittarius quidam populationis spe sagittam in eum ipsum locum direxit, vbi in Christi imagine confixa fuit: quamobrem, sic Deo visum est, tanquam ex viuente corpore a lignea Christi effigie sanguis manauit, quare territus Vernherus, cruce sumpta, mare ad bellum contra Christi hostes gerendum traiecit, imago autem sagittæ cum sanguine conspersæ, veneranter in hunc quoque diem asseruantur.

Salutis

Salutis anno ducentesimo nonagesimo supra mille, in Parisiorum vrbe quidam Iudæus, per inopem mulierculam, cui vestem quam ab ea oppigneratam habebat, se gratis restituturum promiserat, Christianam hostiam in paschate asecutus: cum accenso igne in sartagine vellet assare, vt perspexit eam non mutare formam nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confestim sanguis manauit, re autem detecta, superuenientibus Christianis, hostia in loco ei dicato restituta, Iudæi domus in templum conuersa est, quæ etiam nunc Saluatoris bullientis nomine compellatur, vbi hostia gladiusque etiam nunc ostenduntur. Temporibus nostris, eo bello quod Carolus octauus Gallorum rex gesit aduersus Annam eius Galliæ partis, quæ Britania dicitur ducem, quam postea in matrimonio coniunctam habuit, Britanus quidam, cum ea militabat, qui Remensi vrbe egressus, cum alijs ex hostili terra præditum, pagum ingressus, vbi templum erat, in quod meliorem rerum suarum partem agrestes detulerant, capsam confregit, arbitratus secularium hominum esse, repletoque sinu his rebus quas auferre secum poterat, posteaquam domum redijt, dum res raptas agnoscit, in eis particulas quasdam lineas vidit, haud absimiles his, quæ ad nasi purgationem conficiuntur, minimeque arbitratus ex eo genere esse, quibus sacerdotes pro mappa sustinendam Christi hostiam vtuntur, neque enim Gallia ita hæc, vt ab Italis instruuntur: fœminæ in eo domo, in qua ex hospitio accipiebatur eas dono dedit, cum autem sanguine infectas cerneret, primum manus suas inspexit, quas cum illesas cerneret, neque inde sanguinem manasse ad fœdandam telam videret, in sinum suum oculos deflexit, vbi integra pectoris cute, diploidem quoque interiore tunica sanguine illitum animaduertit, quanquã vehementer miraretur: tamen eius rei causam intelligere non poterat, fœmina quoque quæ munus acceperat, cum ad amnem lotura hos pannos tulisset, non modo ex pannis huius sanguinis maculæ non abibant, sed aqua quoque cruenta fluebat. Itaque vehementer territa, cum rem narrasset, suspicata sacram esse telam, eius sacrilegij error

inuen-

inuentus est, & pro comperto miraculum inuentum, & pa lam omnibus factum. Quod haud simile est ei rei, quę Leo ni pontifici contigit, qui petentibus à se sanctas reliquias, eius mappæ quæ corporale dicitur, partem secabat & da bat. Cæterũ cùm semel quidã eam rem despiceret, Leo ille præsente mappam pupugit, clareque illi ostendit sanguine ex ea manare.

De Genarij episcopi Beneuentani sanguine.

Mirandi sanguinis mentio, quæ superius est facta, impe lit ne sanguinem prætereamus Genarij martyris, qui Be neuentanus episcopus fuit, Neapoli pro Christi fide capi te mulctatus. Diuersis igitur templis condita caput, san guisque eius, ampulla conclusus, quo die per vrbem soleñ niter feruntur, sanguis qui in pilam induruit, cum in caput incidit (mirum dictu, sed tamen verum est) liquescit tota in ampulla, non aliter quam tum cum primùm cæso capite ex martyris corpore defluxit. Cum autem à capite diffun gitur, in sphęricam formam, vt ante erat, durescit. Id & fi satis patet, nos tamen vt certius rem intelligeremus, eos qui in re præsenti fuerunt, intentisque oculis diligentes & spectatores prebuerunt, testimonium habere voluimus.

De trium virginum corporibus.

Sicut deos penates ex Alba longa, Lauinium vnde abdu cti erant, reuertisse credidit vetustas, ita verius Ottonis & Philippi imperatorum bello, Coloniam visa sunt redire in templum vndecim miliũ virginum, trium Regum corpora ab abbatia Fuldensi in Turingia regione, ad quam à Colo nia fuerant translata. Mane enim dum nocturni psalmi ca tarentur, abbas monachiq; eius monasterij egredi templo corpora ipsorum trium perspexêre Regum, quæ haud mul to post Coloniæ in tẽplo vbi antea erant fuerũt inuenta.

De hostia Christi immolata.

In Germania Erchembaldus Brabãtię dux, cũ æger sacra peteret communionem, & interrogatus, Si eum manifestæ cædis, quæ in nepotem perpetrata erat pœniteret? isque quia iustã putaret, pœnitere negaret: Episcopus cũ Chri stiana hostia, ad templum reuertebatur: nec verò ad templi valuas peruenerat, cum ab ægro reuocatus, rogatus est, vt

tabernaculum in quo hostiam ipsam ferebat recluderet, vbi cũ nõ inueniretur hostia, æger in ore se eã habere ostẽdit, quo miraculo ostensum est, Deum qui falli non potest, de illa cæde aliter quam episcopus fecerat, iudicasse.

De Vinando Hesdinensi.

Ecclesiasticus quidam, Hesdinensis pagi incola, in Leodiensi agro, cum religionis gratia Hierosolymã perrexisset, post comites Hierosolymis substitit, vt paschatis die diuina illic celebrari, quę alij omittebãt, audiret: veritus autem postea, ne traijciendi in Europam facultatem ob eam moram amitteret, Ioppen ad mare properabat. Itaq; defessus in itinere, equitem offendit, qui misericordia se motum ostendens, eum in equi tergum accepit, ab eoque eo ipso die, magna omnium suorum admiratione in pagũ suum Hesdinum perductus fuit. Ibi re exposita, vt cõtigerat, cum accolæ aberrare à recta mente putarent, in Hispaniam ad sancti Iacobi fanum profectus est, atque inde reuersus, priusquam ab Hierosolymis comites in patriam regrederentur: ab eis cum esset affirmatum, post ipsos eum Hierosolymis substitisse, tunc quod ille de reditus celeritate narrauerat, fidem cœpit haberi.

De Aquinate Thoma & imaginibus quæ locutæ sunt.

Sicuti Fortunæ statua, item lunonis apud Veios locuta est Romam se venire velle, rectéque dicari: ita minimè dolosè, vt illa Neapoli in prædicatorum templo cruci affixa Christi effigies, Aquinati Thomæ respondit, Recte eũ descripsisse: cum Thomas librum tenens, quem aduersus Græcorum errores scripserat, Christum oraret vt se moneret, si qua in parte eius libri errasset, quod eum ad Lugdunense concilium Vrbani quarti iussu laturus erat.

In vrbe quoque Castrensi opinio est, Dominico Crucifixum locutum, qui hoc quoque tempore veneranter colitur, atque ostenditur.

Item Francisco haud longè ab Asisio vrbe, quæ ei patria fuit, in sancti Damiani fano, cum eum reparare domũ suam iuberet.

De quibusdam Aphris episcopis.

Cum non minus mirum sit hominem lingua carentem, quàm

quàm ligneam loqui statuam, Siquidem sine lingua egrediens ab humano corpore spiritus, aërem verberare non potest, id quod formare vocem dicitur. Non incongruum videtur his de quibus dictum est multorum Episcoporum exempla subnectere, quos in Aphrica, quia recte de catholica fide sentiebant, Honoricus Vandalorum rex Arriana impietate laborans, qui illic rerum potiebatur, linguas radicitus quantum fieri potuit abscissa mulctauerat, & tamen loquendi facultatem non amiserunt. Id enim experimento conspectum est, ipsum episcoporum quibusdam imperante Iustiniano Constantinopolim profectis, aperto enim ore, cum sectæ vsque ad intimas gutturis fauces palam linguæ viderentur, articulatè tamen pleneque vt alij homines loquebantur.

Quam multa etiam illa sunt quæ natura in hominum corporibus operatur, quæ miraculorum penè loco habentur? Sicut id fuit inter alia quod de Epirotarum rege Pyrrho scriptum est: nam pro dentibus in superiore oris parte, os perpetuum habuit in dentium similitudinem paruis notis discriminatum.

Item de Casso eius auo, quem Parthi occiderunt: qui idcirco ἀγελάστ nominatus est, quod nunquam risisse visus est. Id quod etiam de Imperatore Philippo legitur, qui cum eiusdem nominis patre imperauit.

Nónne etiam mirum fuit Antoniam Drusi per omnem vitam nunquam expuisse, Item quod de Tritani filio legitur, qui cancellatim transuersos per omnes artus habebat neruos, eques vt Varro refert, in Pompeiano exercitu fortissimus habitus.

De Carolo & Francisco Guarnis ciuibus Salernitatis.

Miranda quoqua res ætate nostra contigit Neapoli regnãte Ferdinando primo. Nam cum Ludouicus Guarnus Salernitanus ciuis, quinque filias suscepisset, quarum natu maioribus duabus alteri Franciscæ, Carolæ alteri

eratnomẽ. Posteaquã ad quintumdecimũ annũ peruenerũt, ambabus genitalia mẽbra in marium morem erupere, muta toq́ habitu pro maribus habiti sunt, Franciscus & Carolus nuncupati.

Item Ebuli sub eodem regé, puellæ quæ iam quatuor annos viro promissa sponsæ habuerat nomen, qua nocte primum viro tradita cum eo cubuit, siue ex confricatione, siue ob aliam causam quæ ignota sit, effractis membranis quæ vt mulier videretur, efficiebant, virilia membra prodierunt: domumq́ reuersa in iudicio dotem repetiuit, in virorum numero postea habita.

De Margareta Hollandiæ comite.

Ostendi quoque loco habitum est, quod à Virginis partu trecentesimo quartodecimo super mille cum in Germania Lucenburgensis Henricus imperaret, Margareta Hollandiæ comes, qua parte Rhenus Oceanum illabitur, trecentos ac sexaginta filios viuos, ita vt baptismi characterem acciperent, vno partu edidit.

De Medardo & Gerardo fratribus geminis.

Possunt ijs quoque annumerari Medardus ac Gerardus Galli fratres gemini, non solum eodem nati die, verũ etiam eodem ad episcopatus honorem ad Rhotomagensem alter, alter ad Nouiodunensem ecclesiam euecti: & ne quid ad paritatem deesset, mortui etiam eodem die, animis etiam ita concordes, vt nequaquam eis essent philosophi Hippoclydes & Polystratus anteferendi. & si vero hæc atque alia de quibus ante dictum est mira sint, quæ tamen rationes factorum afferri possent? nisi ita rerum omnium conditori, rationibus quamuis incognitis, iustis tamen pla tuisse, sicuti etiam de ijs dici debet, quę sequentur.

De Gigantibus.

Gigantum immensa magnitudo sicuti ratione probari non potest, ita etiam perpauci sunt qui eam credant: fabulosam rem existimantes in gentilibus, scripturis sacris quoq; illud opponentes quod de gigantibus in figura

loque

loquebantur Suetonij quoque Tranquilli verba, tanquam de re falsa dicentis interpretantur: cum in Augusti vita scribit, Eum villas suas ossibus magnarum beluarum quæ gigantum fuisse dicta sunt, exornasse. Tamen Cretensi bello exundantium fluuiorum impetu sine motu terræ, vt Plinius scribit, in imum discissa humo inuentum est cadauer ad triginta cubitorum longitudine, quam idem Plinius sex ac quadraginta cubitorum fuisse narrat. Ad quod spectandum admiratione moti, Lucius Flaccus legatus, & Metellus iuerunt.

In Tingi quoque Mauritaniæ vrbe Plutarchus scribit, a Sertorio apertum fuisse sepulchrum quod Antei esse putabatur: in quo corpus humanum fuit inuentum, quod dimensum sexaginta cubitos impleuit, hoc idem etiam Strabo affirmat.

Ab huius magnitudine haud longè discrepat, id quod in annalibus pro re certa scriptum est, scilicet, in vrbe Roma, Pallantis corpus inuētum fuisse, altitudine quæ vrbis muros excedebat, Henrico secundo, qui Conradi filius fuit imperante, imperij eius anno decimo quarto.

Ioannes Boccatius in deorum genealogia scribit temporibus suis, in Sicilia haud longè à Drepano vrbe, non sine eorum qui rem viderunt ingēti admiratione, gigantis corpus inuentum, quod cum attrectatum fuit in puluerem est resolutum. Coniectura autem ex coxæ osse inita, quod integrum remanserat, longitudinis 200. cubitorum fuisse existimatum est. Tres autem illius dentes qui soli inuenti fuere, idem ponderis trium rotulorum (ita regia pondera nominat) fuisse ait: qui vt memoria rei seruaretur ante aram Virginis (cuius titulus annunciationis dicitur) positi fuerunt, pleriſque existimantibus illud Erycis corpus fuisse. Regnante Carolo septimo Gallorum rege in montanis Narbonensis Galliæ parte iuxta Valentiam vrbem, Rhodanus sepulchrum detexit, cuius magnitudo per multos ad eam rem visendam pertraxit. Aperto enim tumulo ingenta in eo sunt hominis ossa, cuius dimensio triginta pedes impleuit. nos quoque cum eo iter faceremus sepulchrum vidimus, & ossium aliquam partem quæ ab accolis tanquam

quam res mira asseruatur.

De Satyris ac Centauris visis, & de Asina quæ locuta est.

Satyrorum atque Centaurorum mentio nõ minus, quã quæ gigantibus habetur fabulosa putata est. Et tamen ex vera historia habemus, Antonium abbatẽ in Aegypto cum in eremo Paulum eremitam quæreret, in Centaurum incidisse, ea effigie qua describitur, scilicet hominis figura equo mixta: itaque siue illud phantasma siue res vera fuit, quemadmodum Hieronymus scripsit, negari non potest miram fuisse. In eadem eremo idem Abbas Satyrum allocutus est, cornigero capite pedibusque caprinis, reliquis partibus homini persimilem, ab eo cum audiret se ab alijs gregibus ad alios sui similes legatum mitti, damnataque vetustate quæ eos tanquam numina colebat, nati Redemptoris mentionem facere. Quis mirum iam putaue rit? si asina qua Balaam gestabatur indignata se ab insesso re plagis nimium vrgeri, locuta sit.

Damidis relatu Philostratus scribit Apollonium Tyaneum in Aethiopia viuum Satyrum cœpisse, qui cuiusdã pagi fœminas in ea regione infestabat, audiuisse quoque alium Mithylenis captum. Eos autem Apollonius dæmones Satyros vocitabat.

Cum igitur eorum authores qui Satyros viderunt, quiq; de eis scripserunt fidem facere valeat, verè hæc mõstra fuisse, Pliniusque pro certo scriptum reliquerit, Claudio Cæsare Aegypto perlatum vnum sale conditum. Item alium Constantino Cæsari cum Antiochiæ esset sale conditum, quem Hieronymus Alexandro perspectum à multis cùm adhuc viueret, affirmat. Adduci possumus vt credamus verum quoque illud fuisse, quòd à Plutarcho scribitur, scilicet haud longè ab Apollonia in nympheo saltu captũ fuisse Satyrum, & ad dictatorem Syllam deductum, qui in morem capræ vocem ederet ab eo in siluam remissus fuit.

Pari quoque modo fieri non posse multi putarunt, vt in Castoreo duæ essent naturæ: quod etiam vix creditum est, posteaquam inspiciendi facultas fuit. Lutræ enim illud animal persimile est, nisi quod posteriores pedes anseris videntur, & cauda in piscem definit, squamosa tota: quan-

quam reliquæ corporis partes pilis vestiantur, caudam autem quãtum fieri potest humidis locis declinat, vtpote magis pisci congruentibus.

De Hominibus capite carentibus, & ijs qui vnum tantum oculum habent.

Multis quoque fabulosum putatur, quòd à Plinio multisque alijs historicis traditum est. Blemmios scilicet in Aethiopia homines esse capite carentes, & alijs vnum tantum oculum fronti inesse. Quod proculdubio creditu difficile videretur, nisi Augustinus (cuius testimonium omni exceptione maius est) in octauo supra trigesimum ad Eremitas sermone affirmaret, à se eos in Aethiopia visos esse, & ad eos episcopus iam factus prædicatum iuisset, quos ratione vti, & non feras esse scribit.

De Syrenibus, & alijs monstris marinis.

Quot etiam inueniuntur qui non credunt Syrenes esse, & tamen Augusto Cæsare Galliarum legatus scripsit in litore inuentas mortuas Nereides Syrenésque multas ea forma qua pinguntur. Tiberio quoque August. retulerunt Ulysbonenses legati conspectum marinum hominem pleno cornu insonare: & similiter marinarum nympharum corpora humanis corporibus similia, nisi quod cute anguillis persimili tegebantur: deinde imperante Phoca in Cycladibus iuxta Scillarum insulam duæ apparuerunt, ea ferme humanam habentes effigiem.

Sed quid tam vetera repetimus? Eugenio quarto pontifice apud vrbem Sibinicum in Illyrico, captus est marinus homo, qui ad mare puerum trahebat. Is à currentibus quorem inspexerant lapidibus fustibúsque vulneratus, in mare cum retractus est. Huius effigies pene humana, nisi quod cutis anguillæ similis erat, & in capite duo parua habebat cornua, manus quoque duorum tantum digitorum formam exprimebant: pedes autem in duas veluti caudas finiebantur, à quibus ad brachia alæ vt in vespertilione extendebantur.

De Echeneide siue Remora pisce.

His quæ in mari miranda sunt Echeneidem siue Remoram addemus, cuius quanquam longitudo spithamam non excedat,

excedat, quantumuis magna nauigia, si adhæserit, remoratur. Spirent licet venti, velaque tumescant, ac remis nautæ acriter incumbant, adeò ei magnas natura vires dedit, plus in paruo piscę quàm in illis omnibus moueti est. Cuius rei experimentum visum in naui quàm Periander misit, & Actiaca pugna Antonij naue immobili manente, ita vt ei in aliam descendere necesse esset. Postremo in triremi qua Cæsar Caligula vehebatur, cum ab Astura Antium nauigaret, quo in loco cæteris triremibus cursum suum tenentibus, cum admiratio omnes cœpisset, principis triremem immobilem stare. Missi sunt vrinatores qui annexum triremis fundo hunc piscem inuenerunt, quo sublato triremis mota est, vt cæteræ: & quod mirum videatur, Remora in naui manente, sed aquam non tangente, nauis cursus non impediebatur.

De Equis quæ vento concipiunt.

Inter illa admiranda quæ de animalibus feruntur, annumerari potest, id quod Plinius scribit in secundo rerum rusticarum ceu rem miram & tamen certam. Varro, item Solinus in mirabilibus affirmant. In Lusitania cuius pars hac ætate sub Portugalensis regionis nomine est, equas prope vrbem Vlysbonam vere spirantibus fauonijs, quos non sine magna voluptate per sexum suum in corpus recipiũt, sine maribus concipere, id quod etiam in gallinis conspicimus. Pariunt autẽ equos velocissimos, sed qui vltra trienium non perdurent, nec generationi sufficiunt. In Cappadocia quoque idem accidere Augustinus scripsit.

De lacu Asphaltide.

Mirum quoque videri potest, quod de Asphaltide lacu Iudææ scribitur, quem aliqui mortuum mare nuncupant in eo enim viuens res nulla mergitur à fundo quoque ceu picem euómit, quam etiam bitumen appellant, & pro pice in nauibus vtuntur. Quæ res cum adhuc humida ab aqua educitur, aiunt alio remedio disiungi, atque à se ipsa separari non posse, nisi mulieris menstruo sanguine aut vrina.

De fluuio Sabbatico.

Mirus quoq; fluuius is qui inter Archamam Raphaneãque labebatur, in ea Iudææ parte in qua regnauit Agrip-

pa, qui quanquam satis ingentibus aquis præcepsque decurreret, sabbato semper deficientibus aquis exiccabatur. Postera die in consuetam altitudinem excrescens, ab eo facto Sabbaticus appellabatur.

De fonte qui est apud Gratianopolim, & alijs mirisrebus.

Mirum quoque dicere fontem debemus apud Gratianopolim Gallicam vrbem. Nam quamuis calentes aquas non habeat, tamen simul cum ipsis aquis flammas persæpe emittit: duobus eodem loco temporeque simul manentibus inter se contrarijs elementis. In Lycia quoque non sine magna admiratione regio, quæ Ephestion dicitur bibido florentequ; solo terra si effodiatur ignes euomit, quibus nulla in parte flores aut herbæ aduruntur, vel decorem suum amittunt, sicuti ad Lucullum Seneca scribit.

Non caret etiam admiratione fons in Britannia, qui est in diœcesi Lincolniensi intra Lundam & Northantonam vrbes, qui experimento cognitum est, ligna in proximis arsa syluis, si in fonte demergãtur, intra annum lapides fieri.

In regione quoque vbi Gothorum sedes in septentrione erat, fons est, cuius experimentum à Friderico primo factum Albertus cognomento Magnus scribit, missa manu suarum theca, in qua ne falleretur signum suum in cera impresserat, cuius dimidia pars fronti immersa in lapidem induruit, reliqua parte sub corij ac cæræ specie vt ante emersa remanente.

In Gallia quoque in paruulo lacu iuxta oppidum quod Locis dicitur deprehensum est arbores, qui in eum iam olim cecidêrunt in lapides conuersas.

Mille passibus à Seneſi oppido Lucaniæ in Neapolitani regni parte, ea quam nunc Basilicatam vocant, fons fatis manat aquis, ad eum si quis accesserit, nihil locutus, atque retro conuersus fontem puris clarisq; fluentem aquis inuenit. Quod si secus dum proficiscitur, egerit, turbatum offendit fontem. Si verò seruatis quæ ad claram fontis aquam inueniendam fieri oportere dicta sunt, illuc profectus loqui cœperit, loquendo turbari fontem perspicit. Sequoniam de aquatilibus aquisque satis est dictũ, nũc terrestria attingemus quę causam aliquã habẽt admirationis.

De insulis quæ ortæ sunt.

Vir magnæ doctrinæ magnæque fidei Plinius affirmat Rhodum Delumque insulas ortas esse, & præter eas nonnullas alias : sed procul dubio trigesima quinta supra centesimam olympiadē inter Cyclades Theram, Therasiam cum ante non apparerent emersisse. Inde centesimo atque trigesimo anno post inter eas Hieram ortam alio nomine Automatem appellatam. Ab ea haud longius duobus stadijs, ipsius Plinij temporibus, M. Syllano & L. Balbo consulibus Thiam emersisse. Theram Seneca testatur à se visam: præterea Consulibus Sp. Posthumio Albino & Q. Fabio Labeone haud longè à Sicilia ortam insulam Vulcaniam. Temporibus quoque nostris in Cycladibus haud longe à Centurine repente emersit parua insula in nauis magnitudinem cuius facies haud alia quā terræ aduſtæ videbatur.

Quod de natis repente insulis dictum est, mirum potest videri: sed nec minus est mirandum, quod de naue refertur temporibus nostris. Id salutis anno quadringentesimo sexagesimo supra millesimum, in cuniculo per quem metalla effodiuntur, centum brachijs sub terram, apud Heluetiorum pagum Bernam inuenta. In qua nauis quæ maritimæ persimilis erat (quod magis mirum, cum ea pars Alpiū longè absit à mari) & quadraginta hominū corpora cū velis effractis anchorisque inuenta fuerunt. Quam rem plurimi graues viri perspexerunt, & nos ab ijs accepimus, qui in re præsenti fuere. Arbitrati autem sunt nonnulli, magni diluuij tempestate immersam eam nauem, temporis successu aucta humo montibusque sepultam in ea profunditate manssisse, in qua est inuenta. Alij per subterraneas aquarum venas, quæ per terræ concaua loca largius fluunt, mari demersam, aliquo casu nauem in eum locum perlatā. Cæterum vtcunque res fuerit admirationis nō mediocres relinquit causas.

De Gemmis & Lapidibus naturaliter sculptis.

Quam multa alia fert natura? quorum ratio nulla potest affetri. Inter hæc Pyrrhi regis commemorabitur gemma, in qua nullo artifice sculptæ, sed adeo tenuibus segmentis, vt pictæ viderentur nouem cum insignibus suis expresse erāt

Musæ, cum Apollinis effigie media inter eas sedentis.

Plinius quoque temporib. suis scribit marmoreum lapidem sectum in Paro insula (in medio naturaliter sculptu Sileni, vt ab antiquis pingebatur, effigiem ostendisse.

Albertus item Magnus affirmat Venetijs se regis capu diademate ornatum vidisse, in marmore naturaliter n lius artificis opera expressum, in quo frontis pars imperfe cta videbatur. De alio itē capite huic simili in vrbe Mant tua viso, nostris temporibus affirmatū est. In agro quoq Placentino tēporibus nostris lapis Alabastrites inuent est, in quo postea ad leuitatem suam per artifices perdu ctus fuit, inter claritatem obscuritatemque quam lapis p se fert, figura apparet mortui capitis humani. Item Bergo mi in maiori fano in porphyrite lapide, qui ad Baptist ornatū est positus, tanquā picta serpens in orbes circumv luta perspicitur. Prope vrbē Gratianopolim in Gallia In liæ propinqua vetusta est turris, quę araneas nō gignit, n que aliam venenosam rem: quin potius si quid eiusmo in eam inferatur, vt experimēto cognitū est, statim emo tur. Idē in insula Hyberniæ quæ nunc Irlanda dicitur co tingit. Illius enim terram coriumq; natorū in ea animal ciū, venenosæ bestiæ deuitant fugiuntq;. Experiēdo enim homines didicerunt hæc animalia si in ancipiti ponātur vel ea vel ignes contingāt, in ignes ipsos potius se recipe Triclinīū quoq; ecclesiæ Anicienſis, quæ vulgo de Puy citur, nō ineūt venefica animalia, neq; muscæ, & si alig dæ inferantur statim mortem obeunt. Quæ res admira nem tollit quod veteres scripserint Romæ in Herculis t num nec muscas nec canes vnquam ingressos.

De antro Hieropolitano.

Mirum quoq; propter occultā eius causam est, quod Hierapolis antro Dion perhibet se vidisse. Nam cum m tiferum exhalet spiritum, omnia in eo intereunt anima tia, nisi quæ castrata virilitatem amiserunt.

De admirandarum virium herbis.

Quæ ratio quoq; afferri potest quarundam herbarū miranda vi? de quibus prope terrestria scribendum du In Iudæa ad Macheruntam vrbem in valle quæ Babra

citur, denominata à valle herba naſcitur, quæ ſanguinei coloris habet radices, & noctu lumen præ ſe fert, neque verò facile hominum manu conuelli poteſt, niſi cum mulieris ſanguine menſtruo, aut vrina attingatur, aliter enim contra vellentem niti ſeque in contrarium retrahere videtur. Neque tunc quidem niſi eius vitæ periculo qui extirpare quærit diuelli poteſt, niſi ſi quis manu de radice geſtauerit, aut circumfoſſa humo ita vt parum ſe radix teneat, alligatus ei canis quod ſupereſt nitendo conuellat. Tunc enim in canem omne periculum conuellentis tranſit. Hac illi radice curari dicuntur quos immũdi ſpiritus vexãt, ita vt amplius eo malo nõ laborent. Linũ quoq; quod Asbeſtinũ appellãt nõne viſu admirandũ erat? fertur in vltimo oriẽte naſci, cuius ea vis eſt, vt confecta ex eo tela in medijs ignibus poſita non cõburatur. Plinius quoq; ſcribit mappas ex eo lino, poſteaquã vſus infecit, ignibus impoſitas, cõbuſtis ſordibus ipſas incõbuſtas in priſtinũ candorẽ nituiſſe. Iuxta Firmium Pannoniæ vrbem, interdum vitibus capreoli ineſſe reperti ſunt vere aurei, confectaq; eſt ex eo auro moneta. Quod ipſum multi præſtantes viri temporibus noſtris vidêre, vt illud negare nimium impudentis hominis habeatur.

De auibus animalibusq; alijs admirandis.

Ad animalia admirandæ naturæ tranſituri à Farfallis auibus incipiemus, quæ à Græcis Pyrauſtæ nominãtur. Hæ in Cypro in metallorum fornacibus inueniuntur per medias flammas illæſæ volant, & ſi forte longe ab ignibus auferantur, paruo temporis momento intereunt. Res profecto mira huiuſmodi aues in violento (quod alia viuentia omnia perimit) elemento viuere.

In inſulis Hybernię quam nunc vt etiam ſupra diximus Irlandam dicunt, & Orcade quibuſdam in locis quæ mari alluuntur, arbores ſalicibus perſimiles naſcuntur in quibus ortæ paruæ quædam pilæ, paulatim creſcendo aues anatum formam habentes effigiantur, roſtro ab arboribus pendentes: & cum ad maturitatis tempus peruenere ſui ipſarum nixu arboribus excuſſæ, in mare decidunt atque euolant, Britanni vulgo Bernetas appellãt, & quia ex

auium genere non oriuntur, hijs quadrageſimali ieiunio ſale conditis homines veſcuntur, vt ab his qui viderunt certiores facti ſumus. Neq; verò me latet Albertum Magnũ aliter ſcripſiſſe. Sed res tam multorum virorum grauium teſtimonio, qui hoc viderunt probata eſt, vt minimè dubia duci debeat.

Anatis mentio quæ facta eſt, in mentem redigit mihi de ea aue rem mirandam, quam ego ſcripturus nõ eram quia parum fidei habitura videbatur, ſed adeò nota eſt vt falſa rei ſuſpicionem nullam accipiat. In ea Galliæ parte quæ olim ſub Venetorum Morinorumq́ue nomine cenſebatur (nunc Britanniam dicunt) propè vrbem Redonenſem oppidum eſt Monsfortis nomine, vbi Decembri menſe cum ſancti Nicolai ſolennia celebrantur, à paruo lacu haudlõgè ab oppido, ea hora qua vel Miſſa vel veſpertinæ orationes cantantur, anas tẽplum init cũ tredecim pullis, quæ poſteaquam aram circumdedit, ad eundem lacum regreditur vno pullorũ quos ſecũ veniens duxit, ſemper deficiẽteque verò quo is ſe recipiat intelligitur. Quod ſi quis vt rei experimentum faciat, aut quia rei nullam fidem habeat cõprehendere aut occidere tentauerit, confeſtim rabie corripitur ac moritur, aut in grauem morbum ſubito incidit.

Quis fieri poſſe arbitretur? aut quas rationes afferre poſſit eius rei quæ à Geruaſio Tibelleſio Arelatẽſis regni Mareſcallo ad Ottonem quartum ſcripſit. In lacu enim eius regionis monuit quoſdam piſcationi operam dantes, hyeme multas ciconias veluti mortuas rete in ſiccum traxiſſe, quæ tanquam ſimul iunctæ mutuo roſtra ano infixa habebant, & calefactæ viuæ fuerunt inuentæ.

In Lotharingia quoque iuxta Metenſem vrbem, in quodam alio lacu, Salutis anno quadringẽteſimo ſexageſimoſeptimo ſupra mille, permultæ aliæ ciconiæ ſimiliter inuentæ fuerunt, quæ in thermis calefactę reuixerunt. Hęc autem res effecit, vt quidam ſub aquis abdere ſe ciconias putarent, ea ratione moti, quod vſque in præſentem diem nec ſcriptum ſit, nec ſatis intellectum, quò ſe ibides definente æſtate recipiant, cum tam multi apud Græcos Latinosq́; fuerint, q. diligẽter animaliũ naturã inueſtigarũt.

Cæte-

Cæterum si sub aquis ciconiæ viuunt aliquo modo, & spirandi & se alendi viam habere videntur. Sed de ingenti bufone in medio saxo inuento in Augustoduno Virodunensis agri arce, quę ratio adduci potest? nam in saxo quod vt eo vterentur ædificantes medium secuerunt, nulla ingressus ad spirandum alimentaque accipienda signa apparebant, animalque illud tamen in eo vixerat, quod à multis perspectum fuit.

In Latio quoque simili modo Martino quinto pōtifice, serpens viua in media petra cum scinderetur, fuit inuenta.

Ad animalium prædictorum quōmodo vixerint rationem ostendendam dici posset: ita creata vt nullo cibo vescerentur quemadmodum in Chameleōte cernitur. Quod animal lacertæ persimile est, nisi quod in maius quam lacerta excrescit, hoc certe nullo alitur cibo, sed aēre tantum vescitur, quem assidue aperto ore ad se trahit, cuius generis permulta in Africa sunt.

De his qui sine cibo vixerunt.

Sed quoniam in scribenda Chameleontis natura mentio incidit, de his qui sine cibo vixerunt, hoc ipsum quod in brutis perdifficile videtur, in homine fieri non posse putatur. Nam cum in homine cibi abstinentia quartum aut ad summum sextum diem non transgrediatur, vltra hoc tē pus inediam perferre humanæ rationi consentaneum non videtur. Itaque cum nonnulli inuenti fuerint, qui longè plus quàm hunc quem diximus dierum numerum cibo caruerint, vt Heliam, Mosen, Aegyptiam Mariam prætereamus, operæprecium visum est eos qui hoc fecerunt attingere, vt intelligatur quàm magnæ sint naturæ vires, physicosque permultos, qui scire omnia sibi persuaserunt longe falli, indoctum vulgus propter ignorantiam sæpenumero inter miracula numerare, ea quæ etsi raro fiunt, natura tamen producit. In quo etiam hoc beneficij erit, vt quāti doctrina sit facienda, intelligatur, quæ lumine suo à vulgo doctos separat, facitque vt neque ceu alij indocti omnia mirētur, nec preda fallacium hominum sint, qui factis miraculis aluntur, nec vt vulgus in plano tanquam in confragosa via ceu casuri atque præcipites eant.

In Germania in vrbe Colonia Frederico secũdo regnãte sæpius quidam abalienato sensu septem hebdomadas sine cibo caruit, sola aqua interdũ epota, cum Albertus Magnus Ratisponensis episcopus, vt rem cognosceret diligenter eum obseruasset, qui etiam mulierem quandam Germanicam dies viginti sine cibo mansisse scriptum reliquit.

Item, Augustinus cum Casulano rescriberet, affirmauit temporibus suis quendã quadraginta diebus sine cibo vixisse. Alium quoque Petrarcha ponit Venetijs idem fecisse, multisque eius rei experimentum fuisse factum.

Hoc etiam magis mirum est quod Olympiodorus Platonicus scripsit, Aristotelis, qui rem vidit, testimonio, fuisse hominem, qui donec vixit neque manducauit vnquam neque dormiuit. Cæterũ in sole manẽdo alimentũ accepit.

In Gallorum annalibus editum est, salutis anno trecentesimo vigesimo secundo supra mille in agro Tullẽsi puellam fuisse duodecimum annum non superantem, quæ trimestrium post sumptam sacram hostiam vixit, nullo alio aut potu aut cibo sumpto, & post id tempus ad consuetam viuendi normam redijsse.

His quoque temporibus Perusię Palumba Interamnensis annos nata viginti, eadem hostia nullo alio sumpto cibo septem annos vixit, id quod Innocentius octauus Pontifex re quælita diligenter inspexit.

Fuit Eugenio quarto Pontifice Gallus quidam nomine Iacobus qui in aula Romana amanuensis erat. Is graui valetudine affectus, cum in patriam redijsset, Hierosolymitanam peregrinationem vouit. Inde ergo Romam Nicolao quinto pontifice reuersus, magna eorum admiratione quærem inspexerũt, dum obseruaretur nec bibere, nec esse vidit, quam inuentus est, iureque iurando affirmauit, se iam biennium ita vixisse.

Anno quoque salutis quadringẽtesimo sexagesimo post mille, Nicolaus Heluetius Vnderualdensis post susceptos ex coniuge quinque liberos, cum haud longe ab oppido solitariam ageret vitam, peracto quintodecimo anno sine vllo potu ciboque decessit, veraque inuenta fuerunt quæ prædicebat futura, vitaque prorsus austera fidem faciebat, nihil

hil ab eo de cibi ac potus abstinentia fingi, & tamen Constantiensis episcopus, in cuius diœcesi agebat, profectus ad eum ipsum locum, vbi Nicolaus erat diligenter rē perquisiuit, inuentaque palàm literis mandauit, qui vt de re certior fieret sub obedientiæ imperio recusantem parum cibi sumere coēgit, ob quam rem triduum grauiter stomachi dolore laborauit. Id quod ipse vereri se ante monuerat. Nec verò Episcopo illi tantum, verum multis quoq; principibus Germanicis, Gallis atq; Italis qui eò profecti sunt res hæc explorata fuit. Nos quoque cum his locuti qui viderunt ac sermones vna seruerunt, rem extra ambiguum ponimus, præsertim quod de hac cibi abstinentia diligentius quæsitum est, de qua ipse parcè loquebatur, remque nō miraculo, sed naturæ tribuerat.

Cæterū vt tandē huic materię finis fiat, Valerium quantum pro ingenij imbecillitate fieri potest imitantes, in huius primi libri fine non de vno, vt ipse sed de tribus Draconibus loquemur. Primum scribit Posidonius se prope Damascum vidisse mortuum, qui hominem in equo sedētem deuorauerat, fuisseque eius longitudinem ducentorū ac quadraginta pedum. De alio testatur sanctus Hieronymus, cuius longitudo quantum ipse arbitrabatur quindecim cubitorum fuit, qui Aegypti deserta incolebat. Tertiū Diodorus scribit qui viuum in Alexandriam fuisse perductum Ptolemæo secundo regnante, cuius longitudo triginta cubitos superabat.

De Polypo immenso.

Sed quoniam maiores quoque dracones inuenti fuerūt, de Polypo quodam scribemus: cuius adeò ingens magnitudo fuit vt in genere suo alios omnes superaret. Cum in Hispania piscatores qui thynnos condiunt, singulis noctibus aliquid ijs quæ iam parauerunt subtrahi animadverterent, & propterea diligentius rem obseruarent, non fine ingenti formidine cum latratu suo canes ad rem inspiciendam inuitarent, perspexerunt vastam terribilemque beluam ingenti spiritu brachijsq; à se canes abigentem ad quos defendēdos accurrētes, qui aderāt varijs instructis armis magno labore tandē ferā confecerunt, cognouerunt-

que

que Polypum esse, qui eiusmodi cibi auidissimus superioribus noctibus quod piscatoribus deesse querebantur, rapuerat. Huius belluæ caput immensum horrendumque fuit, quo Lucius Lucullus qui illud inspexit putauit quindecim amphorarum, quæ in nauticis rebus Bottæ dicuntur mensuram contineri, brachia autem ingentia adeo vt vix hominis complexu cingi possent, internodiáq; crurum magnæ ollæ amplitudinem complere, id autem in miraculi testimonium sepositum fuit septingentarum librarum pondus excessit.

LIBRI SECVNDI DE PRISCIS INSTITVTIONIBVS.

CAPVT PRIMVM.

SEcundum Librum auspicaturi de antiquis moribus ac institutis scribem⁹. Nõnulla etiam recentiora addemus, quę fortasis haud parũ à ratione videntur abhorrere, cum eorum contemplatione in quibus virtus ac bonitas est corrigere nostra quæ mala sunt posimus.

De Romanis sponsis.

Nouæ nuptæ apud Priscos Romanos maritorum domus ingressuræ, in primo limine Caiã Cæciliam (alio nomine Tanaquilem nuncupatam) semper nominabant, quę Tarquini prisci Romani regis vxor fœmina fuit, pudicitia atque omni virtutis genere insignis, vt dum eam nominarẽt, imitari mores eius meminissent: postpositis quoque alijs ornamentis colus fusúsque eis præferebatur. His enim institutis Martias, Portias, atque Lucretias Romani peperunt.

De Iudæis.

Optimus quoque Iudæorum mos ille erat, in quo Tribu sua deligere mulieribus suis viros cogebantur, hisque imprimis quas bonorum hæreditas sequebatur, alienis enim opibus alienas locupletari Tribus iniquum ducebat. At nunc infœlicia tempora nostra in hoc quoque quantũ à prudentibus degenerauêre? Sordent inter suos nuptiæ, & spretis contribulibus suis partas magno sudore atque sanguine opes à suis, ad Barbaras quoque gentes transferunt. Nec ante malorum consiliorum pœnitentia subit, quàm exhausta gente sua: tum cum pœnitentiæ locus non est pa

lam

lam perſpiciunt maritos non virtutem ac genus in huiuſ-
modi nuptijs, ſed opes ſpectauiſſe.

De Babylonijs.

Quanta prudentia Babylonij matrimonia ſua trac-
bant? quotannis enim ſtato die locoque puellas ſuas vi-
maturas congregabant, forma præſtantiorem plura offer-
ti, deſpondebant: deformiorem autem minori dote accep-
ro nuptui dabant, dotēq;, ex accepta in formoſioris collo-
catione pecunia, perſoluebant. Ita ex formoſioribus defor-
mioribus dos parabatur, diteſq; precio formoſarū matr-
monia nanciſcebantur, minusque formoſæ in quibus am-
bitionis etiam minus eſſe debet, ſine cuiuſquam iniuria a
tenuiores thalamos tranſibant.

De Gallorum conſuetudine circa matrimonia.

Haud malus Gallorum is mos erat, quo in locandis m
trimonio puellis vtebantur. Nam ne propter ingratum m
trimonium puellæ parentes incuſarent, parata magno n
uitatorum numero cœna virgini permittebant, vt ex inu
tatis maritum ſibi deligeret. Electionis autem illud figm
erat, cui ipſa ante alios aquam manibus dediſſet.

Item de Gallis.

Solebant etiam contracto matrimonio agere, vt mar
tantundē de fortunis ſuis acceptę doti cumularēt, fructu
quoq; q inde percipiebātur ratio à viro vxoréq; ſimul qu
rebatur, vt ſuperſtitis illud totū eſſet quod ſimul cū capi
coactū inueniretur. Ita enim facta inter virū vxorémq; p
conditio plus amoris retēturа in matrimonijs purabatu

De Lacedæmonijs.

Apud Lacedæmones grauis pœna ijs conſtituta erat, q
nunquam vxorem duxiſſent, aut qui vltra communē mo
rem ducere diſtuliſſent. Grauiore etiam mulctabantur, i
qui maiorē ſequuti dotem, ex aliena tribu duxiſſent, quā
do ſua probatis moribus inueniſſent.

De Britannis qui Scoti dicuntur.

Hac cura in Britannia populi, qui nunc Scoti nuncupā
tur, carere viſi ſunt. Siquidem Hieronymus ſcribit fœmi
narum communem eos habuiſſe vſum.

De Leptitanis.

Apud Leptim Africæ vrbẽ scribitur hunc fuisse morem, vt quo die noua nupta primũ in mariti ædes venisset, à socru mutuo ollam peteret. Socrus autem eam negaret, vt à primo ipso die quæ sponsæ erãt, socrus suas ferre discerẽt.

De Germanis.

Solebant apud Germanos qui mariti vellent fieri, vxores dotibus comparare, id quod temporibus quoq; nostris veteres meminerũt, apud Celtiberos in Pyreneorum parte quam Biscaiam nunc dicunt, vsitatum fuisse.

De Lituanis.

In Lituania quæ Germaniæ pars est, fœminæ in magna fortuna constitutę, palàm alere multos iuuenes solẽt, quos matrimoniorum auditores vocant, palámque secum eos cubitum ducunt, neque tamen ob id viris licet concubinas habere. Stultos profectò homines, qui pronum per se, neque in libidinibus vnquã defessum fœminarũ genus, hac licentia certi nihil in matrimonijs relinquere permiserunt.

De Herulis & Indis.

Plus honestatis fœminæ apud Herulos habuêre, dũ sedes trans Danubium is populus incoleret, quoniã iuxta maritorum sepulchra, vxores semper suspendio vitã finiebant. Quod etiam magis mirum videtur, cum earum viri adeò impudicè agerent, vt bestijs quoque commiscerentur, & senio confectos, si aduersa valetudine laborarẽt, ne eos alendi onere grauarentur, occiderent. Indorum quoque cõiuges vsque in præsens tempus, seruauêre morem, vt in maritorum rogo comburerentur, quo non veteres solum recentioresque historici tradunt, verum etiam ab ijs affirmatur, qui in India per hæc tempora fuere.

De Romanis Consulibus.

Mos erat Romanis consulibus lictoribus ac fascibus per vices vti, quisque mense suo his vtebatur. Vtendi autẽ principium is faciebat, cui in bello mortuus esset filius, vel cui vxor esset, etiamsi iunior haberetur, si alter quanquam senior vxore careret.

De veteribus Hebræis Zelotypis.

Illa quoque miranda commemorandáque videntur instituta esse, quæ longo tẽpore Iudæi seruauerunt, cũ adulterij

terij suspectam haberent coniugem. Ad sacerdotem enim eam perducebant, qui oblato iusiurando membranam sacris verbis conscriptam aqua lauabat, adeò vt inde sacra verba delerentur, conspersaque muliere pauimenti, aut parietum templi puluere presente viro huiusmodi aquam ei potabat. Mira profecto res, nam si adulterij crimine carebat validior inde mulier abibat: quod si peccasset, hydropi si corripiebatur, venterq; eius marcescebat. Verū quia satis de matrimonijs est dictum, nunc ceu ab arbore ad fructum, ita à matrimonijs ad liberos transibimus.

De Romanis.

Adeò veteres Romani, magni semper in liberos patres ius fecêre, vt regum temporibus patri filios bis vendere permissum esset, nisi ei pater vxorem dedisset, aut vltro dicere volenti assensum præstitisset.

De Athenienſibus.

Contra haud immeritò Athenienses vtebantur, vt filius qui artem aut alicuius industriæ genus à patre non didicisset, minimè in necessitate parentem iuuare cogeretur.

De ijſdem.

Aeque etiam spurios parentum iuuandorum obligatione liberarunt: quod non vt filios procrearent, verum vt voluptati operam darēt, se cū huiusmodi filiorum matre miscuisse, pater putari poterat.

De Hebræis.

Quàm sæuerè apud Hebræos crimen non pulsati tantū, verum etiam maledicti patris vindicabatur? Nam qui in male de parentibus meriti essent, nisi prima parentum admonitione corrigerentur, furcarum supplicio multabātur.

De Aegyptijs.

Aegyptij multare parentes à quibus cæsi essent filij non solebant: parum enim conuenire visum est, vt is qui filij vitæ causa fuisse, ob filiorum mortē ipsa vita priuaretur. Triduum autem continuum circa filij mortui corpus eum habebant, nam ita & doloris magnitudine quam filij præsentia augebat, & perpetratæ mortis pœnitētia eum satis excruciari posse arbitrabantur.

De veterum pontificum electione.

Vete-

Veteres Pontifices cum à populis quorum curam gesturi erant eligerentur, experimento ipso cognitum est, enixè studuisse vt honestè vitam ducerent. Manans enim de eorum modestia in populos fama gratiores ipsos faciebat: siquidem multitudinis non imperitę iudicium frequẽtius rationi obsequitur. Id ita esse res ipsa ostendit cũ Gregorius, Ambrosius, Leo & Zacharias propter virtutem quanquam inuiti ad Pontificatum euecti fuerint. Virtutis enim ac doctrinę opinio quàm re præstiterunt, populos ad id impulit. Contrà autem quos principum fauor & gratia promouet, viros impuros & scelerum omniũ ministros, qui doctis & modestis viris p̃ferũtur, & bonitate ac doctrina impudicitiã, atq; malorum omne gen⁹ spirare cõspicimus.

De modestia veterum sacerdotum in vestitu.

Quantò etiam melior erat vsus! cum pontifices sacerdotes nostri pari veste cum alijs, cæterum forma grauiores prę se mores ferente vtebantur. qui secularium negotijs se non immiscebant, neque ijs opibus templa locupletare querebant, quæ spoliatis melius restituerentur. Quæ res Ambrosiũ mouit, vt ijs qui à veteri modestia discesserãt, haud iniuria diceret: Tum sacerdotes aureos fuisse, cum ligneo calice sacrificarent, in præsentia autem ligneos factos, postquam aureis calicibus vti cœperunt: omnis enim sacerdotum luxus à Siluestro cœpit, cum à Constantino Augusto, à prisca modestia pauperieque ad opes euectus, huius ambitus & cupiditatis, qua nunc ętas nostra laborat, ex se semen protulisse visus est. Inde sacerdotes etiam ad imperia accensi. De ijs sensisse videri potest Christus, cum Pharisęos taxauit: cum dilatationem fimbriarum & primos in conuiuijs accubitus, cum magisterij nuncupationem, atque insuper earum rerum imperia, quæ insupportabilia sunt, quæ ne digito quidem ipsi attingere volunt, improperauit. Quid enim nostri temporis sacerdotibus cum à recta via aberrant, confecto aureo ornatu diademate, vestiumq; immodicarum firmato, quæ fine aliena ope trahere nequeunt, studium quoque principalis nominis, sanctissimæque appellationis, item pedum osculationes etiam à regibus & augustis factæ, nónne

iuste obijci possūt: cū prima nomina à satis humilibus primordijs incepta, in militarē atq; tyrannicā potestatem trāstulerint. Verum ne longius progrediamur ijs reprehendēdis, quæ principum ignauia diu ferendo incorrigibilia effecit, ad vetera exempla ijs meliora transfibimus.

De maiorum supplicationum origine

Si primorum ludorum originē à Romanis voto ob grauem pestē stabilitam, quanquam à verò Dei cultu remotā, inter veteres ritus annumerandā esse, vt Valerius multa doctrinæ atque prudentiæ vir duxit, quanto nos vtiliu censere debemus Christianarum Supplicationum primordia ostendere, à veteribus pontificibus nostris modestiorib⁹ quidem, quàm Romani essent, cęterum non propterminus sæuam causam instituta? Nam cum orbem Roma pestis acerbè vexaret, Gregorius primus Romanus Pontifex supplicationes quæ Maiores dicuntur, & sexto Calendas Maias celebrari etiam nunc solent, instituit. Cum ante Mamertus Claudianus Viēnensis episcopus vir morum sanctitate clarus minores in Gallia salutis anno quingentesimo octauo supra quadringentesimum ordinasset, quæ triduo ante Domini ascensum eduntur, quo tempore atrocitate territis Gallis in ipso meridie lupi feræque aliæ vrbes ingressæ in homines grassabātur, quotidieq; autellus moueretur, aut de cœlo tacta loca, vel ruerent, vel comburerentur. Quibus malis in Gallia Romæq; per has remedia finis putatur fuisse inuentus, Quāobrem postea Leone tertio Roma. Pontifice in Aurelianensi concilio per vniuersam ecclesiam huiusmodi supplicationes stabilitæ fuerunt.

De Aegyptiorum regibus.

Aegyptio regi peracto sacrificio sacerdotes quotidie hominum qui virtute excelluissent exempla legebant: deinde præsentis regis laudatis virtutibus ante omnia clementiam eius extollebant.

De iisdem.

Aegyptijs regib. domi nec serui, nec vili fortuna hominū ministrabant, sed sacerdotum liberi virtuteque insignes viri, qui vigesimum annum transcenderunt, vt horum ex-

spectu

spectu moti à scelere atque intemperantia continerentur.

De Aegyptiorum iudicibus.

Ex eius colloqui inter Aegyptios iudices primariũ obtineret locũ, numinis imago pẽdebat gẽmis & auro cõfecta, q̃ numẽ ipsi Veritatẽ nũcupabãt. Hoc enim signo ostẽdebãt iudicis cordi oriq̃; veritatẽ inesse semper debere: & cũ conspicerent eam, omnibus præferre rebus oportere.

Item de Aegyptijs.

Cogebant quotannis omnes apud magistratũ nomẽ & artes suas profiteri, & quos mẽtiri, aut turpi quæstu viuere inuenissent, morte multabant.

De Romanis Censoribus.

Haud valde erat dissimile id q̃ à Romanis agebatur. Electos enim duos insignes virtute ciues, morũ magistros sine quocationis cõstituebant: q̃ intẽperanter dicta factaq̃; sæuere notabãt. Neq; verò mirum vderi debet, si cum hac disciplina vterentur, alios virtute præstiterunt.

De Priscis Romanis

Haud aliã ob rẽ Plutarchus scribit, priscos Roma. instituisse, vt securib. quę p̃ferebãtur magistratib. virgarũ alligarẽtur fasces, nisi vt dũ fasces soluerẽtur, magistratui spaciũ cogitandi daretur, ne iratus ea fieri imperaret, quorum postea eum frustra pœniteret.

De Aurelio Alexandro Imperatore.

Longe oẽs Roman. ritus, iustitia atq; prudẽtia id antecellit, q̃ facere Alexãder Seuerus cõsueuerat, qui in albo palã noia eorũ edebat, quibus gerẽdos magistrat⁹ erat demãdaturus: vt oĩbus liceret eorũ vitia palã facere, affectis ea pœna delatoribus si obiectũ crimẽ nõ probassent, quę accusatis debebatur, si obiectum crimen verum esse inueniretur. His autem qui probantur vestes, argentea vasa, seruos ac concubinas commodabat, vt per hæc adiuti in magistratu pro maiestate Romani nominis laute viuerẽt. Neq; impia aut libidine, quę sæpè à recto calle hominũ mẽtes auferũt, ad rapinas aut adulteria cõuerterẽtur. Quã lõge hoc meli⁹ agebatur q̃ his tẽporibus? cũ subtracto magistratib⁹ salario promiscuè omne rapinarũ, & iniustitiæ genus permittitur. Quod si quis p̃ scelere multatur multa principes

tantur, & non spoliatis quod ademptum est, restituetur. Cæterum quoniam ciuiles administrationes satis attigimus, tempus est ad militaria transeundi.

De fœcialibus & patre patrato.

Consueuere veteres Romani non nisi lacessiti bellum inferre, præmisso semper fœciali aut Patre patrato, qui eptas res ab hostibus repeteret, assignatis ad restitutionem trigīta diebus, nisi forte armis ipsi peterentur. Quod si intra præfixum tempus res restitutæ non essent, non ante tamen in hostilem terram arma proferebantur, quàm per fœcialem hosti bellum indixissent. Longe enim pluris ritè usteque se feciſſe, quàm vllam rei bene gerendæ occasionem faciebant.

Item de Romanis.

Romanis mos erat neminem suorum permittere aduersus hostem pugnare, quemadmodum senior Cato ad filium scribit, nisi prius sacramento addiceretur. Id autem agebatur, vt non nisi coactus ad alios perdendos ire videretur, & vt ducibus quibus addicti erant, si ex acie fugissent, mori eos, quia contra iusiurandum egerant, multandi ius esset.

Iterum de Romanis.

Illa quoque consuetudo prudentiæ plena erat, qua Romani manipulos aut cohortes, quæ timore vel negligentia ordines reliquissent, aut in exercitu seditiosæ fuissent, sorte ex eis delecto decimo quoq; capitali pœna multabat. Italenim oīm timore quibus illud imminebat supplicium, & tam paucorū morte militarem disciplinam seruabant.

Item de Romanis.

Vt puniendo sæueri, ita ijs qui bene virtutem meruissent ornandis, Romani minimè restricti fuerunt. Nam confecto prælio posteaquàm duces in eos animaduerterent, quos in prælio præignauia, aut quia non paruissent, male viderant rem gessisse: tum eorum laudes qui bene pugnassent, pro cuiusque virtute celebrabant. Vt duplici accessu laudis atque supplicij cum excitarentur, ad omnia militia pericula promptiores, & firmiores redderentur.

Iterum De Romanis.

Ante omnia autem in seruandis suis quam hostibus perdendis

dendis diligentiores. Eum qui inprælio ciuem seruasset, ciuica corona donabant, quæ querna fronde conficiebatur: quia passim inuenta quercus facultatem præbebat publici honoris statim in illum conferendi qui eo se dignum præstitisset, & in rebus gerendis oblatus honor alios ad spem eandem accendebat; fronde autem & non auro huiusmodi ornamentum dabatur, ne pluris aurum quàm humanum sanguinem, aut laudem quæ ex virtute proficiscetur facere viderentur. A deoque hic laudis amor patriæque charitas veterum insedit animis, vt nemo aud eos inuentus fuerit, qui ciuicæ frondis honorem auro permutare vellet.

Iterum de Romanis.

Militaris disciplinæ cura, quàm diligentes Romani seruarunt, ab eorum exemplis abire me non patitur: equitib. enim obesi vastique corporis, vt eos ignominia notarent equos adimebant. Nam cum se per crapulam patriæ inutiles fecissent, publico quoque patriæ voluerunt honore carere.

Iterum de Romanis.

Illa inter militares animaduersiones minima habebatur, cum ex ignauorum brachio sanguis hauriebatur. Nam per hunc modum sparso sanguine quem pugnando effundere metuerant, palam fieri eorum ignauia putabatur.

Iterum de Romanis.

Laudandus quoque in Romanis mos ille erat quo renouari prohibebantur hostium spolia. Posteaquam longo æuo consumpta inuenirentur: odium enim quod stantibus spolijs retineri videbatur, tempore cum spolijs ipsis deleri curabant,

Iterum de Romanis.

Ne illa quidem in eis consuetudo laude sua caruit, vt omnes qui pedibus militarent palum suum, id est, valli partem ferrent, quo semper castra munirentur. Persepe enim eo munimento magnam hostium vim arcuerunt, quam immunitis castris non sustinuissent. Quanto enim hoc sapientius? quàm quod nostrorum temporum milites solét, qui dum laborem deuitant, sine munimento positis ca-

stris, ingentes sæpe clades accipiunt.

Iterum de Romanis.

Vt in milite fides augeretur, & ijs quos alea vel aliud malum profusiores faciebat, frenum poneretur (quidam enim in his pensi nihil habentes sæpe euertuntur) omnibus congiariorum dimidiam partem ponere apud signa militem cogebant: vbi decem saccis pro numero cohortium quibus legio constabat, sanctè in maiores militum ipsorum vsus custodiebatur. Qui mos si his temporibus seruaretur transfugarum minor esset numerus, multique alij qui sæpe in ganeis, aut alea omnibus quæ militando acquisierunt consumptis cauponas exercent, aut rebus desperatis ad heremum confugiunt: ad senium perducti honestis ijs alerentur, quæ iuuenes militando pepererunt.

De Germanis.

Adeò indecorum penes priscos Germanos putabatur ex acie scutum amittere, vt cui hoc contigisset publicum consilium ineundi ius auferrent, atque vbi sacra fierét interesse prohiberentur: qua ignominia multi cum premerentur mortem manu sua sibi consciuerunt.

Iterum de Germanis.

Tantum erat apud Germanos armorum studium & amor, vt nunquam vel ad consilium, vel ad diem festum nisi armati conuenirent. In consilijs autem assensum suum armorum crepitu declarabant. Itaque mirum videri non debuit, si diu suam libertatem seruauere, qui tum demum à Romanis bello victi sunt, cum per discordiam qui vtute non cedebant, impares facti fuerunt. Horum mos [illegible] dē laude dignus, cæterū nō tam probandus qui sequitur.

De Carinthiis.

In Clagefurtino Carinthiorum solent ijs quos [illegible] suspectos habent, haud diligenti inuestigatione prius [illegible] acta in furcis ceruices frangere. Triduo autem post inquisita re per iudicem, si verè furtum fecisse, quo arguebantur inuenti sunt, furis appensos relinquunt. Quod si innocentes fuisse iudicantur à furcis detracti, impensa publica cum honoris prefatione sepeliuntur.

Iterum de Carinthiis & aliis.

Nouus quoque ritus is videtur, quo principes qui Austriæ cognominantur vti solent, cum primo possessionē ineunt Carinthiorum ducatus (illis enim Carinthij parent) neque tamen hoc ab re fieri videtur. Nam haud longe ab oppido quod sancti Viti dicitur in conualle, vbi adhuc reliquiæ conspiciuntur ingentis vrbis, cuius nomen de viuentium memoria excidit, magnum lapidē qui illic est erectus, quo die Austrię princeps ad ineundā Ducatus possessionem venturus est, Rusticus sorte in ea gente delectus conscendit: mediusque inter macilentos bouem atque equam magna rusticorum manu septus consistit. In vallē autem descēdit Austrię princeps, rustica amictus veste, quē permulti eius regionis principes armati cum signis adeunt, inter quos Goritiæ comes primarium obtinet locum. Rusticus à longe venientem principem conspicatus, ceu admiratione captus, Liburnica lingua (qua illi vtuntur) astātes alios rusticos rogat: Quis sit is qui tam superbo incessu atque apparatu ad se veniat? Illi aiunt regionis ipsius principem esse. Iterum rusticus petit An is æquus sit iudex? cōmunē patriæ salutē curæ habeat? liber an seruus sit? si honore dignus, & si ritè Christianus? quę omnia cū astantes affirmarint, iterū rogat, Quo iure is à lapide se velit abigere? Ad hoc tunc Goritiæ comes iā factus vicinior, respondet. Abigere te vult, datis sexaginta aureis nummis, hisque animalibus quæ circum te sunt, te cum familia tua onerum immunitate donato vltra principales vestes quas deposuit. His auditis rusticus lenitur percussa principis maxilla monet, vt iustus esse velit. acceptisq; animalibus quæ iuxta extāt, domū reuertitur. Princeps aūt saltu in lapidē se recipit, strictū vibrat ensem, atq; omnib. qui petierint iustitiā se ministraturū pollicetur, & descēdens inde templū ingreditur, principalesq; vestes atq; officiū resumit. Postea peracto cōuiuio in pratis Tribunal ad audiendos populos cōscendit. Hodie in Gallia vbi tā ingētes opes sunt, dū regnū ineunt reges, veste amiciūtur in veterē Germani cum morē formata, quā in hunc vsum religiose seruant, sicuti in Pannonia diadema, quod sancti Stephani quondam eorū regis fuisse arbitrantur, alio enim creatū regem

insignire nefas putant. Id declaratum fuit in Vladislao, qui etiam Poloniæ regnũ habuit, nam cum hoc diadema, penes Fridericum tertium esset, diu coronationem distulit, id quod sex annos etiam egit Matthias Coruinus. Adeò penes multos antiquarum cõsuetudinũ religio valet.

De Gallis.

Haud caruisse feritate ea apud Gallos consuetudo visa est, cum bella suscepturi, armatam iuuentutem edicto ad consilium vocarent, vltimum enim ad consilium profectum diuersis cruciatibus perdebant.

De Catthis gente Germanica.

Ab immanitate Catthorum quoque, abijsse mos in Germania putatus est, apud quos nefas erat, barbam ponere, aut capillum secare, aut alio modo exornari, nisi ex præda occisi à se hostis caput retulisset. Nã ignominię in qua pręfuisse putabãtur, eiusmodi facto facere finẽ existimabant.

De veteribus Indis.

Crudele etiam veterum Indorum institutum, & si fortitan ad victoriã nõ inutile erat. Nullum enim in exercitu præda impartiebãtur, qui occisi hostis caput nõ retulisset.

De ijsdem.

Illa eorundem Indorum non minus vtilis, & quæ magis ad humanitatem accederet consuetudo visa est, per quã bella gerentes hostium agricolas inuiolatos seruabant. Stultum enim esse dicebant, eos lædere qui vt frugifera humus esset labore suo curabant. siquidem & in bello partis vtrique fruges necessariæ essent, & inclinante ad alterutrum victoria qui superessent, fructus cum cæteris rebus in eius ditione futuri essent, qui victoria potiretur.

De Iudæis.

Obseruare Iudæi quoque hoc solebant, vt in vrbium obsidionibus, frugiferam arborem nullam violarẽt.

De ijsdem.

Antequàm manum cum hoste Iudæi conserrent, publico edicto facescere ab exercitu cogebant sponsos, qui nondum vxorem domum duxissent. Item qui vineam plãtassent, sed nondum ex ea vinum bibissent. Item cœptam domum non expleuissent. His ignauos quo-

que

que & timidos omnes addebant, ne illos inchoatarum rerum desideria, hos autem ignauia ita caperet, vt male rē in prælio gererēt, atq; ea re, fortes audacesque terrerētur.

De Britannis, qui nunc Angli dicuntur.

Quantum laudis secum is Iudæorum mos habebat, qui dictus est, tantum feritatis atque stultitiæ Britannorum consuetudo (quæ vsq; ad Seueri imperatoris tempora, & fortasse vltrà etiam) quanquàm id non legatur, perduraui. In prelio enim nudi proficiscebantur, arcu tantum aut scuto lanceaq; armati: herba glasto, ora corpusq; infecti, vt hostibus trucior eorum esset aspectus.

De iisdem.

Stultum pariter atque crudele illud erat, quod incolæ eiusinsule seruabant, quæ iuxta Britanniam olim Vectis nunc Mona nuncupatur. Deos enim suos captiuorum sanguine placabant, quos ante aras pro victimis immolare consueuerunt, donec Romani per Suetoniū Paulinum sub Nerone superatos, ad mitiorem cultum redegerunt, euersis templis, combustisque syluis, vbi ea sacra peragebant. Nunc relictis Barbaris ad nostros transeamus.

De Alberico Barbiano Cunij comite.

Alberici Barbiani singularis virtus inter ea præcipuè connumerari debet, quæ in antiquis maximè laudata fuerunt. Nam cum eius ætate non nisi barbaro milite bella apud Italos gererentur, id quod in fœdam seruitutem Italiam redegerat, primus ipse Itali generis armare homines cœpit, in eum morem qui nunc habetur, persecuturusque Barbaros omnes Italia expulit. Cum autem amissa militari disciplina, artes quoque quæ ei coniunctæ sunt in desuetudinem veniissent, decoctoque iuxta primorum seculorū morem corio arma conficerentur, vsum restituit ferro ea conficiendi. Itaque equestrem militiam quę nunc habetur non restituisse tantùm, verùm etiam inuenisse ac verus ipsius parens dici potest.

De Italica consuetudine.

Veterum Italorum mos erat non aspernandus, apud quos quanquàm in bello Barbarorum equites adhiberentur, tamen totius exercitus robur Romanorum ciue

Italoq; homine constabat, In quo duplex erat vtilitas & quod sui generis homines armorum dedisce re vsum non permittebant. ac propterea summa rerum Barbarorum arbitrio fideiq; non credebatur: & cum è suis maior pars exercitus constaret, soluendis stipendijs ad alienos pecunias suam non transferebant. Item cum classes ad bellum ornarent sorte ciues suos in eas deligebant. Quæ consuetudo cum ætate nostra exoleuerit, desides atque ignaui depositio armorum vsu omnium Italicarum vrbium ciues facti sunt: nulla tam potens ciuitas est, quæ vel mediocris exercitus vim sustinere diutius possit. Quamobrem si quod nuper vidimus, & nunc etiam magis instare videtur malum Italiæ fato, transalpina manus aliqua numero potens in eam descendat, cum qui in Italia ferre arma possunt, vix ob paucitatem eius conspectum laturi videatur. Quis nisi Deus iam obstare possit, vt de omnium salutè, nedum de dignitate actum non dicatur? In hęc igitur mala nos ciuium luxuria deduxit, ac multo magis qui in Italia rerum potiti sunt, quos partim auaritia, partim alienæ virtutis formido eò impulit, vt nihil sibi tutum, nisi in thesauris argentis exarmatis Italis hominibus arbitrarentur. Hoc idem malum ad ea transijt, quæ naualibus bellis præstare Italia poterat. In quo ne vetustiora repetamus, Venetiæ atque Genua vrbes satis documento his temporibus esse possunt, nam quanquàm imperium terra latius extenderint quàm cum olim inter se bello decertarent, tamen constat nunc ab eis tot, neque onerarias naues, neque triremes in bellicum vsum instrui posse, quàm tunc cum minore imperio inter se dissiderẽt. Quod malũ non aliũde ortũ est quàm à ciuiũ desidia, quib. adeo militaris labor est grauis, vt nũc ne pecunia quidẽ cõparari in belli vsum homines valeant.

Item de Italis.

Consueuere quoque Itali imperantibus Ottonibus ac Fridericis Germanis, magna ex parte in prælium militaria signa carris infixa deferre: fortasse ob eam causam quod in fuga difficilius seruari possẽt. In quib. cũ grauior militaris infamia si amitterẽtur consisteret, effugiendi dedecoris necessitas, cõsistere in prælio milites cogeret.

De primo tormento quod bombardam vocant.

Vetus Romani populi in oppugnationibus industria, Archimedis quoq; singulare in conficiendis machinis ingenium, quod in tuenda Syracusarum vrbe, dum eam Marcellus obsideret, maximè ostensum est, nunquam tam prõptum, neque rebus gerendis adeò aptum tormenti genus inuenit, quàm tempora nostra habuerunt. Huius inuentã primum Germani honorẽ ferunt, quo Veneti in Italia ante alios apud Clodiam fossam aduersus Genuenses vsi dicuntur: & si nonnulli quosdã alios primò esse vsos asserãt, quod vt verum sit, haud multò ante fuit. Huius generis tormentorũ adeò postea vsus atque industria creuit, vt Carolo septimo in Gallia regnante, cum is oppidum Cariburgi nomine, ad mare positũ oppugnaret, quod in Britannorũ, qui nunc Angli dicuntur, possessione erat, Galli cũ perspexissent vrbis partem maritimam, dum mare refluxeret in sicco manfisse, in ea bombardas statuerint, indeq; vrbis muros verberarint, vt aũt oceanũ ad vrbem redire conspexerunt, hæc tormenta preparatis grandib. bursis, quas vncto vehementer corio cõfecerant, statim incluserũt. retro autẽ fluente oceano, bombardas in sicco locis suis stabiles cum inuenirent, in vrbem agere pergebant. Quod Britanni conspicientes, quia ab ea parte plurimum vrgebantur, quam natura munitissimã rebãtur esse, & propterea manu vt defendi posset industriæ minus erat adhibitum, haud diu morati deditionem fecerunt. Idem Carolo octauo regnante in Morinis, qui nunc Britones dicuntur, cũ vrbs Maclouium oppugnaretur, fieri nostri temporis homines viderũt. Quanquàm autem perdifficile videatur, in eo loco Bõbardis vti, quem aquæ superemineant, longè tamen magis mirum fuit, quod hac ætate visi sunt Genuenses agere, cum per bombardas, centum quadraginta librarum lapides, in turrim marmoream Labronensis portus emiserũt, bõbardis in rate statutis, penè mille ac quingẽtis passibus longè à littore, anchoris inter duas onerarias Genuensium naues firmatis. Huius autem inuenti laus, penes Andream Metellũ fuit, alijs fieri posse negãtibus, vt in mare tanti põderis Bõbardę, vel nauigij genus vllũ vel ratis sufficeret.

Sed

Sed à militaribus consuetudinibus, iam ad alios vsus spatiosim transeundi est tempus.

De Lacedæmonijs.

Haud indigna quæ plurimum commendetur Lacedæmoniorum erat consuetudo, quia in conuiuijs virorum virtute excellentium laudes, cõtraq; ignauorum sordes ac dedecora, contemptusq; decantabant.

Deijsdem.

In conuiuijs quoque adhibere rusticum aut extremæ sortis aliquem hominem solebant, quem per ebrietatem à recto sensu abalienabant: vt eo in iuuenum suorum conspectum producto, ingenua iuuentus ex rerum turpitudine quas temulenti incurrebant, atque ex contẽptu in quo penes bonos omnes eiusmodi erãt homines, ipsi diligẽtius ebrietatem euitarent.

De Athenienſibus.

Non sine magna ratione apud Athenienses ea cõsuetudo fuit, quàm ipsi Ostracismum appellabant. Quotannis enim stato tẽpore omnibus ciuibus coctilis quadratæ formæ terra (quam Græci ostracum nominant) dari mos erat: in ea terra is cui dabatur nomen cuiuscunq; ei videretur, describebat. Collectis autem cum hac nominum inscriptione coctilibus formis, si numerus earum sex millia transiret, is cuius nomen frequentius in ipsis Ostracis notatũ inueniebatur, decem annos exulatũ abibat. Hoc modo in vrbe libera potentiũ ciuium ambitio, effrenatiq; animi continebantur.

De Aegyptijs.

Apud Aegyptios hic mos erat, vt quicunque perpetrare furtũ decreuisset, sacerdotum principi descriptum nomẽ suum præberet: furtumq; perpetratum ad eundem deferret. Hi quoque quibus bona furto erepta erant, ad eundem sacerdotem euntes, rei furto amissæ signa tempusq; denunciabat. Hac ratione amissa domini, si quartam pretij partẽ persoluissent, recuperabãt. Fur quoq; quarta hac parte cõtentꝰ, nullo alio periculo furti pœnã deuitabat.

Deijsdem.

Singulis quoq; ægritudinibus singulos adhibebãt medi-

cos,

eos, neque ij qui curandi capitis ratione profiterentur, alia corporis partem curadam suscipiebant. Arbitrabantur enim fieri non posse, vt vnus omnium curarum disciplinam recte teneret, quamuis in vna doctus haberetur. Cautius autem quàm apud nos agebatur, penes quos medici omnis ægritudinum curam inuadentes, sæpè magno egrorum damno ignorantiam & cupiditatem suam detegunt.

De ijsdem.

Quàm modestè quoq; apud eosdem illud fiebat, quod defunctos laudaturi, nulla opū aut nobilitatis mētione facta (siquidem hæc non hominis propria, sed fortunę bona dicuntur) in eis religionem iustitiamq; extollebant. Vt hos laudis genere exornata mortuorū memoria, viuentes ad has sectandas virtutes efficacius accenderentur.

De Scythis

Veteres Scythæ astronomos sagasq; qui falsa apud eos prædixissent, accenso carro impositos occidebant.

De ijsdem.

Adeò autem omnes peregrinos mores deuitarunt, ceu qui insitam genti illi frugalitatem corrumperent, vt non ob aliam causam Anacharsim occiderint, nisi quod Græco more Cybelis sacra coleret.

De Epidaurijs.

Aliqua in parte idem mos Epidaurijs fuit, qui cum cernerent sceleratorum consuetudinem plurium bonis moribus officere, scirentque Illyricos multorum vitiorum labe infectos, mercatoribus suis commeandi ad eos facultatem interdixerunt. Ne autem ijs commodis destituerētur. quæ Illyriorum regio afferre poterat: ætate grauem virum inter Epidaurios deligebant, cuius fama moresque probarentur, illum solum penetrare ad Illyrios, finebant. Isque solus in emendis vendendisque rebus, aliorum ciuium desideria explebat.

De Iudæis.

Et mira & bonitatis plena Hebræorum consuetudo erat, qui metendis frumentis relictas spicas non colligebāt, neque vindemia vuas quæ forte vindemitorum diligentiā effugissent. Hæc enim ad pauperum nutrimenta relinquebantur,

bantur, neque ex agro peregrinum aliquem qui in eo esset pellebant, ferentesque ad torcularia vuas, nemini qui in cibum dari sibi peteret, negare fas putabant.

De ijsdem.

Si cuiuspiã sub onere iumentũ cõcidisse perspexissent, nõ prætergrediebãtur, nisi prius vt cõsurgeret, iuuissent.

De ijsdem.

Modestiæ quoque plena illa eorum fuit institutio, qua Iubileum annum quinquagesimo quoque anno constituerũt, vt eo anno sine alia ope æs alienũ nexusq; solueretur, diuenditæ quoque res inita fructuum augmentiq; ratione ad primos dominos reuertebantur.

Item de Romanis.

Commendationẽ etiam Romanę nobilitatis mos merebatur. Gestare enim liberos bullas à collo pendentes assueuerant, vt cum serui eos ex bulla ingenuos esse cognouissent, cum eis turpiter atque impudicè agere abstinerent, idque Romanos ipsos esse moneret.

Item de Romanis.

Romana plebs in patritiorum equitumq;, id est totius nobilitatis tutela erat, per clientelas diuisa. Ipsius causas patritij equitesq; gratis tuebãtur. Populus quoque nobilibus cum peterentur honores, suffragijs suis adsistebat. Plebi puellarum dotes patritij persoluebant atque in bello captos redimebant, à neutris autem hæc officia improperabãtur. Sed haud diuturnus tam sanctus inter eos mos manssit, qui inter ipsos amoris ac fidei verum firmumq; vinculum erat, & Romanis rebus fœlicitatem afferebat.

De Parthis.

In conuiuijs Parthi non vxores sed concubinas adhibebant. Ne si forte largiore vino perfusi licentius egissent, coniuges quarum pudicitiæ consulendum erat, exemplo ad indecora prouocari viderentur.

De Persarum moribus.

Apud Persas mos erat tria præcipuè liberos suos docere: equitare videlicet, arcu vti, ac verum dicere.

De iisdem.

Tria quoq; apud priscos Persas vehemẽter dãnabantur mentiri

mẽtiri, inter ęrarios esse: ité in amnẽ rem immundã edere.

De iisdem.

Laudanda etiam apud veteres Persarum reges consuetudo erat, nunquam enim alio vescebantur cibo, quàm pane, pulte, cardamo & sale. Nam ea vitę temperantia non mente modo, verumetiam corpore magis valere se putabant.

De modo quo veteres Aegyptiorum reges sepeliebantur.

Priscis Aegyptij temporibus cum ad sepeliendos reges suos conuenirent, dum regis vita à sacerdote legeretur, omnibus fas erat ea damnare quæ reprehensione digna cognouissent. Quod si in eo dedecora, per virtutem gestas res superare viderentur, sepulturæ regius honor ac pompa adimebatur. Mos profecto prudentia plenus, ita enim sine populorum periculo regum potentiam, quæ dũ viuũt censuram non admittit, refrenabat scrupulus ille, ne propter turpem vitam eis in sepultura honos negaretur.

De Aethiopibus.

Nec minus Aethiopum mos laudem merebatur. Nam qui regum personæ astabant in partem incommodorum malorumq; subibant, quæ regibus suis accidissent. Sponte enim aut mortem obibant, aut membris illis se priuabant, quę malo fato ipsi reges amisissent. O sanctum morem, ó amicitiæ vinculum singulare, non Barbaris qui in extremo orbe positi sunt, sed Romano senatu dignũ. Huic autem cum rem vnam solam simulem inuenerimus, si de ea prius scripserimus, relictis veteribus institutis ad militarem disciplinam transibimus.

De Solduriis Gallica societate.

In Galliæ populis qui Sontiates dicuntur, quædam societates erant atq; amicitiæ vincula (eiusmodi homines illorum lingua Soldurij nominabant) inter hos mutuus amor adeò arcte colebatur, vt quicquid amico vel in fortunis, vel in corpore contigisset, ipsi in eodem amicitię iure essent, ad eadem simul ferenda præsto essent, vel si vita quia amicus eam amisisset, effundenda foret.

DE

DE MILITARI DISCIPLINA Cap. II.

NVllus penè est, qui militarem disciplinam nō laudet, cum tamen illorum perexiguus sit numerus, qui eam rectè teneant. Hęc enim virtus tāto aliarum humanarū rerum scientiam anteire solet, quanto in humano corpore pedibus caput præstantius habetur. Præsertim cum sint ea exercitus ipsi quamuis ingentes sint, nulli rei magis quā obcęcato Polyphemo comparari possint. Id in Dario Alexander Macedo ostendit, Themistocles contra Xerxen, aduersus Tigranem Lucullus, & Pharnace Ptolemæoque deuictis Iulius Cæsar: item contra Rhadagasium Stilicon, ac postremò superatis sæpius Gothis Belisarius. Nam ii paruo suorum numero ingentes hostium copias fuderint, docuerūt profectò quiddam præcipuum militari disciplina atq; virtute contineri. Quid enim ab initio Macedonum regnum extulit? quid adeò Romanum imperium auxit? vnde Turcarum potentia in hanc magnitudinem excreuit? quid Aegyptiorum regē Sultanum ac Mamalucos ad tātas opes ac regna euexit? profectò per hāc vtilitatis atque honoris plenā militarem disciplinam, hæc cæteraque quæ terrarū orbis vnquàm habuit, habiturusq; est imperia peperisse ac parituram inuenimus. Quę nō sine magna sapiētiæ laude reliquis disciplinis tantū prælata fuit, quātū olympicis ludis coronato victor preconi cōsueuit anteferri. Itaq; de hac disciplina scripturi haud iniuria inter memorabilia exēpla eorū, qui hac militari virtute insignes fuerunt, à Thebano Epaminunda ordiemur.

De Epaminunda Thebano.

Is enim cum Thebani exercitus aduersus Lacedemonios dux esset, & tempus eligendorum magistratuum appeteret, id quod nisi præsente ipso (nam Prætor erat) fieri non poterat, Thebas profectus est, Stesimbroto filio relicta exercitus cura, sub ea lege, ne cum hoste manum consereret, filius autem plus hostium contumelijs motus (nam præ ignauia eum detrectare certamen increpabant) quàm paterni imperij memor, in aciem progressus, hostes penitus fudit. Itaque reuerso patri cum se tanta victoria lætum obtulisset, ab eo primum vt victor coronatus est, deinde

deinde statim quia imperium neglexerat morte multatus est. Nunc ab Epaminundæ seueritate ad Cæsaris clementiam descendemus.

De Iulio Cæsare.

Iulius Cæsar qui Dictator fuit inter Romanos moderatæ militaris disciplinæ singulare exemplum fuit. Ita enim interdum crudelitas bonos milites ad indignationem permouet, vt eos nimis sæua irritent fræna. Itaque is disciplinæ suæ satis humana nobis documenta reliquit. In milite non philosophorum austeritatem, sicut nonnulli duri mi litaris modestiæ exactores, sed ciuilem modestiam ac virtutem ad res gerendas requirebat. Quamobrem longinquo hoste liberiora militibus disciplinæ fræna remittebat, vt postea propinquior factus cũ ita militum animos & vires recreasset, promptioribus diligentioribusque aduersus hostem vteretur. Nunquam prælij aut expeditionis tempus militi prædicebat, vt omnibus horis præsto esse se debere, atque in medijs delicijs si iuberentur, descendendum esse in prælium scirent. Quæ norma multas ei peperit victorias, atque hostes in magnas deduxit calamitates.

Quod si nimia indulgentia milites ad contumaciam descendisse animaduertisset, aut seditionem in exercitu mouere, quæ militaris disciplinæ mortiferum est venenum, ceu bonus insessor, moderate fræna contrahendo militare imperium sibi vendicabat. Id ciuili bello apud Placentiam ostendit, vbi seditiosum exauctorauit, neque ante pristino honori restituit quàm de sontibus pœnas sumpsisset. Romæ quoque Decumanos nimis petulanter ac temerè missionem ac prædia poscentes, similiter cum ignominia dimisit, quos cum erroris pœnituisset, atque in Africam secuti fortem in eo bello operam nauassent, omni tamen prorsus præda, & prædiorum quæ promiserat tertia parte priuauit.

De Cæsare Augusto.

Sequetur patrem Iulium in militaribus exemplis, quemadmodum in imperio adoptiuus filius Augustus. Nam militaris disciplinæ diligens obseruator, equitem Romanũ qui pollices duobus filijs in manibus secuerat, vt hoc mo-

do militari munere excusarentur, ipsum bonaque eius hastæ subiecit: & cum videret publicanos ad hastam accedere, liberto suo bona donauit, atque in eis donec viueret equitem relegauit.

De eodem.

Si cohors aliqua turma in acie locũ deseruisset, aut quæ mandabantur transgressa esset, decimum quemque mulctabat, reliquos adempto frumento hordeo pascebat. In nonnullos quoque centuriones haud secus quàm gregarios militem capitali pœna animaduertit.

De P. Aemilio.

Solebat P. Aemilius noctu exploratores mittere exercitatos, vt se armis tuendi ablata spe vigilantiores in excubiarum munere essent.

De Pisistrato Athenienſium tyranno.

Pisistratus quoque Athenienſium tyrannus, cum vigilem nocturnæ munus obeuntem dormire offendisset, occidit dicens se eum vt inuenerat reliquisse.

De P. Sulpitio equitum tribuno.

Pari seueritate vsus est P. Sulpitius equitum tribunus dum Galli capitolium obsiderent, cum somno captum vigilem ab eo loco præcipitauit, per quem Galli (eos enim non sentiebat) ad arcem conscendebant, quos inde M. Manlius postea reiecit.

De Licinio Crasso Rom. consule.

Cum triennio continuo multi Romani exercitus à Spartaco fugitiuorum duce pulsi superatique essent ad eam expeditionem missus à populo Romanorum Licinius Crassus antequam manũ cum hoste consereret, exercitum priscæ disciplinæ atque sæueritati restituit. Iunctis enim legionibus quæ ante sæpius victæ fuerant, cum ijs quas ipse ducebat, decimum quenque sorte ex eis delectum occidit. Cæterum quanquam occisorum in ea animaduersione numerus ad quatuor milia conscenderet, cum postea hostem semper vinceret, docuit plus virtũ ea animaduersione exercitui additum, quàm occiso tãto numero esse detractum.

De Tyberio Cæsare.

Tyberius Cæsar antequam ad auguſtale ſolium con-

disset, cum in Germania exercitum ductaret, præfecto legionis legato ignominiæ notam intulit, ob id solũ, quod cum liberto suo paucos quosdam equites venatum trans Rhenum non petito commeatu, miserat, quia vt ab hoste intercipi possent, periculum adiuuerat.

De Sergio Galba.

Sergius Galba priusquã ad principatum eueheretur cũ sub Claudio Africæ præesset, & parcè ob penuriam militibus frumentum diuideret, intellexit militem quendã diuendito tritici modio centũ denarijs, frumentum à Questore vt ali posset postulare: cui neque ipse dedit, nec vendi ab alijs est passus. Itaque miles fame consumptus alijs exemplo fuit datam à se auaritiæ operam, nihil aliud ipsi quam mortem peperisse.

De Tito Vespasiano Cæsare.

Non minus seuerum se in Iudæa Titus Vespasianus quã ante Galba in tuenda militari disciplina præstitit. Nam cũ equos quibusdam Romanis equitibus à Iudæis ereptos intellexisset, quia præsidio præfecti ijs qui lignatum in operum obsessæ vrbis vsum iuerant, vt suo equorumque labori parcerent, ademptis frænis pastum ire passim equos permiserant, & propterea facto repente à Iudæis impetu, recipere equos nequiuerant: vno ex eis morte mulctato, alios admonitionis rigiditate ab huiusmodi negligentia deterruit.

De Aelio Adriano Imperatore.

Adrianus quoque Imperator inuenta militari disciplina post Augustum, per ignauiam valde corrupta in Germaniam proficiscens. Et si in pacato erat, tamen haud secus quàm si propinquus esset milites exercuit. Tabernacula frondibus facta aut in subterraneis locis ad minuendam caloris vim inuenta subuertit: atque vt ex ipsius patientia ferendi laboris exemplum alij haberent, interdum pedibus viginti passuũ milia peragebat. In propatulo vescebatur lardo caseoq; tãtũ instructa mẽsa, nec potaturus, alio vino quã posca siue lora vtebatur, quemadmodũ antea Scipiones Marcelliq; fecerãt, vt aliorum seuerus esse reprehensor posset, exemploq; suo ferendi laboris excusatio-

nem adimeret. Magno enim ingenio perſpexit, non minus delicatioribus cibis corporis atq; animi vires, quibus militaris cõfiſtit virtus, quàm intẽſiore febri humana corpora frangi: quia experimento Hannibalis didicit Carthaginenſi exercitui plus Campanas delicias, quàm ingentes in Alpibus niues, aut Apuliæ feruidos nimium offeciſſe ſoles.

De Peſcennio Nigro.

Peſcennius Niger militaris vir, qui virtute ad imperium conſcendit, nunquam alio quàm militari cibo vſus, exercitui vinum ferri non patiebatur, ſed acetum ſolum, vtpote quod facilius vbique inueniretur. Quamobrem militibus quibus Aegypti finium cura demandata erat cum vinum poſcerent, reſpondit: debere eis amnis Nili aquâ ſufficere. Neque verò niſi reliquus exercitus ſub tecto manſiſſet, ipſe tentorium aut frõdea tabernacula ſubibat, ſed ſub dio manens, alios exemplo ſuo ad patientiam hortabatur.

Iterum de eodem.

Hic militaris diſciplinæ æquè ac ſuæ ſuorumque abſtinentiæ ſeuerus cuſtos, cùm intellexiſſet à milite ſuo gallinam ruſtico cuidam eſſe per vim ereptam, atque ad illius aliarumque nonnullarum rerum epulas raptorem, decem alios adhibuiſſe comites, ingenti labore, cũ ob hoc ipſum ad rebellionem ſpectare exercitus videretur, vix retentus eſt quin omnes capitali pœna multaret: lenitaque animaduerſionis ſæueritate effecit, vt denæ per ſingulos gallinæ cui erepta erat perſoluerentur, eorumque nullus durante ipſo bello in tabernaculo ſuo ignem accenderet, ſolóque pane atque aqua vitam duceret.

De Macrino Imperatore.

Non minus ſeuere Macrinus Imperator in militari diſciplina parendi ſtudium exegit. Is tribunum quòd eo modo quo mandârat exploratores non miſiſſet, morte crudelem in modum affecit. Currui enim pedibus alligauit, & per tota caſtra trahi iuſſit, donec in fruſta lacerum corpus prorſus diſcerperetur.

De Septimio Seuero Imperatore.

Nullum in magnis exercitibus perniciosius malũ, quo nimia

nimia licentia ac reuerentiæ neglectus inuenitur. Inde enim orta persæpe paruarum rerum momenta immensa secum mala traxerunt. Id senior Seuerus cũ prudenter videret, nõ tulit. Nam cum podagra laboraret, & propterea impediri quàm decreuerat expeditio videretur, maiorem natu filium eius Antonium Bassianum exercitus Augustũ salutauit, arbitratꝰ in eo sceleris nihil à se perpetrari. Quod Seuerus cũ audisset lectica se in tribunal deferri, citatisque primis huius consilij authoribus securi percuti iussit, qui omnes humi prostrati, & cum eis vnà reliquus exercitus lachrymans miserabili voce excusabilis erroris veniam perterent, vix tandem adduci potuit, vt petentibus in hæc verba erumpens, veniam daret. Nunc demum intelligitis non pedes sed caput imperare. Per quæ verba affecti corporis impedimento animi magnitudinem atque prudentiam cõtulit. Quàm seuerè igitur arbitrari possumus in alterius generis seditionem animaduersurum fuisse, cum filij dignitatem, cuius post se cupidissimus erat, à militibus priuatim procuratam, tam acerbo supplicio vlcisci vellet?

De M. Aurelio Antonio Bassiano Caracalla Imperatore.

Sub tali disciplina nutritus filius Antonius Bassianus Caracalla cum patri in imperio succesisset, præterquam quod sæpe se cum militibus exercebat, pedibus iter armatus faciebat, ac sæpe magnum spacium militaria signa ipse ferebat: ne tum quidem cum lassus in tentoria se recepe-rat, delicatiore cibo reficiebatur. Sed cum alijs militibus eo pane vescebatur, quod ipse sibi pinsuerat: & tunc in ardenti cinere decoxerat. Cypho quoque ligneo bibebat, per hunc modum aucta bona valetudine magis etiam à militibus diligebatur, cũ fraternè se erga omnes ipsos gereret.

De Aurelio Alexandro Seuero Imperatore.

Quæ scripta est in superioribus principibus fuisse militarem disciplinam adeò diligenter exactam, cum ipsi in armis aut cõsenuissent, aut saltem nutriti essent, ne miratio-nem mouere debet. Illa magis miranda est quæ in Alexandro Seuero Augusto extitit, qui vix annos viginti natus in summa rerum affluentia, magnoque imperio, & ipse se

egregium militaris disciplinæ exemplũ præstitit, & à militibus vt idem agerent, exegit. Neq; enim alio quàm militari cibo vtebatur, apertoque tentorio vt omnes conspicerent vescebatur. Si quis dum agmen incederet in priuatorum possessiones se immisisset, plagis multabat: si gregarius miles esset, appellans, An ita calcari agrũ suum vellet. Stipendia militi largè persoluebat, neq; ferebat vt vel legati vel aliorum ordinum ductores, sicuti interdum fieri solet, stipendia decimarent. Militem enim bene vestitum, calgatumq; ac saturũ aiebat, si quid præterea nummorũ in baltheo secũ gestaret, semper dicto audientem fore: quæ inopiæ plerunq; desperatio coniuncta esset. Hæc cum ipse præstaret, à militibus contra seuere exigebat, vt diligenter militarẽ disciplinam seruarent. Antiochiæ accepit equites nonnullos balneis conuiuijsq; deditos, in ijs omnia commere, itaq; cõprehendi atq; in custodia haberi iussit. Quare motus exercitus cũ tumultuaretur, ipse in tribunal conscendit ac perpetrati erroris grauiter milites increpuit. Caterũ cum ipsi pene minabundi fremerent, solus inermis toruo vultu grauiterque sonante voce omnem exercitum militia exauctorauit, iussitque vt statim arma dederẽt. Misera res profecto, sed tamen vera fuit, vnam principis vocem tam multos iratosque exarmasse milites. Nam ad primum eius verbum eodem omnes momento arma in terram abiecerunt, quæ vnà cum signis per populum Antiochenum ad palati Alexãder ferri ũiussit, nec verò multo pòst cum eos in pristinũ militiæ honorẽ recepisset, ab eis vllũ fortis militis aut disciplinę officiũ in Parthico bello desideratum.

De Maximino patre.

Maximinus senior priusquàm ad imperium conscenderet, sub Alexandro de quo diximus militauit. Is quinquoque die in armis exercitum educebat, militarique more quotidie currendo atque luctando exercebat. Ipse quoque quanquam iam grandis natu campestrium exercitationum labores cum eis subibat.

De Aureliano Imperatore.

Tam multis antiquorum exemplis operæprecium duxi Aureliani Augusti epistolam subnectere, ad quendam ...

sius vicariũ scriptã. Ex ea enim sæueritatis eius magnitudo vetusq; militaris disciplinæ ratio cõprehẽdi potest. verba ipsius hæc fuerunt. Si Tribunus esse vis, aut potius si tibi vt viuas curę est: fac militum manus ab alieno cõtineas. Nemo alienum pullum accipiat, alienam ouem tangat, ab aliena vinea vuam decerpat, aliena sata calcet, oleum, salẽ ac ligna petat, taxato ei commeatu contẽtus maneat, prædáq, hostium non lachrymis subditorum alatur, nitida habeat arma, ferramentáq; omnia parata teneat, calciamenta sint firma, vererem vestem noua excludat, stipendiúmque eius in baltheo & non in culina maneat, torquem armillã atque annulum ferat, equum suum maiorem ipse perfricet, animal ex hoste captum non vendat. Mulúmque qui eius ac comitum impedimenta gerit diligenter curet, mutuóq; sibi milites vt serui auxilio sint, à medicis sine præmio curentur. Aruspici & sagis nihil dent, honestè in statiuis suis viuant, & qui rixabitur vapulet. O miram disciplinam nõ modo antiquis militibus, sed religiosis quoq; viris dignã. Quem enim temporis nostri militum, tentoriorum, lectorum, vasorum, ciborúmque ac vestium, quibus nimis molliter vtuntur, vnà cũ rapinis quibus miseros populos, quos tueri debent populantur, cum hanc epistolam legerint, vt ignauissimos vehementer non pudeat?

De Romano exercitu.

Quàm continens se sub M. Scauro milites Romani ostenderunt: nam cum semel castra mouerent, in castrorum aggere inuenta est, arbor optimis fructibus onusta: quia milites ea disciplina instituti, decerpere ex arbore fructum nullum ausi erant.

De Iuliano secundo Imperatore.

Sæuere etiã Iulianus Augustus militari disciplina vsus est. Nam cũ bellum aduersus Persas gereret, & tres cohortes à paruo hostium numero in fugã compulsæ essent, decẽ à quibus primo fuga cœpta erat militia exauctoratos capite multauit. Ea enim animaduersione cũ par periculum fugæ ac pugnæ fecisset, resistendi hostibus dubitationem adimi, atque ita in prælio milites audaciores fortioréſque reddidit.

De Belisario Constantinopolitano patritio.

Belisarius Constantinopolitanus, vt penè antiquos Romanos omni virtutis genere æquauit, ita scribentis iudicio militari virtute ac disciplina superauit. Cum ad recuperandam è Gothorum manibus, Italiã à Iustiniano missus esset, adeò ab omni maleficio milites continuit, vt cũ iter facerent quanquam defessi ad decerpendos fructus, qui in via ab arboribus pendebant, nunquam manum extenderint, neque in opacum locum pabulatum frumẽtatumque iuerint. Quæres admirationem omnem aufert, quod Italia eius singulari continentia moti, spretis his malis quæ ab hoste poterant perferre, miro omnium consensu Belisarij virtutem paruasque eius copias Gothorum multitudini in omne cupiditatum genus corruptæ antepoſuerint.

De Pisanis.

Rigoris etiam plena fuit Pisanorum disciplina, qua sãctis anno ducentesimo nonagesimo supra mille vsi sunt, cũ è duabus turribus quibus Labronensem portum tuebantur, Genuenses alteram à fundamentis subruissent, & eius casu atque ruina in mare oppressi essent, qui in ea præsidio erant. Nam qui in altera erant similem perspicientes imminere casum, desecta quoq; ipsorum magna in parte turri, Genuensium se fidei crediderunt. Quare Pisani audita, eorum fortunas populari, liberos coniugesque ipsorum in carcere macerarunt: & quotquot ex ipsis qui in præsidio erant in potestatem habere potuerunt, suspẽsis ceruices interfecerunt: obiecerunt enim si tãtopere ijs chara erat vita, debuisse tuendarũ illarum turrium prouincia abstinere. Quæ si alij maiore præditi animo suscepissent, fortasse per id tempus quo turris postrema casum differebat, aut aduersa tempestate pulsis inde Genuensibus, aut misso Pisis præsidio effici potuisse, ne tanto detrimento atque dedecore patria afficeretur.

De Genuensibus.

Non minus sæuerè disciplinã Genuenses exercuêre quo tempore vrbs eorum ciuilibus armis inter Guelfos Gibellinosque diuisa contendebat. Eo enim tempore Guelfi qui

rerum

rerum potiebantur, septem viros qui Phaream turrim totam penè à fundamentis subuersam Gibellinis dediderãt, ab vrbe ceu saxa, per hæc tormenta, quibus sub Manganorum nomine prior ætas vtebatur, in hostes emiserunt.

De ijsdem.

Prisci Genuenses diligentissimi militaris disciplinæ custodes, Lanfrancum Barbarinum maritimarum copiarum ducem sub eo nomine, qui Admiratus vulgo dicitur, cum septem & viginti triremium præfectis euersis ante domibus, magno auri pondere ac præterea exilio multarunt, quod in Sicilia à Venetis quatuor ac viginti triremibus, cũ ipse septem & viginti haberet, nullo ante tentato prælio in terram descendens, fuit separatus. Persuasum enim habuerunt Genuensium virtutem propter solam. Admirati præfectorumque ignauiam Venetæ classi cessisse, adeò illa ætate etiam minima criminis suspicio, magni apud Genuenses habebatur. Itaque minimè mirum videri debet, si postea Pisanos Venetosque, simul præterea Cyprium Hispaniensesque reges, alios quoque multos ingenti virtute sæpius vicerint fuderintque.

De Bernardono Vascone Florentinarum copiarum duce.

Seuerum se quoque Bernardonus Vasco Florentinarum copiarum aduersus Pisanos dux in tuenda militari disciplina ostendit. Edixerat enim ne incertam Pisani agri partem pabulatum populatumque iretur: quod ei in magnæ rei gerendæ quam designauerat, subsidium parci volebat. Itaque cũ intellexisset Bartholomæum Pratensem ordinũ ductorem, qui vir manu promptus & bello clarus habebatur, imperium neglexisse, comprehendi, nullaque eius habita ratione securi statim percuti iussit.

De Tamburlano.

Graue se quoq; & seuerũ in militari disciplina Tamburlanus gessit: id quod inter cætera semel cum exercitũ per minorem Asiam duceret, quæ nunc Turchia dicitur, visum est. Nam cum ei lachrymabunda mulier se obtulisset, querens ab eius milite nullo dato precio coctũ lac, parũq; casei erepta esse, statim consistere iussit exercitum: atque inde agmen ordinatim incedere, vt mulieri facultas esset eũ

agnoscendi, qui vim fecerat. Agnito igitur rex per pœnitentiam se præsente aperiri corpus iussit, in cuius stomacho lac quod mulieri eripuerat fuit inuentum: cui supplicio mulier destinata erat, nisi eius rei qua se spoliatam quæsta erat fides fuissent inuenta. Hac enim sæueritate assequebatur, vt copiæ quas habebat immensas, cum tutus ad castra omnibus esset accessus, omni commeatu semper abundarent.

De Venetis.

Non caruisse sæueritate illa quoque dici potest per qua Veneti Nicolaum Canalem affecerunt, quod Venetæ classis dux, cum Mahumethus Turcarum rex Euboëam insulam oppugnaret, præ ignauia obsessis opem non tulisset. Reuersum enim perpetuo exilio damnarunt. Inuitum eum ciuem ducentes, qui pluris vitam quàm Christi religionem patriæque honorem, atque tam multorum alioru conciuium salutem fecisset. Res profectò vrbe illa digna, cuius imperium tã multos annos in Italia incolume ma

DE IVRE TRIVMPHANDI.

Caput III.

POst militarem disciplinam triumphandi rationem, vi pote excellentis operis præmium aggrediemur. Hoc tem posteaquam Romanam rem à libero statu in tyranni dis speciem Imperatores redegerunt, & plura per libidi quàm ratione geri cœperunt, sæpius atque in diuersos us dos variata atque interrupta est, vt multis Romanis exe plis ostendetur, quibus haud abs re erit etiam recentiorum temporum quædam subiungere.

De M. Valer. & M. Horatio consulibus.

Mirum profectò minus videri debet, si ætate nostra qua corruptis moribus viuitur, plus ambitioni quàm legi bus dari persæpe inuenimus. Quandoquidem in Roma Republica (quæ ab initio moderationis plenos homine habuit) legimus idem etiam factũ fuisse. Nam cum Valerius consul Aequiculorum gentẽ bello deuicisset, & M. Ho ratius eius collega Sabinos, negante eis triumphũ Senatu penes quem honoris illius dandi ius erat, quia nimium p pulares habebantur: à populo eum impetrantes (id quo antea nunquam factum erat) non solum non permittente

senatu

senatu, sed penè in eius contemptum ambo triumpharũt. Veterum igitur morem, per Senatum eiusmodi honorem obtinendi, tum Senatus parua æquitatis ratio, tum ipsorũ consulum ambitiosa mens euertit. Contigítque, vt sæpe in eiusmodi rebus solet, vt huius contentionis vtraq; pars infamiam ferret. Senatus videlicet antiqui honoris amissi, & Consules quod eius rei authores fuissent, cui totis viribus obsistere debebant.

De C. Mario consule.

Quanto meliùs humanam cupiditatem Marius frænauit, qui cum consul Theutones bello vicisset. Romam vocatus triumphum distulit, conspicatus patriam aduentantibus Cymbris in periculo versari. Catulo igitur collegæ iunctus, apud Vercellas eos fudit, & cum ob geminatam victoriam duplex triumphus offerretur, vno tantum contentus, voluit vt collega simul triumpharet.

De Cornelio Balbo Gaditano.

Non permisit Romanus senatus etiam in peregrino homine præmio suo virtutem carere, vt eo exemplo ciuium animi ad eam magis accenderentur. Cornelio enim Balbo Gaditano Aethiopibus atque Garamantis bello superatis, cum ciuitatis iure, vt triumphans quoque vrbẽ iniret, nouo exemplo concessit.

De Cn. Pompeio.

Cn. Pompeius, cum Syllanis temporibus Domitium in Africa superasset, nondum neque consul, neq; senator, sed tantum Roma. eques, per importunitatem à Sylla triumphum extorsit. Et cum non satis sibi duceret curru vrbem inire, quem quatuor insignes equi traherent, pro equis elephãtos adhibuisset, nisi portarum vrbis angustiæ per quas iunctæ belluæ ingredi non poterant, hoc agere volẽti obstitissent. Adeò insuetarum rerum ambitio homines interdum obcæcat & gloriæ cupidine omnes ducuntur, quę ita iudicium confundit, vt maior pars cum in sui estimationẽ, venit, plerunque opinione fallatur: ante alios id malum generosiores inuadit mentes, & longius à ratione quàm alios aufert. Quæ res & si sæpe magnas secum traxit calamitates, id tamen eam interdum tolerabilem facit, quod

quod persæpe comes ei virtus aliqua insignis est, per quam ingens alicuius gestæ rei conscientia hominum effert.

De M. Antonio Triumuiro.

Et si Pompeio non minus virtutis magnitudo iuuenili ætati coniuncta, quàm Syllana indulgentia triumphum, quem meritus erat impartiuit, id pernicioso tamen exemplo actum putatur, vt plus amicitiæ quàm legibus tribueretur. Rerum enim summa postea ad pauciores redacta, deteriores etiam effectus peperit. Siquidem Antonius Triumuiratu Orientem sortitus, cum Parthico bello rediret, fortasse Syllano exemplo motus, vt pro lege voluptatem haberet. Et sicut in Pompeio ætatem Sylla, ita sibiipse cum dispensaret, non Romæ quæ orbis caput & domina erat, sed nouo more Alexandrię magna exercitus indignatione triumphauit.

De Tiberio Cæsare.

Eodem abusu Tiberius Cæsar viuente adhuc vitrico Augusto (quanquam nec res in Rhœtis atq; Vindelicis gestæ neque ætas triumphum mererentur) omnia ouationis nomine, triumphalia habuit ornamenta. Nam cũ mos esset vt ouantes vrbem laureati quidem, sed pedibus inirent, ipse curru inuectus nullo veri triumphi honore, nisi nomine caruit. Primusque huiusmodi ouationis author fuit.

De eodem.

Quod insolenter in ouatione sibi sumere visus est, illud correxit cum decretum à Senatu triumphum propter deuictos domitosque Illyricos distulit, vitrico, atque vrbe tota propter Varrianam cladem consternata. Prudenter enim plus habere apud se virium publicum dolorem, quàm priuatum suum honorem, atque lætitiam, ostendit.

De Septimio Seuero Imperatore.

Septimius Seuerus deuictis Parthis triumpho vti recusauit. Nam cum vehemẽter podagra laboraret, triumphalis currus agitationem ac tædium vitare, quàm sequi triumphalis pompæ cupidinem maluit. Fortasse Vespasiani memoria commonitus, qui cum de Iudæis triumpharet, fastidio longi apparatus tantæque agitationis affectus, ea merito perpeti tædia, dixit: quia iam senio confectus triu-

phalis

phalis pompæ vanitatem appetijſſet.

De Helio Adriano Imperatore.

Longe maiori temperantis animi laude triumphum Adrianus renuit, quàm ij de quibus dictum eſt, non appetiuerunt. Nam cum Senatus populusque Romanus vellet vt ſicuti Traiano in principatu ſucceſſerat, ita etiam quia Traianus morte interceptus, triumphum de victis Parthis ducere nequiuerat, ipſe pro eo triumpharet, effecit vt pro Traiano Traiani effigies triumpharet, æquius enim duxit & moderationi ſuæ conuenientius, curare vt honos Traiano debitus eius ſtatuę ipſo mortuo deferretur, quàm ſe eos ferre honores qui pro alienis rebus decernebantur. Cæterum quò maior in iam dictis principibus fuit modeſtia, eò inſolentiores fuiſſe videbuntur qui nunc ſequentur.

De Aureliano Imperatore.

Aurelianus Auguſtus in alijs rebus temperatiſsimo habitus animo, plus triumphali honore quàm equum eſſet ardore incenſus, contra mores legesque de Tetrico viro ſenatorio ciue Romano, quem in Oriente vicerat, & de Zenobia triũphare voluit. Huius honoris nimio ſtudio maculatis alijs permultis, quæ glorioſe ac magna virtute geſſerat: quem enim honeſtum triumphandi prætextum habere potuit, ob ea quæ aduerſus ciuem Rom. atque fœminam geſsiſſet? Cæterum hoc etiam eius cupiditatem magis detexit, quod non contentus leges triumphandi parum ſeruaſſe in ijs contra quos bellum geſſerat: vrbem iniuit curru, non quem equi vt mos erat, ſed quem cerui traxerũt. Sed hoc ſi ſequentibus conferatur, iam tolerabile poterit videri.

De C. Caligula Imperatore.

Caius Caligula iuuenilibus annis nimiáque fœlicitate abſtractus, cui non raro coniuncta inſolentia inuenitur. Cum valido exercitu in Germaniam profectus, non modo non cæſo, ſed ne viſo quidem hoſte circumactis legionibus machiniſque omnibus, qua parte oceanus terram alluit, milites omnes conchas, atque illa quæ in littus mare euomit, colligere iuſsit: dicens ſe ac palatio ea digna eſſe ſpolia, & de rebus illis tanquam deuicto ſpoliatóq; oceano magna

pom-

pompa insanientis potius, quã triumphantis more lãtus vrbem iniuit.

De Nerone Imperatore.

Non minore quoque dedecore suo magnoq; populi Romani dolore, Nero pluribus in locis de musica arte triumphauit. Nam cum ex Græcia rediret, vbi assiduè inter cytharistas cantoresque de musica certauerat, quorum multos vt principi blandirentur superatos se dicebant, Neapolim inire curru voluit, quem albi traherent equi magna muri rum diruta parte, vt triumphantes hieronicas imitarentur. Idem cum Antij quoque atque Albæ factum esset, postremò vrbem Romam purpurea veste amictus stellis aureis consperſa, coronatusq; intrauit, maioris Circi fornice, qua prætereunti impedimento futurus videbatur, ad terram prostrato, atq; inde per velabrũ ad Apollinis templũ perrexit, tanquam ad numen quod musicæ arti præesse putatur: nulla habita ratione quod ita imperij maiestatem ac lennem triumphandi pompam, tam vanæ victoriæ titulo macularet. sed relictis tandem insolentium principum exemplis ad moderatiora transeamus.

RECENTIORA.

De Constantio Imperatore.

Quanquam non tam aperta esset, vanitatis tamen plerumque habuit causa, qua mortuo Maxentio Constantius Augustus triumphans vrbem Romam iniuit. Hostis enim Maxentius non externus, sed ciuis Romanus fuit, neque à Constantio, sed per seditionem à suis cæsus: quanquam Constantius putetur, eo prætextu vsus, vt tunc primũ vrbem esset initurus, per eam speciem Romanis opulentum ostentaret exercitum.

De Bellisario.

Modestiorem se æquioremque in eo appetendo honore Iustinianus Augustus ostendit, cum per Bellisarium ducem suum, superatis Persis Vandalorumque rege Vildemare vue Gilimere, atque recepta Africa non solum non occupauit duos illos triumphos, sed illi concesit, qui sudore sanguine suo rebus fœliciter gestis eos meruerat. Tantum quantum legendo inueni postremus fuit Bellisarius,

sub Imperatoribus post Augustum triumphauit.

De Castritio Castracane Lucensium tyranno.

Posteaquam Italiam Gothi iam inuaserant, atque nutante Roma imperio Romani quoq; vt triumphis, ita etiã vincendo finem fecerant: abiectus fuit simul cũ virtute etiam mos eius per publicum honorẽ colenda. Itaq; Barbari in quorum potestatem Italica res venerat, nullum iam triumphali honore dignabantur. Hunc autẽ honorem vt multa alia ad militarem virtutem pertinentia, ceu longè postliminio in Italiã reuocauit Castritius Lucensiũ princeps, Pisis Pistorio magnaq; Ethruriæ parte armis parta, cum ad altum passum Florentini populi copias capto Raimũdo Cardona earũ duce fudisset: veteri enim more quãtũ fieri potuit reuocato, triumphali curru vrbẽ Lucã iniuit. salutis anno trecentesimo vigesimosexto supra mille.

De Alphonso seniore Siciliæ & Aragonum rege.

Alphõsus senior Siciliæ atq; Aragonum rex pari virtute Neapolim vrbẽ triũphali curru est inuectus vigesimo anno, postquam multo labore magnisque periculis susceptũ bellum in Neapolitano regno omnibus in potestatem redactis, absoluit.

De Francisco Sfortia Mediolanensi duce.

Cæterum meo quidem iudicio multo plus laudis meritus est Frãciscus Sfortia, cũ Mediolanensiũ totiusque penè Lombardiæ parto imperio, vrbẽ Mediolanũ esset inturus. Paratum enim cũ triumphali honore auratum currum reuinuit. Dicens eiusmodi ornamenta Imperatoribus deberi. Eodem enim facto victoria illa quæ rara hominibus contingit, & hostes & insolentis animi affectus, qui plerunq; victoriarum sunt comites, superauit. Nã rebus fœliciter gestis triumphũ mereri haud paucis cõmune fuit: cæterũ honore illo quem meritus esset, & paratum haberet præ modestia non vti, fortasse vnius ipsius Franciſci Sfortiæ, aut si plurium, certè perpaucorum aliorum fuit.

DE CENSORIA NOTA. Cap. IIII.

QVo studio prisci in vrbe Roma homines à milite omnia militari disciplinæ debita exigebant, eodem in pace operam dabant, vt illæsa ciuilis disciplina seruaretur:

uaretur: duósque huic rei ac simul nonnullis alijs Cenſores præfecerunt. Hi enim malos mores peruersósque ritus nimiúmque in diuitibus luxum: quin etiam ipſa immodeſta verba ſeuera animaduerſione corrigebant, quam Cenſoriam appellabant notam. Verum poſteaquam publicares in vnius arbitrium ceſſerunt, huius officij parte vt multorum aliorum ab Imperatoribus occupata, & ſi tantum vt Cenſores rebus modum non adhibuerunt, quædam tamen memoratu non indigna egerunt, eorum pauca quædam, cæterum haud pœnitenda additis nonnullis, quæ geſsêre hîc commemorabimus.

De M. Catone Seniore.

Quàm ſæuera fuit ſenioris Catonis cenſura illud oſtendit, quod Manilium virum nobiliſsimum ſenatu mouit, quia interdiu vxorem præſente filia deoſculatus erat. Hic enim verbo vſus eſt, dum eum reprehendere. Se à ſua non quam niſi cum tonaret præ timore complexum eſſe. Quæ excultos ciuium mores per ea tempora fuiſſe credere debemus? cum hæc tam parua, animaduerſione tamen digna cenſerent.

De P. Scipione Naſica, & M. Pompilio cenſoribus.

P. Scipio Naſica, & M. Pompilius cum equites atque eorum equos recenſerent, à quodam equite petierunt quod obrem cum ipſe pingui nitidóque corpore eſſet, equum habere macilentum atque ſtrigoſum. Qui cum reſpondiſſet equum à Statio ſeruo curari, ſe autem ipſum ſui curam habere. Intemperantis verbi inſolentia magis quàm facto ipſo Cenſores moti, inter ærarios eum retulerunt, atque adempto equo ſuffragij iure in publicis rebus priuarunt. Indignum enim aliquo populi Romani honore putarunt, qui tam impudenter Cenſoribus reſpondiſſet.

Præclarum cenſuræ exemplum.

Adeò quodam tempore Romani veteres in bonis retinendis ſæueros ſe geſſerunt, vt aduocatum quendam amicis alte coram cenſoribus oſcitãtem, parum abfuerit quin graui multa damnarẽt: niſi iureiurando affirmaſſet ſe eius modi graui oris oſcitandi morbo laborare.

De M. Attilio Regulo & P. Curio Philone cenſoribus.

Sæue
cenſura
ærarios
uarunt.
nium ſi
in ſuffra
ſuus quã
Rigid
oſtendit
qua tun
miſiſſet.
Mariu
retur larg
lud addu
ſedilia co
excuſauit
cum hab
tur à Cen
negaret
biberet C
cenſuerũ
reretur, b
Claud
reticenda
git. Na
nus tanqu
tus cum p
num ac vi
re eum Cl
ſuum hab
iorem quã
bem publi
eſse vellen
Memora

Sæuera quoque M. Attilij Reguli, & P. Curij Philonis censura fuit, cum duo milia iuuenum Romanorum inter ærarios retulerunt, iureque suffragijs in publicis rebus priuarunt. Quia Hannibale bello Italiam præmente quadrie nium sine legitima causa non militarunt. Indignos enim in suffragijs publico honore duxerunt, eos quibus sanguis suus quàm patria charior fuisset.

De Fuluio Flacco.

Rigidum censuræ exemplū Fuluius Flaccus in censura ostendit, fratre Fuluio senatu moto, quod legionem in qua tunc Tribunus militauerat, sine consulis iussu dimisisset.

De Censoria nota in Sabaconum.

Marius magno labore Præturam assecutus, cùm accusaretur largitione eam obtinuisse, atque inter coniecturas illud adduceretur quod Sabaconi ministet Cassius intra sedilia consilij ire visus erat. Sabaconus de eo interrogatus, excusauit à se Cassium accersitum, vt ex cātarulo quē secum habebat biberet, quem ei posteà statim remisit. Is igitur à Censoribus fuit notatus, nam siue largitione vsus id negaret ob Præturam, siue verum esset eum ob id solum vt biberet Cassium vocasse, ob intemperantiam nota dignum censuerūt: quod publico in loco vbi munus publicum gereretur, bibere non erubuisset.

De Claudio Nerone Imperatore censore.

Claudius inter multa quę ineptè in cēsura, & propterea reticenda gessit, vtcunque rem vnam memoratu dignā egit. Nam cùm apud eum accusatus esset iuuenis Romanus tanquam ob dissolutos mores nota dignus, & is citatus cum patre ad eum profectus esset, qui principi filiū bonum ac virtute præditum affirmabat. Nulla alia expectata re eum Claudius iudicio liberauit, affirmans illum domi suum habere censorem. Prudenter enim ostendit nulli maiorem quàm patri curam de filio esse debere: posseque vrbem publica carere censura, si omnes domi suæ censores esse vellent.

De Vespasiano Imperatore.

Memorandum quoque Vespasiani Augusti verbum fuit

apud quem vtpote ad censorem quidam Senatori in re borum contentione accusabatur, maledixisse. Respond enim Senatori, non debere maledici, cæterum pro male dicto referre maledictum licere. Sapienter enim declarat non minus indecenter Senatorem maledicendo, aliorum proteruam loquacitatem irritare, quam alios non lacess tos senatoriam despectu dignitatem habere.

De Domitiano Imperatore.

Domitianus Augustus, vt principibus plerunque mo est, in alios ob ea crimina sæuius animaduertere, quæ frequentius admittunt, cum Censuræ munus susceptis ciuē Romanū quæsturæ functum honore, Senatu mou quod choreis ac mimicis gesticulationibus nimium da operā. Impudicas quoq; palā mulieres succedēdi in lec tis iure, atque in publicum lecticæ vsu priuauit. Arbitra eas quæ gentis ipsius vnde essent orta, ac priuatum sui blicumque honorem contempsissent, non debere vllius blici honoris aut priuati commodi partem habere.

Iterum de Domitiano.

Idē quoq; equitē Romanū iudicij honore priuauit, q vxorē quā vt adulterā repudiauerat, in coniugalē thala recepisset. Sed iam finis Censoriæ notæ ponatur, & ad blicæ existimationis maiestatem, quæ veneratione di est veniamus.

DE MAIESTATE. Cap. V.

SIcut opes regnaque sæpius fortunæ beneficio & n virtutis merito concessa, homines interdum in ven tionem adducunt, multis quæ alioquin pudenda effer fœlicitatis vmbra latentibus: ita sæpius per virtutem modi honor verius firmiusque paratur. Hunc nos hon ceu diuinam verendamque rem, maiestatem aut exist tionem nuncupabimus, eorumque nonnulla ponemus empla, qui plus eiusmodi sibi maiestatem excellenti te pepererunt: quàm permulti homines regesque per magnitudinem ac potentiam non tulerunt.

De Themistocle.

Omnem inter homines laudem ea excedere putan bet, quæ ceu ita extorquente virtute ab hostis ore pro

citur, quia suspicione prorsus carere videtur. Id quod Athenienſi Themiſtocli contigit, quem virtus partæque ingentes victoriæ in eam nominis existimationem extulerunt, vt patria pulsus cũ ad Barbaros se recipere cogeretur, Xerxes Persarũ rex Græci nominis acerbissimus hostis singulari eũ honore lætitiaq; exceperit, sæpiusq; vt traditũ est, inter suos dixerit, videri sibi fœlicõ se esse quod ei fortuna Themiſtoclẽ amicũ dedisset, cuius rei tanta eum lætitia cœperat, vt sæpe noctu experrectus ministros rogaret. An secũ Themiſtocles esset. Huiusmodi autem verbis congruentia addidit facta, vrbes enim opesq; ingentes ei dono dedit. O venerandã maiestatẽ maioriq; laude, quã vt mediocri possit cuiusquã efferri facundia, dignã. Tantum tamq; superbum regem, pluris exulem hominem (quem hostem habuerat) quam tanti regni fastigium tantasque opes quantas possidebat, ob vnam virtutem facere quæ Themiſtoclis animum secuta erat victorijs ingentibus ornata: adhuc enim Persico sanguine penè madebat.

De Platone philosopho.

Reuersus ex Sicilia Plato cum in Olympiam peruenisset, populi qui ludorum gratia eò conuenerant, vt eius aduentum intellexerunt, relictis ludis ad eum excipiendum omnes cucurrerunt, eum ceu diuinum hominem è cœlo missum venerantes atque admiratione capti spectantes. Quod si quis Græcorum vanitatem Olympiorum ludorumque studia considerauerit, contraque quam paruis natalibus Plato esset ortus, intelliget, quanti eiusmodi esset honor faciendus, quem Græci nunquam ante principi vlli aut regi exhibuerant.

De Philopœmene Megalopolitano.

Non minora virtutis præmia, nec minorem in homine maiestatem ostendit, id quod Nemeis ludis, Philopœmeni Megalopolitano Græci præstiterunt, posteaquam apud Mantineam nobilem illam victoriam consecutus fuit. Lustrato enim illic exercitu, cum cytharistæ permulti cantoresque interessent, canente hos versus. Pylade, per hunc ducem Græciæ vrbes libertate omnes ornatæ fuerunt. Conuersi omnes populi in Philopœmenẽ maximo ac lætitiæ

titiæ pleno clamore eius virtuti hos conuenire versus testati sunt.

De Aristotele philosopho.

Quanti etiam Aristotelis doctrinæ maiestas faciendā cum Philippus Macedonum rex, vir prudentissimus, nato Alexandro ad eum scripserit. Non tam se suscepto filio lætari, quàm quod Aristotelis natus ætate ab eo posset institui, vt dignus Macedonico regno euaderet. Maiore spe in eius institutione posita, quàm vel in regno, vel in cæteris qui tunc viuerent philosophis.

De Photione Athenienſe.

Photioni integritas atque iustitia eam peperit maiestatem, quam victoriæ atque doctrinæ ijs dedêre de quibus est scriptum. Nam quoties ab Athenienſi populo cum exercitibus aut classibus dux mitteretur, ab amicis ciuitatibus fœderatisque apertis vrbium portis liberè cum militibus excipiebatur, atque non vt Athenienſis, sed tanquā ipsarum vrbium ciuis ab omnibus conſpiciebatur, cùm longè secus alio cum exercitu aduentante ageretur. Claudi enim portis ac porticibus cathenatis armati, tanquam ab amicos expectarent, sed ceu insidiarum plenos hostes arcere oporteret, omnes pro muris excubabant.

De Zenone Cittiæo philoſopho.

Quæ regna? aut quæ victoriæ? vel quæ doctrina tantum maiestatis in homine aliquo potuit, quantū integritas bonitasq; Zenoni Cittieo Cyprio philoſopho peperit? Apud eum enim dum Athenis moratus est, ciues portarum vrbis claues posuerunt, tutiore eas esse loco quàm quouis in templo putantes. Certius illi quamuis peregrino communem salutem, quàm vlli conciuium suorum credêtes, cuius virtutē vt populus Athenienſis quanti à se facta esset, testaretur, aurea statua corona insigni donauit.

De Pyrrho Epirotarum rege.

Interdum res ita fortuna sortitur, vt cum virtute affectum quoque eum coniungat, à quo mira proficiscitur gratia, hominemque eum in quo hæc conueniunt etiam hostibus verendum faciat. Id in C. Mario apud Minturnas extenſum est. In Pyrrho quoque Epirotarum rege palā

tigit, cum agros ingressus suis cedentibus de fenestra dimissis saxis ad terram prostratus fuit, tum enim humi iacens à Zotypo inuentus, cum vt caput adimeret, galeam ei Zotypus detraxisset, parum abfuit quin inuiolatus ab eo relinqueretur, adeò Pyrrhi conspectu perterritus est. Cæterum facinoris horrorem vincente auaritia, Zotypus ob premium quod inde sperabat ad demetendum caput reuersus, adeò verenter operi manum apposuit, vt vultum conspicere non auderet, sed citis ictibus gladio collum, & pro collo interdum os ipsum percutiens, vix tandē adimere reliquo corpori caput potuit. Neque profectò mirum videri debet, vt Pyrrhi regis excellens virtus intrepidusque animus, quæ etiam in mortuo corpore videbantur præfulgere, à se Zotypi vilem cupiditatem, vtpote à regis virtute prorsus alienam iniecto horrore repellerent.

De Alexandro Magno.

Posteaquam Antonio Cleopatraque in Aegypto deuictis, Augustus Alexandriam ingressus est, id quod primum in ea vrbe optauit conspicere, Alexandri Magni corpus fuit, quod non verborum solum, sed etiam coronæ prosecutus honore totum floribus conspersit, rogatusq; an Ptolemæorum Aegypti regum inspicere corpora vellet. Respō dit reges se, & non mortuos videre voluisse. Graui testimonio ostendens inter eos reges vnum esse Alexandrum, qui virtute ac fama viueret. Laus profectò quæ sine alio teste Alexandri maiestatem testaretur. Cum ab orbis terrarum principe profecta in quo prudentia esset, adulatione atque errore putari debet, caruisse.

De Pelopida Thebano.

Apertè tunc ostensum fuit, quantum venerationis secū ij ferant, penes quos prudentia atque iustitiæ cultus est. Cum bello inter se decertantes Ptolemæus atque Alexander Macedonum reges, spretis multis vicinis regibus, solū te, ô Pelopida, cōtrouersiarum suarum arbitrum fecerunt, pluris bonitatem tuam quàm regna viresque aliorum facientes. Tuum enim solum verbum plus ad frenandā duorum præpotentium regum cupiditatem valuit, qui vicini atque hostes armati erant, quàm magni exercitus vires effeciissent.

feciſſent. Nam nullo ſtricto gladio, nullo effuſo ſangui
pacem quam tu dixiſti ſeruarunt.

De Numa Pompilio Romano rege.

Quod fidē duo reges Pelopidæ habuerunt, virtutis eti
ac maieſtatis magnū argumentum fuit, ſed non minus il
lud eſt quod Numæ populus Romanus habuit. Cum pe
legatos eum vt Romam regnatum veniret vocauit, id aute
haud ſine difficultate impetratum eum ipſum populi Ro
manum Numa adeò audientem dicto ſemper habuit, vt
ſo regnante nulla vnquā ſeditio mota fuerit, nullosq; ar
corporis cuſtodes habuerit. Vrbem autem quæ Marte ori
martialibusq; rebus aucta erat, ijsq; etiā alebatur, nomin
ſui maieſtate, atq; virtute ad religionē anteactæ vitæ pro
ſus contrariam traxit. Quod igitur maioris vnquam maie
ſtatis exemplum, aut huic par inueniemus? ſcilicet pere
num hominem in priuato ortum educatumque ſtatu pro
bus ad id vocari, ad quod nonnulli conſules ſenatores
cum aſcendere armis quæſiuiſſent, nequiuerunt, aut ſalte
ſine armis aut ſuſpicione non reinuerunt. Hoc non vir
Numæ, non ingenij ſagacitas aut opes, ſed virtutis, fe
profecto maieſtas peperit.

De Cn. Pompeio Magno.

Maximam quoq; Cn. Pōpeij Magni maieſtatē penes p
pulū Rom. arbitrari debemus fuiſſe: vel ob id ſolum qu
in comitio oſtenſum eſt cum cōgregato populo, vt Mithr
datico bello prætor crearetur, Roſcius obſtaret: monito p
pulo vt alium eligeret, ac comitem ei Pompeiū daret, digi
to eum deſignans vt qui audiendi facultatem in tumu
non habebant, digito qui deſignabatur intelligerent. Na
tunc arbitratus Pompeij maieſtatē lædi populus ſi com
fieret, indignatione vniuerſus eſt motus, ſublatoque in
magnitudinem clamore, vt ſuperuolantes corui in pop
attoniti, caderent, non antea comitijs diſceſſit, quā vni
peio Prætura, & quicquid ipſo dictante expeditioni
retur neceſſarium eſſe, decerneretur.

De M. Antonino Philoſopho.

Legitur Antoninum philoſophum propter doctrin
virtutemq; in eam veniſſe exiſtimationem, maieſtatem

vt eo imperante ferrent palàm homines Platonis impletũ esse verbum, quo dicebat. Tum orbẽ terrarum fœliciter habiturum, cũ contigisset vt philosophi rerũ potirentur. Ob id igitur ipso mortuo velut incœstus, atq; sacrilegus est habitus ciuis, qui domi eius non habuisset imaginem, dignũ ducentes, vt aut metallo aut saltẽ pictura eius virtutis seruarent memoriam, cuius vita natura diuturniorem passa non erat, id quod in contrarium ante de Caio Nerone, ac Domitiano visum erat: quorũ memoriam extinguere propter sceleratam nefandamque vitam quæsiuerunt.

De Tito Liuio Patauino.

A Gadibus homines Romam venisse, Hieronymus scribit, vnius Liuij videndi studio cum facundiæ eius fama ipsos traxisset, maiori admiratione Liuium intuiti, qui populi Romani res gestas scripsisset, quã vrbẽ illã quæ res ipsas ediderat, multis admiratione captis, quod in vrbe orbis terrarum principe, in qua innumerabilia erant, quæ spectare homines cupere possent aliud esset, quod ij Gaditani plus quàm vrbẽ ipsam cernere desiderarent. Fortasse enim ij putarunt ex Liuij aspectu melius se veterem Romanam frugalitatem, fidem, synceritatem, atque integritatem: & his virtutibus ferocium ciuium adiunctos animos lacteo eloquentiæ fonte expressos, quam ex statuis aut ædificiorum magnitudine comprehensum.

RECENTIORA.

De Apollonio Thyaneo philosopho.

Ad recentiora maiestatis exempla transeuntes, vnde melius quam ab Apollonio Thyaneo philosopho ordiemur? Nã excellenti doctrina sua ac singularis innocentiæ fama quanquã adhuc fileret, nondum peracto Pythagoreorum quinquennio, multas Asiæ inter se decertantes vrbes solis nutibus ad pacem redegit. Id præcipuè Aspendij egit (quæ vrbs in Pamphilia est) nam cum illic propter annonæ caritatem, inopes contra opulentiores tumultuarentur, nutu inopes repressit, ditibus q; persuasit vt erga tenues, largos se præberent. Quibus ex rebus aucta eius veneratio, etsi inops nudisq; pedibus iter faceret: non solũ apud Asiæ vrbes, apud quas ceu numen colebatur, verum etiam à Ba-

bylonijs Indisq; regibus magnis honoribus exceptus fuit & omni necessaria re adiutus. Tantum enim veneratio maiestatisque secum fert doctrina ingens innocentiæ vitæ coniuncta, vt vbi ne totum quidem se arbitrabatur, illic summo in honore haberetur.

De Ambrosio Mediolanensi episcopo.

Cum in Gallia Arbogastes comes esset, & post longa bella multasque de hostibus victorias pacem iniuisset, in cœna cum Galliæ principibus, rogatus est ab eis, An Ambrosium nouisset? qui cum & nosse se, atque ab eo amari respondisset. Subiunxerũt principes qui id petierãt: Haud igitur mirum est, si nos bello vicisti, qui Ambrosij amicitia vteris, nam si stare solem iuberet, dicto is audiente esse habiturus solem. Partas igitur de nobis victorias, nõ amplius Arbogastes tibi, non Romani imperij viribus, non Romanorum exercituum virtuti, sed Ambrosij vnius sanctitati tribuimus. Adeò in ingentem apud omnes maiestatem sanctitatis quam virtute atque sapientia parauerat, Ambrosium fama extulerunt.

De Moyse Aegyptio Heremita.

Non minor etiã apud Saracenos habita est Moysis Aegyptij heremitæ maiestas, quàm illi virtus & morum sanctitas peperit: Nam Mauuã Saracenorum reginam præpotentem ab idolatrico cultu ad Christi fidem perduxit. Valentiniano enim Imperatori scripsit si Mosem Aegyptium heremitam, & non alium ad eam episcopũ ac fidei doctorem mitteret, ad Christianam religionem se tranſiturã esse. Persuasa sibi sine illo non benè se hoc opus impleturã.

De Benedicto Abbate Casinate.

Maiestatem quam in Moyse Mauua regina reuerita est, Totila Gothorum rex in Benedicto coluit. Fama enim illius impulsus, ad eum in Casinatem montem profectus est videndum, & si tunc ipsum susceptæ aduersus vrbẽ Romam expeditio occupatum habebat, vt igitur in eius conspectum venit, & solus sederet senio, & squalore obsitus abbas, tamẽ vt eũ intuitus est, quanquam adhuc longè ab eo esset, immanis ac barbarus rex, quem imperij Romani magnitudo non mouebat, senis & inopis Abbatis existi-

matio

matio mouit. Ad terram enim concidit, humi vtroque nixus genu, sanctoque homini, ceu eius conspectu indignus appropinquare non audebat. Neque Abbatis hortationibus ante se mouit, quam Abbas ad eum profectus manu sua ipsum leuauit. Potuit enim homunculi virtus apud ferocis regis verendam potentiam id efficere, quod nulla humana potentia vt præstare Totila vellet, regi alicui, ne dū priuato homini effecisset. Tali igitur experimento edocemur, longe plus virtutum morumque sanctimoniam sæpe quàm arma efficere.

De Paulino Nolano Episcopo.

Hoc ipsum in Paulino quoque Nolano Episcopo ostensum est. Nam in Valentiniani tertij Imperatoris morte à Genserico Vandalorum rege cum Nolanis ciuibus permultis captiuus in Africam perductus, ob conspectus veneration mansuetosque mores, atque ingentem virtutem dignus habitus fuit, qui non solum liberaretur, verum etiam vt reliqui Nolani captiui cum eo datis nauibus, atque in multos menses commeatu, sine vllo precio in patriam remitterentur.

De Epiphanio Papiensi Episcopo.

Magna etiā visa fuit Epiphanij Papiensis Episcopi maiestas, cū à Theoderico Gothorum rege ad Gundabarum Burgundionum regem, qui vastata Liguria, cum ingenti præda ac captiuorum manu redibat, missus, magnam auri vim ad redimendos captiuos secum ferret. Nam præterquā quod paruo auro multos redemit, in ea virtutis atque sanctitatis opinione habitus est, vt sex milia sine precio impetraret. Itaque apud hunc atque Paulinum non minus existimatio, in quam propter singularem vitæ innocentiam atque virtutem venerant, quam apud Pyrrhum Fabritij mi karis virtus valuit.

De Petro Morono heremita.

Vacante apostolica sede, iam secundo anno, per Nicolai Quarti pontificis mortem, propter graues Cardinalium in eligendo successore contentiones, vnanimes, tandem conuenerunt Cardinales, vt Petrum Moronum heremitā pontificem crearent, arbitrati illum vnum, ad tantam dirimen

dam contentionem, lapsæq; in deterius Ecclesiæ corrigendos mores, remedium esse posse. Boni enim illius viri sanctitatis opinio, inopiáque humili consociati spiritu, plus valuit, quã versuta eorum doctrina, opésque qui locũ, quem ipse non quærebat, inuadere moliebantur. Electus igitur a sacro senatu secularibúsque multis principibus in Aequorum vrbem Aquilam exceptus, vetulus heremita asinæ insidens, horrida amictus veste, omnes in admirationem veneratiónémque simul haud aliter permouit, quã si redemptorem Hierosolymã palmarum die ineuntem viderent, humilis enim illius vestis, atq; peruilis animalis, quod sessor insederat, imperium cardinalium fulgens pupura candidique que equorum greges subierunt, virtutem ceu cœlitus missam, quæ sub tam humili latebat habitu adorantes, huic enim humilitati Deus, hoc ceu prærogatiuæ munus concessit, vt qui ei aduersarentur, eámque fugiunt, in alijs ipsum adorare cogantur.

De Bernardo Abbate Clareuallensi.

In scissura quam Christianæ Ecclesiæ contentiones iniecerant, quibus inter se de Pontificatu decertabant Innocentius secundus ac Petrus Leo ciuis Romanus qui Anacletum se nominauit, cum Innocentius se in Galliam recepisset, vt saluti suæ consuleret, vrbi Romæ multisque alijs gentibus inuisus, adeò vt iam Gallorum quoque media erga Innocentium nutarent, Bernardus Clareuallensis abbas, qui in Gallia sacras habebat conciones, Innocentij partes tanquã veri Pontificis suscepit, itaq; Galli eius virtutem doctrinámq; tanti fecerunt, vt nullo alio facto ratio, Bernardi sententiam in deligendo ex Pontificibus duobus secuturos se affirmârint. Nã etsi secularium principum ea res nõ parum interesset, atq; vrbs Roma cũ imperio tum prouincijs viríq; doctissimi permulti pro altera parte starent, Galli tamen vni Bernardo plus tribuentes, Innocentium Pontificem acceperunt.

De Francisco qui Paulæ dicebatur heremita.

In eandem penè existimationem venit Franciscus Paulæ heremita, vir natione Calaber, cum à tertiodecimo anno, vsque ad sexagesimum heremiticam egisset vitam,

sonio nullo cibos suos molliente. Quamobrē missis à Ludouico vndecimo Gallorū rege, ad Ferdinandū seniorem Neapolitanū regē oratoribus, qui precibus multis hoc peterent, vix tandem Sixto quarto Pontifice ita iubente, adduci Franciscus potuit, vt in Galliam ad Ludouicum se conferret: à quo per omne regnū, quo iter habuit præmissis sacris, ceu si Cardinalis cum legationis honore illuc tenderet, exceptus fuit, quanquā literarum expers esset, ab eo Rege eiúsque filio Carolo Octauo, consilijs de magnis rebus adhibebatur, sententiáque eius præferebatur, Alexandróque sexto pontifice, hoc præbente, princeps quintæ regulæ factus fuit, quæ postea ab eo nomen accepit.

De Symonetto Camertino heremita.

Ardebat longo bello Italia, decertantibus inter se Francisco Sforcia Mediolanensi duce, ac Veneto Senatu, quorū discordias componere, cum multi Christiani principes frustra tentassent, Symonettus Camertinus heremita, susceptro negotio, quod propter vitæ bonitatem nullo precio putabatur adduci posse, vt magis ad alteram inclinaret partem, ad pacem ambos redegit, quæ ei postea cognomentum peperit.

De Balduino tertio Hierosolymarum rege.

Post tam multa religiosorum hominum exempla secularia, nonnulla addituri à Balduino tertio Hierosolymarū rege quinto rem ordiemur. Nam septem & viginti natus annos, cùm mortē obijt sine vllis liberis, & à Berytho Hierosolymas efferretur, quod in ea vrbe sepeliri voluerat, nō eius regionis solum Christiani homines lachrymis ipsius mortem prosecuti sunt qui vndique spectandi gratia ad viam qua ferebatur concurrebant, verum etiā multi Turci doloris ob eam mortē socios se præbuere. Quinetiam cum Noridanum Damascenorum Sulthanum quidam monerent, in ea morte occasionem offerri, Christianos homines qui in Syria, degebant, dum rege carerent atque in dolore versarentur, opprimendi, mortui regis virtute motus Noridanus respondit. Nullo modo se assensurum, vt Christiani vexarentur, donec iusto dolore defunctum bonum regem suum prosequerentur, quem eiusmodi esse dice-

dicebat, vt ei similis in orbe reliquus nullus esset. O admirandæ virtutis vires, in tenera ætate iam maturæ, quæ hostem quoque ad regem illum laudandum verendumque etiam in morte coëgisti, quæ odium, quod motum bellum alebat, quæ diuersæ religionis studia, quæ solent plerunque implacabilia esse, superasti. O nunquam reticenda barbari hominis in colenda virtute bonitas, cum militarem auctoritatem, dū funeris cerimoniæ peragerentur à præparata præda continuisti.

De Iagello Lituanorum principe.

Pari etiam reuerentia eadem virtutis opinio Polonos Christianos populos rege carentes compulit (alijs regionis quam ipsi incolebant postpositis, quorū in propinquo multos habebant) gentis suæ regnum ad Iagellum idolorum cultorem Lituanię principem deferre, qui posteà in sacro fonte per baptismum regeneratus Ladislai nomen accepit, adeò omnes illæ nationes iustum eum, & humano ingenio esse, nullaque regia carere virtute putabant.

De Francisco Sfortia principe insigni.

Franciscus Sfortia inter Italos principes clarissimo adeò grato venerandoque fuit aspectu, tantumque nomē ei virtus etiam inter hostes pepererat, vt maiestatis plenum dicere possumus fuisse. Hosti quoque formidolosus, quod raro coniunctum inuenitur, apud eundem venerationis habebat plurimum. Id eo bello quod Mediolanensi populo mouerat, quo postea ad Ducatum euectus fuit apud Brippium in amnis Abduæ ripa clarè apparuit: nam cum vt opem ferret castellis quibusdam, repentino hostium incursu laborantibus, progrediendi studio, aperto capite inter hostes perlatus esset, ab eis genu humi posito adoratus, deosculandæque manus studio omnibus ad eum accurrentibus, communis omnium militum parens nouusque Mars salutatus fuit. Quid enim aliud hostibus circumspectū te Francisce tunc defendit, quam maiestas nominis tui? quæ vt te mirarentur ac venerarētur omnes eos compulit, ad quos te contulisti. Nempe multò maius id in te fuit, quàm in Scipione cum in latrones incidit, quod illi vt spectarent Scipionem, ad eum iuerant: hi correptis armis castella

Fran-

Franciſci Sfortiæ inuaſerant, vt adimerent.

De eodem.

Haud mirum fuit ſi gregarij milites huius principis maieſtate compulſi, vim in eo abſtinuerint, imò potius eum coluerint. Quippe antea omnes Italiæ principes iuſtitia inſigni eſſe ac virtute ſingulari iudicauerant. Nã cum graue bellum in Italia gereretur, & ipſe Venetarum copiarũ dux eſſet, Veneti vt Philippus Mediolanenſis dux, cum fœderatis ſuis controuerſiarum arbitrum fecerunt Franciſcum, non minus illius fidei credentes, quàm antea ſæpe militari eius virtuti feciſſent. Eius igitur iudicio pars vtraque ſtetit, & ipſe omnium Italicorum principum militaris dux creatus, initæ etiam pacis cuſtos, atque conſeruator, quod ante nemini aut rariſſimis contigit, declaratus fuit.

BA-

BAPTISTÆ FVL
GOSII, LIBER III.
DE INDOLE.

CAPVT PRIMVM.

EXperimento cernitur arbores quarum
est natura, vt bonos fructus ferant co
flores emittunt plerunq; bonæ frugi
gna ostendere. Homines quoque qu
magnam virtutẽ euasuri sunt sæpe in
nera ætate quales futuri sint præ se fer
Ea præsignificatio Indoles dicta est, et
scripturi ab Alexãdro qui magnus est dictus primordi
memus, vt hîc ei atque alijs in rebus locum illum trib
mus, qui virtuti ipsius debetur.

De Alexandro Magno.

Cum Philippo regi equus insigni capite, qui idcirco
cephali nomine nũcupabatur, perductus esset, neque
niretur qui ob nimiam eius ferocitatem insideat equo
eum regere posset. Alexander filius adhuc puer, casu
ad patrem profectus, magnis precibus, vix ab eo impe
uit vt in eum ascenderet, idque cum non sine magna
atque consilio fecisset, currentisque peritissime frena
deraretur, ridentibus alijs, prudentiæ plenus pater, alia
hoc spectans, præ lætitia excussis lachrymis, iam apte
regere regnum posset filium iudicauit.

De eodem.

Quàm manifestè etiam puer futuram animi sui magn
tudinem declarauit. Nam cum puerulo in literario
victoria quam pater Philippus peperat, narraretur
rans dixit: si pater omnia vicisset, nihil sibi superfutur
Cui cum astantes respondissent, Ipsi hæc omni paran
xit paruisse ducere, quod late regnaret, quando

gloriæ materia eriperetur. Iam in ea ætate orientales victorias animo visus est concipere.

De C. Martio Coriolano.

Caius Martius adhuc adolescens, eo bello quo postremo Tarquinius regno pulsus cum Latinis, qui restituere eum in regno conabantur, aduersus Romanos gessit. Cum vidisset ciuem Romanum ab hoste superatum de salute laborare accurrens cũ audacia seruauit, hostemque à quo magis premebatur, interemit, Quamobrẽ à Dictatore ciuica corona donatus, eũ honorem in tenera ætate tulit, quem raro senes virtute præstantes assequuntur. Hoc enim adolescẽtiæ suæ flore, eius fructus ostendit signa, qui postea adultior ætate, Coriolani cognomen ei peperit.

De Alcibiade Athenienſi.

In prima ætate Coriolanus armis quàm fortis atque audax futurus esset, ostendit. Longè etiam minori ætate Alcibiades astutum ingenium cũ audacia simul declarauit. Nã cum puer in via cum æqualibus suis luderet, superueniente plaustro, obuiá bubulco factus, cum frustra precibus impetrare tentasset, vt plaustrum sisteret quoad eius ludi ratio quæ cœpta erat perficeretur. Posteaquam illius transitu fore vidit, vt ludus perturbaretur, in terrã se ante boues strauit: monito bubulco, vt si vellet per eius corpus, transiret. Hoc astu atque audacia non sine magna astantium admiratione, bubulcum continuit, donec ludi incœpta ratio esset perfecta. Hoc enim facto ostendit quantum creſcẽte magis ætate, ac corporis viribus audaciam, ingenijque vires & astum esset aucturus, quæ tantæ in eo fuerunt, vt postea per quoddam tempus Athenæ ab eo regerentur.

De eodem.

Non minus hoc quod sequitur futuram in Alcibiade animi magnitudinem, atque argutiam declarauit. Nam ad magistrum ludi vt Grammaticam disceret, missus rogato magistro an Homerici operis aliquod haberet volumen, Cum is respondisset non habere. Indignatione motus quod docere Grammaticam professus Homerica non haberet opera, in vultum magistrum pugno percussit. Profectus-

fectusque ad alium ludimagistrum cum idem petijsset, à magister habere se bonum, à se castigatum volumen rediss disset. Subridens, tum ei inquit, Et tu qui Homeri castigatorem te dicis, ad erudiendos puerulos ludum aperis! A gute in altero ignorantiam, iactantiam in altero reprehe fione profecutus.

De Cyro Persarum rege.

Cyrus adhuc puerulus, cum inter pastores incognitus ieretur, & in ludis quos pueri exercere solent, vt plu mum rex crearetur, eos qui errassent verberibus sæuere stigabat. Astyagi Medorum regi à pastoribus ob eam re accusatus, cum à rege reprehenderetur, haud se in ram nera ætate vilibusque pannis regio occultante animo, spondit, Regibus conuenire vt peccantes corrigerent, id ceu pastorum regem feciſſe. Quamobrem ab auo Astya ge cognitus, cũ putaret de ficto regno somnij quo perter tus nepotem exponi iusserat vires euanuisse, eum inter p stores verum & non fictum regem vidit.

De M. Aurelio Claudio Flauio Imperatore.

Claudius Flauius postea virtute imperium peperit, cum adhuc tener & priuatus cum quodam luctaretur, statura maiore, & is apprehendens eum in baltheo testes appre dit, pudore doloreque simul permotus Flauius, silentio dissimulato, pugno facie illius strenuè percussa, sangui lorem premens, pugno facie illius strenuè percussa, sangu ne dentibusque quos loco suo dimouerat, guttur rotũ pleuit: nulla periculi habita ratione quod subibat, cum ram Imperatore Decio res gereretur. Etenim ea re ostend qualis aduersus Gothos aliosque Barbaros futurus essi à quibus imperium erat liberaturus.

De Herode primo Iudæorum rege.

Herodes primus ab Antipatro Galileæ præfectus, cum nondum annum quintumdecimum excederet, & prætu communem illius ætatis morem, relictis ludis se armis di disset, latronum ducem Ezechiam occidit, qui magna manu Syriam infestabat. Eo enim principio declarauit (si cæ delitas non obijceretur) facile penè omnibus Iudæorum gibus posse anteponi.

De Samuele prophetæ.

Samuel adolescentulus nondum duodecimum excedens annum, cum apud Heli sacerdotem educaretur, virtute annos superante, dignus habitus est, vt sæpius cum eo Deus loqueretur, munusque futura prouidendi monendique, quod alij vix longò senio assequebantur, in tam tenera ætate consequeretur: illa ætate ostendens quâ matura in eo virtus esset futura, & per eam non indignum fore, vt diutissime Israëliticum populum gubernaret, ac penè pro arbitrio Iudæorum regno regibusque vteretur.

RECENTIORA.

De Origene Adamantio.

Indolis exemplum Origenes Adamantius inter recentiorum temporum homines haud leue ostendit, cum pater propter christianam fidem in carcere custodiebatur, ob teneram ætatem in martyrio esse comes non posset (neque enim septimum decimum annum superabat) & diligenter à matre obseruabatur, patri scripsit ne propter filiorum charitatem à recta fide erga Deũ auerteretur. Iam ea ætate ostendens, qualem eum & quam intrepidum preconem christiana religio esset habitura.

De Theodorico Ostrogothorum rege.

Theodoricus Theodomeri filius, cum adhuc puerulus esset, manifestam indolem ostendit eius virtutis, qua Herulos Odoacrumque Italia pulsurus erat, eamque suo atq; Ostrogothorum imperio subacturus. A Græcia inscio patre profectus, paruo comitatu Sarmatas (qui nunc Russorum ac Polonorum pars esse dicuntur) inuasit, ab eisque in patriam cum ingenti præda se cum comitibus incolumen recepit.

De Grimoaldo Longobardorum rege.

Grimoaldi Longobardi egregia indoles non patitur silentio se præteriri. nam cum adhuc admodum puer à Cacano Auarorum rege cum alijs Lõgobardis, qui Forumiulium incolebant, præter datam fidem ad mortem deduceretur, vt barbaricam perfidiam cognouit, in ipso cædis tumultu inde se fuga, cũ duobus fratribus abripuit. Verum postea sequente hoste cum puero ad fugam vires, vt alijs non sufficerent ab equite comprehensus iterum ad mor-

tem ducebatur. Cęterum ipse ferro quo cinctus erat (quod haud magnum in ea ætate esse poterat) illū ipsum à quo ducebatur nihil minus quàm à puero id timērem, occidit ac fratres cōsecutus in tuta se loca recepit. Incredibili audacia ostendens quo animo quóue ingenio ad parandum regendumq; Longobardorum regnum esset futurus.

De Balduino III. Hierosolymarum rege.

Magna etiam indoles illa fuit quæ in pueritia (nequeunim quintum decimum superabat annum) Balduino tio Hierosolymarum regi visa est. Nam cum ad eum Sol tax Turca profectus esset, propter discordias quas cu fratre suo Meieredin Damasci Sultano habebat (tribu enim nimium cuidam militari duci suo putabatur) isq; bem Bostrū Balduino in Arabia (quam nunc Buzere pellant) obstuliſſet. Item arcē Selchor quæ in eadem re ne magni momenti habebatur, si haud disparem rem e duinus in Iudæa daret, contra omnium opinionē Bal nus negotium suscepit, quatriduumq; cum exercitu pr ctus, cum in via penè semper cum hoste pugnaret, vt stro vrbi appropinquatū est, inuenit ciuitatē Sulthan ditionem feciſſe. Itaq; infectis quorū causa tantum via rat emensus, cum amissa reditus spe quidā eū horrarent vt cruce accepta, in qua mundi salus pepēderat (in ca enim eā habebat) cum duobus comitibus itineris per velocibus equis, fuga se inde abriperet, dixit, Malle se suis mortem opperere, quam deseruisse exercitum vi Itineri igitur se credens, non sine magnis incommodi Turcæ siccas herbas ac pruna succendissent, iussis equ pis descēdere ac dei veniā poscere, vēto in contrariū fla cēdio liberatus, in Syriā incolumis regressus est. Aperti stēdēs q. vir futurs esset cū adhuc puer tale facin pedidit

DE FORTITVDINE Cap. II.

De L. Sylla

FOrtitudo virtus profecto insignis, quæ cū simul mo insidet, corporis quoque robur coniunctū hab Cæterū feritas potius quàm fortitudo dicenda est, valido corpore abesse animi virtus ista inuenitur, cui culorū cū ratione contēptus ineſt. Hæc tanquā fruct

ri suo propinquus, post indolem de se mentionem fieri petit. In ea igitur ostendemus, qui in periculis constãtes, in prælijs fortes mortem, quæ gloriam ob publica cõmoda secum traheret minimè expauerunt. Inter hos à L. Sylla vt pote à militari duce, qui fortissimus habitus est primordium faciemus. Is cum in Orchomeno fusam aciem suã ab Archelao Mithridatis duce videret, ex equo confestim descendens, signo arrepto in medios irripuit hostes, Exclamãs, hic milites Romani mori volo. Sed vos cum rogabimini vbi ducẽ, vestrũ amiseritis, memẽtote petẽtib. respõde re: in Orchomeno. Hac ipsius voce moti milites, ad ordines regressi, redintegrata pugna, victores iã hostes in fugã verterunt.

De M. Sergio.

Vrbs Roma omnium virtutum atque viciorum inexhaustus fons, cterum militaris fortitudinis vera parens, eius mirum exemplum in M. Sergio ciue suo nobis prebebit. Cui cum ante semel tantum in bello fuisset amissa in prælio dextra, aliam ferro confecit, quaterque in prælio ita decertauit, vt sub eo duo confoderentur equi, & cum iam amplius viginti acceptis vulneribus vix pedibus consisteret, peneq; manuum vsum amisisset, Cremonam tamen atq; Placentiam obsidione liberauit. duosque hostiles exercitus in fugã cõuertit, plusquã aduersus debilitata vulneribus mẽbra sua, quã cũ hoste pugnando. Omnes qui eũ viderũt in admirationẽ mouebat, vt pedibus illis qui vix incedẽdi vsum ei præstabãt: & manibus quæ vt cibum ori possent inferre, non nisi magno labore sufficiebant, non solum sepe dimicaret, verumetiam è feroci simis hostibus victorias reportaret.

De Manlio Capitolino.

Admiranda Manlij quoque Capitolini fortitudo fuit, qui nondum expleto decimo septimo anno, duo spolia de hostibus retulit. Primusque inter Romanos corona murali donatus, ciuicas sex & septem, ac triginta militaria dona per virtutem assecutus, tres ac triginta cicatrices in aduerso corpore ostendebat, vulnereque in humero & simul altero in coxa accepto P. Seruilium magistrũ equitum in prælio iã ab hostibus circũuentũ liberauit

Insuper captum penè à Gallis Capitolium defendit.

De L. Glauco.

Nauali prælio quo Metellus Hasdrubalque decertauit L. Glaucus eques Romanus cum Hasdrubalis nauem apprehendisset, nullis vulneribus absterreri potuit vt eam desereret, quoad amissis ambabus manibus cum naue exiit manus reliquit. Sed iam ad animi fortitudinē transeamus.

De Octauio Consule.

Magnam animi fortitudinem ciuili bello Octauius cōsul ostendit, cum vrbem Romam Cinna Marioque inten tibus, ab amicis atque aruspicibus suasus, vt abiret: respon dit, Se cum Consulatum gereret, patriam, nisi cum vita no relicturum. Itaque cum consularem sellam cum consular ribus ornamentis conscendisset, quanquam tunc quoque essent, qui fuga sibi vt hortarētur, optimo equo ad fugam oblato, ipseque Censorinum à longe venientem videret, quem ad se perdendum missum esse sciebat, nunquàm de loco, aut vultu immutatus est, sed intrepidus, eodem loco manens, sæuiente Censorino caput amisit.

De Alexandro Magno.

Alexandri Magni fortitudo, paruaque salutis suæ ratio habita, cum adeunda erant pericula, etiam in gregario mi lite mira videri potuit, nedum in tanto rege, pro cuius sa lute totus decertat exercitus. Cæterum in eo res illa vehe menter laudanda, quod cum cæteris rebus agendis primo pem se præberet, inferendis prælijs in postremo agmine non maneret. Id quod in Nissa vrbe oppugnanda non ob scure ostendit. Nam cum milites suos in traijciendum am nem, quo ab vna parte vrbs cingebatur segniores videret, ipsius amnis altitudine territos, ipse scuto suo innixus quod pectori subiecit primus fluuium tranauit. In hac aliam quoque vrbem oppugnare adortus, primus scalas positis in vrbis muros euasit. In quibus cū effractis fo cū duobus tantum remansisset comitibus, quanquàm ac acceptis vulneribus, nunquā de se hostibus dedendo vic fecit, sed vt erat cōfossus, à muris saltu ad suos se recep

De Pyrrho Epirotarum rege.

Quam generoso etiam animo Pyrrhus Epirotar

rex fuit? qui cum in Sicilia Erycem arcem munitissimam oppugnaret, primus scalis in muros conscendere voluit. Vbi hostium à quibus premebatur, alijs occisis, alijs conspectus sui atrocitate territis, vi primus in muros euasit, illicque tam diù solus hostium vim sustinuit, quo ad milites qui deorsum erant receptis animis, ac stimulante, præterea ob ea, quæ regem egisse viderant, pudore, omnes impetu facto muros conscenderunt.

De eodem.

In Pyrrho egregiæ animi atque corporis vires de fortitudine dicentem, iterum de eo facere mentionem cogunt, & pulcherrimi eius facinoris quod ex Sicilia in Italiam reuersurus, impetu magno in Mamertinorũ exercitu facto edidit. Nam cum inter primos pugnans vulnus accepisset, atq; ad illud medendum secessisset, vt intellexit ob eam rẽ cunctos hostium animos, atque ex eis cæteris alijs validiorem quendam nominatim se vocantem, in prælium redijt, vbi inuento eo qui in certamen prouocabat, manum cum ipso conseruit, gladioque ita in caput eum percussit, vt statim moreretur. Qua re Mamertinorum exercitus adeò perterritus est, vt inde postea pacatum iter habuerit.

De Philopœmene Megalopolitano.

Cum Philopœmenes Megalopolitanus in castris cum Antigono Macedonum rege esset, in eo bello quod is aduersus Cleomenem Spartarum regem gerebat, nimio pugnæ ardore non expectato signo, primus qui in hostes irrueret feriretque fuit. Itaque dum prælium continuaret, vtramque coxã sagitta perfossus, cum veluti vinctus (euelli enim sagitta non poterat) remaneret, altera coxarum in partem contrariam extensa sagittam in duas partes effregit, atq; ita eã conuulsit. Eo igitur vulnere nihilo inualidior factus, redintegrata pugna tantum animi fauorisque suis iniecit, vt eo die Philopœmenis virtute, Antigonus prælij victor remaneret.

De Gedeone Israelis Iudice.

Omissuri miram virtutẽ Dauidis, qua gigantem Goliath peredidit, item ea quæ in Samsone fuisse leguntur, simulq; in athleta Milone Diotiani filio, ceu quæ aut diuinitus

facta, aut fabulosa sint, nonnulla fortitudinis exempla ... feremus, quæ in viris Hebræis extitit. Gedeonemq; primu... referemus Israelis Iudicem, qui cum cæteri Iudæi virtute ... atq; animum amisissent, Arabum atq; Amalechitarũ exer... citus magnitudine cõterriti (impetu enim facto gẽtes illæ ... Iudæam omnẽ vastabant) ex omni Iudæorũ numero ... los trecentos delegit, atque eo tantum comitatu, nocti... hostes in ipsis castris inuasit, coniectaq; omni eorum mu... titudine in fugam ex ipsis centum millia occidit, à reli... quis Iudæis in cede solum fugientium adiutus. Hic igitur ... Græcia fileat, quæ Spartanum Leonidam fortitudine ce... nibus anteponit. Tanto enim numero Gedeon non mul... rem exercitum inuasit, de eoque cæsis centum milibus v... ctoriam peperit, quam Leonidas cum munitissimum lo... sideret locum, pugnans Persarum sustinuit regem, ac po... stremo cum omnibus suis occubuit. In eo Gedeoni tam ... par, quod pro publica salute periculum mortemq; non ... timuit, in cæteris longè inferior, & dispar.

De Dauide Iudæorum rege.

Inter multa Dauidis Iudæorum regis admiranda fortitudinis facinora, illud vnum narrasse contenti erimus, quod aduersus Ammonitas Syriosq; edidit, quos longè inferior numero adortus, cum ipse inter primos fortiter dimicaret, Ammonitarum ducem Chadam, qui Sobach dicebatur, virum fortissimum manu sua obtruncauit. Sic M. Marcello haud dissimilis, cum Viridomaro Gallorum rege interempto spolia opima retulit.

De Saule Iudæorum rege.

Cum in fortitudinis parte sit quenquam ab hoste superatum, liberum tamẽ seruare animum, potiusque aut mortem sibi ipsi consciscere, aut hostili telo confossum vitam effundere, quàm hosti animum subijcere, nonnulla de re ex varijs gentibus exempla ponemus, vt omni genti suum niq; tempore ac modo, semper integrum esse intelligatur (modo animi paucitas non obstet) se à seruitute liberare, nullumq; cathenæ genus tam validum esse, qui inuictæ generosi animi spiritum coercere valeat. Id inter alios Iudæorum rex Saul ostendit, qui quamuis nõ ignorares ... certam ... fuerat, ta... suis inte... non pru... tandem ... lic oppe... Iudas ... num mil... quitum ... præ tim... gentis v... abiret, i... ius fugi... vnà cum... Non... mento M... tiochum... eo cons... tudine i... que in v... tiochun... ipsum e... sub eius... na eleph... le sua eu... noris læ... Etsi ... ter forte... tos etia... stinus ce... gam atq... veluti e... tholicæ ... bus se o... Quæ res...

certam se mortem proficisci, vt ei à phytonissa prædictum fuerat, tamen totã noctem iter continuauit, vt prælio cum suis interesset, in quo cum omnia præstitissent, quæ à rege non prudenti solum, verum etiam forti expectanda erant, tandem vt suos in fugam conuersos vidit, vnà cum suis illic oppetere mortem quam fugere maluit.

De Iuda Machabæo.

Iudas Machabæus cum ab Antiocho cum duobus homi num milibus rebellasset, eumq; Bacchides cum duobus equitum milibus ac triginta milibus peditũ persequeretur, præ timore multis Iudæorum abeũtibus, solus cum octingentis viris remansit, qui cum hortarentur eum, vt inde abiret, ingenti respondit animo, Emori malle quam vt eius fugientis terga hostes inspicerent. Prælio igitur inito, vnà cum suis, in eo campo vbi certauerat, vitam amisit.

De Eleazaro fratre Iudæ Machabæi.

Non minus fortitudinis eius frater Eleazarus cognomento Mauonus, eo prælio ostendit, quod aduersus Antiochum Eupatorem Syriæ regem commissum fuit, in eo conspicatus elephantem super alios ornarus magnitudine insignem, Antiochum eo vehi existimauit. Itaque in vna re & prælij & belli finem fore ratus, si Antiochum oppressisset, impetu in hostes facto ad illum ipsum elephantem, quem designauerat penetrauit, atque sub eius ventrem cum se immisisset paruo gladio intestina elephantis effodit, qui supra Eleazarum corruens mole sua eum oppresit, totumq; contudit, ita vt audacis faci noris lætitiam sentire non posset.

De quibusdam Iudæis Iotapatenis, & alijs.

Etsi qui sibiipsis mortem consiscunt à philosopho inter fortes numerandi non videantur, idque inter alios multos etiam sanctus non minus quam doctus vir Augustinus censeat, omnes enim genus illud moris veluti fugam atque rerum aduersarum impatientiam appellant: veluti eam qua hæretici Donatistæ in Africa, ne se catholicæ fidei crederent, nedum ad mortem magistratibus se offerebant, verum ipsi sibi mortem consciscebant. Quæ res impetus atque rabies potiusquã fortitudo vocari

debet, tamen quia quosdam ex ijs in fortium numero historici posuere, quod vitæ contemptores fuisse viderentur, de nonnullis hic scribemus. De quibus liberum lectoribus iudicium relicturi sumus, quanquam vt ab Augustino scriptum est. Deus miraculo voluntariam quærendam mortem approbauerit, id enim egisse videntur ne pudicitiam amitterent, Vnum igitur ex his exemplum à Iosepho auspicabimur, qui cum post Iotapatę captiuitatem se cum quadraginta Iudæis in speluncis abdidisset, ante se mutuis confodere vulneribus, quam hosti dedere omnes maluerunt, vnusq; Iosephus cum solo comite ex eo numero, non sine magna industria euasit.

De Iudacillio Asculano.

Multum ausus est Iudacillius militaris dux ex eo bello quod socij aduersus populum Romanum gessere. Nam cum sciret à Pompeio Asculũ vrbẽ patriam suã obsideri, vrbem ingressus, sed non tanto numero vt tueri eam posset, quum ab Asculanis parum adiutus fuerat, egredi vrbe vt saluti suæ consuleret, neglexit. Cæterum occisis prius aduersæ factionis ciuibus, qui dum vrbem ingrederetur seruari eius ordinem prohibuerant, pyraq́ue ingenti lignorum in medio congesta templo, in ea cum amicis cœnauit. Atque postea hausto veneno, succensaq́; pyra sibi patriæq́; per hunc modum malorum finem inuenit. Inuicto enim animo ab hostibus, quibus solos reliquit cineres, liberauit.

De Astapacensibus,

Non plus etiam Romano exercitui, quem Marius a Scipionis auspicio, ad eos duxerat, Astapaceni in Hispania reliquerunt, idque ita egerunt vt citra controuersiam virorum fortium nomen lausq; eis adimi non posset. Nam vnà cum opibus patriam combusserunt, si vxores filios interemerunt, saltem hoc assecuti sunt, quod multi periit atque ignauię suspicionem relinquere noluerunt. Ferocibus enim animis Astapaceni tractandisq; armis apti, Romanum hostem, apertis portis inuaserunt, qui quamquam militari industria, atque armorum vsu numeroque superior esset, animi tamen fortitudine longè inferior extitit. Itaque vix tandem Astapacenum populum delere potuit.

tuit. Sed quid delere dico? siquidem pugnando inferiorem numero opprimere, id vitam, ordinem atque constantiam animorum adimere dici debet. Neq; enim ex toto illo populo vllus qui in aciem prodierit, aut ordinem, aut locum deseruisse aut dimicandi quàm vincendi finem fecisse, aut vnquam retro aspexisse inuentus est. A Romana enim multitudine circumuenti in vestigio suo, vt in prælio erãt stantes corruerunt, cum in vrbe illo ipso tempore conspecta aduersa pugna, qui in acie ferte armaętate aut sexu prohibiti erant, mutuis se vulneribus cædentes, vrbem cum ijs quæ in ea remanserant succenderunt.

De latrone Arabe.

Nonnunquã in generoso sanguine, seruitutis indignitas coniunctam habere visa est, ceu promptitudinem quandam ad mortem, quæ gloriam aliquam secum traheret, sed in obscuro homine haud sæpè hoc esse contigit. Admiranda tamẽ supra modum ea fuit promptitudo, quam Arabs quidam latrocinio vitam agens ostendit. Nam cum huius generis hominũ multitudo ingens, inaccessibiles montium speluncas insideret, infestamque regionem face ret, Herodes Iudæorum rex, coacto exercitu, allatisque bellicis machinis expugnationem adortus est. Itaque cum multis occisis pars eorum deditionem fecisset, quidam inter ipsos maior natu ab Herode ad colloquium vocato, magno verborum conuitio eum persecutus, & si sibi suisque vitam atque libertatem videbat offerri, si Herodis fidei se credidisset, in antri ore constitit. Illicque septem filios quos habebat occidit, deorsumque ad Herodem, atque eius exercitum, & post eos vxorem, seq; ipsum mortuos deiecit. Admirandam profecto animi fortitudinem, & regio quàm latronis statu digniorem, Catonique Vticensi laudibus præferenda, si tam fortè magnumque facinus anteactę vitæ, quæ latrocinio infamis fuerat, scelere non maculasset.

De Eleazaro Iudæo.

Non minus animi Eleazarus Iudæus ostendit, qui cum diu contra Romanos Hierosolymis arma tulisset, post captas Hierosolymas, in arcem Massadę cum nongentis

Iudæis se recepit. In ea obsessus à Sabino Flauio Romano præfecto, cum iam euersi essent muri, vt parua sui tuendi spes restaret, minimè vel fuga sibi consulere, vel pacem ab hoste, vt multi eiusmodi in statu egerunt, petere tentauit. Sed animi ac fortitudinis plena oratione, confirmatis sociorum animis, eos demum in hanc sententiam secum traxit, vt forte decem eligerent, à quibus omnes vnà cum liberis atque vxoribus occiderentur. Itaque re peracta illi si decem succensa arce, ne quid prædæ ad hostem perueniret, integra ab incendio ea tantum quæ victui parata erant seruauere, vt vera virtus & non fames intelligeretur, ea fuisse quæ ad tam efferatum consiliũ eos perduxerat. Post hæc igitur ipsi quoque decem ad id facinus relicti, murum se vulneribus trucidarunt, neque ex tanto numero vllus timor perfuit, præter fœminam vnam, quę audita illius deliberationis atrocitate, in subterraneos cuniculos, cum quinque pueruli se recepit. Illicque dum res perageretur, latuit, qua postea vt res gesta erat, intellectum fuit.

De Gallogræcis.

Simili nescio desperatione dicam, an animi fortitudine Gallogręcorum exercitus in Græcia vsus est. Nam cum ab auspicibus commonerentur, multum esse sanguinem effundendum, foreque vt eorum deleretur exercitus, quamquàm retro tuta in loca recipere se poterant incolumes, tamen liberis atque vxoribus occisis prælio decertare cum Antigono Macedonum rege, atque pugnando occumbere omnes maluerunt, quam seruata salute, timoris signum hosti reliquisse.

De Xanthijs.

Xanthij Asiaticus populus, cum viderent Brutum occupata eorum vrbe aduersus Octauium arma parare, indignatione simul atque desperatione moti, sumptis armis diù contra acriter restiterunt, quorum motibus & si postea publico edicto ignoscebatur, tamen omnibus trucidatis ita vt vltra quinquaginta fœminas in ea nullus superesset, vrbem incendere, quàm præcariò videri vitam obtinuisse, maluerunt.

De Buthe Persa.

Buthes

Buthes Persa Thraciæ præfectus, à Cymone Athenien-
sium duce, in vrbe Eione obsessus, cum vt idem facerent,
alijs qui vnà secum obsidebantur, persuasissent, incensa prius
vrbe, ne ad hostes ex ea victoria commodum vllum perue-
niret, vna cum obsessis omnibus mortem sibi consciuit.

De Ariarthe Cappadocum rege.

Ariarthes Cappadociæ rex, cum à Perdica obsideretur,
ne ex victoria aliquo cõmodo Perdicas augeretur, se suos
que vrbe incensa interemit, cinere tantum ruinisque ho-
sti relictis.

De Cleomene Lacedæmonum rege, atque eius comitibus.

Quàm mira etiam fuit Cleomenis Lacedæmonum re-
gis animi fortitudo ? cum regno pulsus ab Antigono
Macedonum rege ad Ptolemæum Aegypti regem, ceu ad
amicum profugit, fretus ad recipiendum regnum quod a-
miserat, opem ab eo se habiturum. Cæterum nulla ope ad-
iutus, verum vt captiuus in custodia habitus, cum tredecim
solis comitibus remansit. Mira igitur arte custodia ela-
psus, cùm Hipitha comitum vnus, cui læsa ischia vires
corporis erant imminutæ, vt quanquàm ad effringenda vn
de effugerant loca suffecissent consequi tamen euntes
vltra nequiret, orauit ne eius causa tam magnum faci-
nus cõmitteretur, & ne in hostium manus peruenirent, rex
eum occideret. Sed non propter hoc à rege Cleomene de-
stitutus est, quin potius deiecto equo quem primum habue
runt obuium, illi Hipitham imposuerunt atq; per vrbem
discurrentes duos Ptolemæos regios præfectos, qui ma-
gna manu se opposuerant, obtruncarunt. Tum frustra ad
libertatem diu vocatis ciuibus, cum viderent tandem sibi
in Ptolemæi potestatem esse redeundum, demãdata Pan-
theo cura, qui postremus moriturorũ erat futurus, vt quos
nondum plane mortuos videret, ad obeundam celeriter
mortem iuuaret, mutuis se vulneribus interemerũt, is autẽ
diligenter quæ demandata erant curatis, iuxta Cleomenẽ
regem sedens, pectus ipse sibi gladio traiecit.

De Cleomenis Filio.

Animi virtutẽ qua Cleomenes rex præditus fuit illa se-
quetur, quã ipsius quoq; filius ostẽdit; vt quos natura simul

que

que virtus & exempli similitudo coniunxit, hic à me non separentur. Nam cum ex parentis suæ lachrymis patrem mortem suspicaretur nulla re dicta à summo ædium culmine se præcipitem demisit, egitque ea re, vt omnes Cleomenis filium fuisse intelligerent. Cui si tantum fœlicitatis quantum animi fortuna concessisset, non minus quàm pater se Lacedæmonijs dignum regem ostendisset.

De Adolescente Lacedæmonio.

Fortitudinis exempla quæ in puerili ætate tantò plus laudis merentur, quantò rariora atque difficiliora sunt, adiungunt, ne miram alterius Lacedæmonij adolescentis atque virtutem præteream. Nam cum domino cui seruiebat, in cæteris diligentem promptamque operam patienter nauaret, iussus matulam ferre: in eo vno seruili genere propter rei obscœnitatem, amissæ libertatis reuocata memoria parere recusauit. Quare cum dominum indignatum aspiceret, in hæc erumpens verba: Disce alios emere, ab altioribus edium fenestris se præcipitauit.

De Eutycho Lacedæmonio.

Fortitudo quam Lacedæmoniorum animis natura indidisse visa est, me ab eorum exemplis abire non patitur. Nam quo tempore Leonidas Spartanus ad Thermopylas Persarum expectabat exercitum, atque propter oculorum valetudinem Aristodemum Eutychumque ab exercitu patriam redire iussisset: in via Eutychum reditus pœnituit, dedecoriq; sibi ratus, cum alijs præliando non mori, ad exercitum redijt: qui plus aurium vsu quàm oculis adiutus, cum cœptum iam prelium animaduertisset, miro animi vigore incensus, cum sępius in via pedibus offenderet, à seruo in prælium deduci iussit. Vbi cum cinctus ab hoste non discerneret, vt poterat, cum alijs Lacedæmonijs pugnando interijt.

De P. Furio.

A contemptu vitæ qui Spartanis magnus, ad Romanorum fortitudinem, quæ temperantior fuit, transibimus. P. Furius fratris Titi Quintij consulis legatus, cùm aduersus Equorum gentem pugnaret, & cum paucis adeorum multitudine circumuentus hortantes eos animo,

ret, vt abiectis armis, ipsorum misericordia vitam seruaret. spretis hostium promissis, mori pugnando maluit, ne pluris ignauã vitam, quàm honestammortẽ feciſſe videretur,

De Sabino Romano equite.

Ferox Lacedæmoniorum animus in Romanis pectoribus, Sabini equitis Romani memoriam mihi reuocat. Nã cum ei Claud. Cęsar impunitatem polliceretur, quod cum Caligulæ percussoribus interfuisse eius cedi putabatur, posteaquam alios, qui cædi interfuerant occisos esse cognouit, spreta impunitate quę offerebatur, vt fortis vir vereque Romanus eodem pugione quo Caligulam occiderat, ne in Claudij potestatem veniret, seipsum interemit.

De Romano equite in exercitu Ottonis imperatoris.

Inter clara fortitudinis exempla quæ posuimus, inusitata insignisque virtus Romani equitis locum sibi deposcit. Nam post primum prælium quo apud Bebriacum, Vitellij Ottonisque exercitus dimicauere, cum Ottonem milites eius, vt iterum certamen tentaret hortarentur. neque sibi ipsi deesset, cum magis non seruatis ordinibus, quàm virtutis paucitati tribuerent, quod primò reiecti fuissent. Vnus ante alios constitit, & dixit: Scito Cęsar, nos omnes vt te tueamur, ita facere paratos, hocque dum diceret, pectore pugione traiecto mortuus corruit. Hoc quis fortior animꝰ? quæue maior virtus inueniri posset? vt non ignominiosæ mortis metu, neque alia necessitate compulsus, verum solum vt aduersam pugnam excusaret, & suam comitumq; virtutem testaretur, tam fortiter aliquis manu sua in seipsum sæuiret.

De Ottone imperatore.

Fortasse huius militis exemplo motus Otto imperator mortem sibi ipsi conscisscere ausus est, multis in ambiguo relictis, Vtrum carceris metu, an principatus amissionem metuens, vel patriæ casum miseratus, quam ciuilia arma perdebant, cũ adhuc aduersus hostem vires sufficerent, & præterea ingentia auxilia expectaret, Mortem quæ non sine gloria videbatur fore, omnium aliarum rerum spei anteposuit,

De Igino imperatore.

Igi-

Iginus quoque, Romanis legionibus in Pannonia aduersus Galieni Augusti ignauiam imperator creatus, cum infelici pugna superatus esset, neq; nisi cum imperio vitare constituisset, audacter se vt Otto interemit.

De Decebalo Dacarum rege.

Dacarum rex Decebalus, ingentis animi vir, secũdo pollio Marci Vlpij Traiani Augusti viribus ita attritus, vt amplius spes non superesset, ne hosti lætiorem faceret victoriam, si captus vinctusq; in triũpho victorem antecederet, sibiipsi vitam ademit.

De Maximino patre Imperatore.

Maximinus pater qui cum Maximino filio postea imperauit, cũ adhuc priuatus in adolescentia ludos spectaret à Septimio Seuero Augusto natalitio Getæ die editos, Seuero ludendi potestatem petijt, cui quod priuatus esset cũ ludendi cum equite negata esset facultas, permissũ fuit vt cum gregarijs luctaretur. Ex horum numero, sexdecim ad terram prostratis, partoque premio quod victori paratum erat, cum Seuerus etiam grauiori in re virtutem eius experiri vellet, adhibitum inter eos, qui pedibus officium equo insidenti præstabant, lõgo cursu magnisq; circuitionibus equum priusquàm Maximinum defatigauit. Ad cuius non sine admiratione conuersus, petijt, An adhuc luctari vellet, qui nulla lassitudine ostensa, cum adhuc luctandi conditionem accepisset, septem equites validos viros prostrauit. Neque verò hæc sola fortitudinis exẽplaridit. Nam sæpius onustum plaustrum, solus loco mouit, equoque dentes pugno elisit, Propter quæ Milo, à nonnullis etiam Hercules, aut Antæus appellabatur.

De A. Iunio Valente.

Admirationis plenum fuisse legimus robur in A. Iunio Valente, qui sub Augusto centurionis locum tenuit. Ventribus enim onustum plaustrum solus dum deponeretur onus sustinebat, currumque magna equorum vi tractum manibus in contrarium reuocabat. Quæ fortitudinis exempla, cum multis alijs illius monumento insculpta fuit.

De Abisai Hebræo.

Quàm ingens etiã animi corporisq; robur in Abisai Hebræo

bræo fuit, quicum iter faciens leonis qui in fossam conciderat rugitum sentiret, solo fuste armatus in fossam intrepidus descendit: statimq; maioris audaciæ opus quã quod de Hercule perhibetur, leonem occidit. Si quidem maius fuit Abisai in arcto aduersus valentem feram forte inuentam fœliciter rem gerere, quàm Herculi spatioso in campo præparatam clauo, vel vincere vel interimere.

De Lysimacho Macedonum rege.

Lysimachus adhuc priuatus ab Alexandro Magno in cõ claue, vnà cum leone feritatis immensæ incluſus, minimè vt pleriq; quanquam sciret morti se expositum, animo cõcidit. Cæterum chlamyde in caput belluæ coniecta statim que gutture ea veste circumuoluto, feram tam diu tenuit, quoad eam oppressit. Quod facinus quanquam necessitas expressisse videtur, magnæ tamẽ audacię magnarumq; virtium fuisse putatur, quam rem Alexander ne irremuneratã omitteret, Lysimachum vita donauit, effecitq;, vt seruatus in Macedonico regno succedere posset.

De Aurelio Valerio Probo.

Non est etiam omittenda inter vetera fortitudinis exempla Probi virtus, qui antequam ad imperium eueheretur, in Africa proconsul Aradionem fortissimum virum singulari certamine interemit, prosequutumque honore se peliuit, animi egregia virtute corporis robori coniuncta. Res profecto cuius temporum nostrorum principes ac duces militares suppudere debeat. Neque enim singularia certamina tantum, sed ipsa quoque prælia, quibus iusta acie decertatur præ ignauia deuitant: intentique ad regna victoriasque aliorum sudore sanguineque parandas, armati ceu spectatores alienę virtutis se præbent.

De Andragatio Comite.

Antequam recentiora fortitudinis exempla in his qui proprij sanguinis prodigi censentur fuisse, Andragatium comitem commemorabimus. Is enim statim vt intellexit Maximum tyrannum, quem is principem sequebatur, ingenti victoria à Theodosio superatũ, intrepido animo id mare se deiecit, atq; submersit. Maluit enim moriẽdo Maximũ sequi, quã Theodosio magno ab eo assequutus

tus

tus seruire, ea parte quam semel susceperat relicta.

De Arbogaste,

Parem animi fortitudinem Arbogastes ostēdit cum Ba-
genio, vt ipse optabat ad tyrannidem aduersus Theodo-
sium euecto. Nam in certamine vt ad hostes inclinare v-
ctoriam vidit, ensem quem hostiū sanguine cruētauer-
pectori suo cōdidit, vt ita se seruitutis fœditate liberaret.

De Theselide Argiua.

Animi robur quò rarius in fœmineo sexu inuenitur (co-
nim haud parum ei sexus infirmitas obstat) tanto plus v-
bi inuentum est admirationis laudisque meretur. Fortis-
simis igitur viris, de quibus scriptum est, Theselidem Ar-
giuam fœminam subiūgamus. Hæc cum Argos, quæ et pa-
tria erat, viris orbata esset, alias fœminas ad capienda ar-
ma hortata, virtute patriam à Cleomene Spartarum rege
qui eam valido exercitu oppugnabat, defendit,

RECENTIORA.

De Ioanna virgine Gallica.

Vt veterum exempla Theselis Argiua, animi sui vigor
clausit, ita recentiorum caput ac princeps apud nos erit
virgo Gallica, Ioanna nomine quam Pullicellam vocare
runt. Nam vt Argiuorum vrbem viris orbatam, Theseli
defendit, ita Ioanna multo maiori admiratione non tan-
ta est solum, verum etiā ex Britannorum manibus rece-
pit Galliā, diù anteà Britannis oppressam. Regnante e-
nim Carolo sexto, qui insanus dicebatur, cū Parisiorū v-
bem magnamq; Gallici regni partē Britanni possiderent
Ioanna Iacobo Arco patre orta, inope pastore, in Lothо-
ringorū pago, qui Dampremū dicitur, cū nōdum 15. anno
superasset, propter admirandas visiones, fatidica putabi-
tur. A Carolo igitur Lothoringorū principe, ad Roberta
Baudiricurtum in Vallicore militarē Gallorum ducē, &
ipso ad Carolū VII. regē in Gallia designatū missa fuit.
Huic cū largè victoriā polliceretur, non ante fides habita
fuit, quā experiēdo in multis quę futura prędicabat, vera
inuēta est. Ita fidē indepta, delatā tādem Gallici exercitus
summam atque imperium suscepit, armata igitur atque
ingenti equo insidens cum voce gestuque à vero militari
duce

duce non abesset, ingenti animo Aurelianorum vrbem arcta obsidione ab eis oppressam liberauit, vbi pugnando vulnus in humero accepit, nec vero armorum fragor, effususque in prælio sanguis, & sæua mortis genera, quibus cadere in prælio pugnantes intuebatur, virginis animum terruerunt, sed ceu efferata anima, & ducis & militis munia impleuit. Inde exercitu ad Trecas perducto, vrbem eam cõtra omnium sententiam adorta cœpit. Carolúmque Septimũ, qui designatus rex erat, diademate vt moris erat Rhemis insigniri vt regem iussit, salutísque anno quadringentesimo vigesimonono supra mille, cum Parrhisiorum vrbem oppugnaret, inter primos milites in muros ascendit, neque quanquam crure sagitta trajecto ab incœpto destitit, tantúmque formidinis de se Britannorum animis iniecit, vt quemadmodum ante Britannorum Galli conspectum non sustinebant, ita postea Pulicellam Britanni ferre non possent.

De Vallasca virgine Bohema.

Vallasca virgo Bohema, quam Libussa tertia Bohemorum dux, virtute fœmina insignis aluit: tanto studio dominæ mores imitari studuit, vt ea defuncta cuipiam amplius seruire dedignata, Amazonum Lemniadúmque exemplo, permultas Bohemas mulieres ad perdendos viros impulerit, arreptísque armis, vt imperium sibi eius gentis vendicaret, Primislaum Bohemorum ducem in Visegradi arce, quæ munitissima erat obsedit. Quam rem vt supra vires suas difficilem animaduertit, haud longè à loco munitissimo, oppidum statim condidit quod Dieuizon nuncupauit. Id vero illius gentis lingua virginem significat. Nõ multo vero pòst prælio cum Bohemis commisso, vera virtute eos vicit, atque in fugam compulit, occisis manu sua in eo prælio septem viris, quæ cùm virtute inuicta putaretur, à Primislao prodita vnà cum alijs, quæ cum ipso erãt fortiter pugnando non ante libertatem quam vitã amisit.

De Maria Puteolana virgine fortissima.

Vallascæ exemplum illud non indecorè sequetur, quod Franciscus Petrarcha in epistolis scribit se vidisse, scilicet Puteolis, haud longè à Neapoli virginem Mariam nomi-

ne, abiecta muliebri veste, propter seditiones, quibus eam gio erat infesta, virilem amictum armaque induisse, bell adeò studiosam, vt quocunq; in loco cũ hoste manus cons serendæ essent, prima prælium iniret postremaq; : neq; nisi editis ante claris facinoribus acceptisq; multis vulne ribus ex acie se reciperet. Viribus ingens hæc virgo, in ma tari exercitatione sudem ferream iaculando alios viros, quod se præsente sæpius factum Petrarcha testatur, corp ris robore superabat: ita vt omnes in sui admirationem uerteret. Sed longè illud in ea præclarius, quod adhuc inter viros versata, in armis agens in summa viuẽdi libe tate, incolumem pudicitiæ laudem seruauit. Decus proh cto non rarum modo, verumetiam prorsus admirandum vt ex eo hoste, quem natura humanis præcordijs in vic ætate infixit, secúmque mortales in ea ætate plerunque i runt, aduersus quem nec clypeo nec pugnari hasta posse & qui de mortalibus victoriam penè semper reportat, v victrix, triumphum referret.

De Vrsina Taurella Guastallæ comite.

Haud dissimili virtute, apud oppidum Guastallam, V sina, Guidonis primi Taurelli coniunx, cũ intelligeret lo à Venetis moto, viro absente Guastallum Venetor armis oppugnari, arma virili animo induit, factóque in stes impetu, oppidum multis hostium, atque inter eos quot manu sua occisis, egregiè defendit.

De Montisfortis Comite, fœmina egregia.

Mortuo sine liberis Morinorũ duce, quos posterior a viciato nomine, pro Britannis Britones nuncupat, Io Montis fortis comes, vt hæres in ducatu succesit, inu societate cum Eduardo tertio Britanniæ rege, qui etia G lici regni titulũ sibi ascisebat, in Nannetensi vrbe, cin id permittentibus, à militibus Philippi Valois galle regis captus, atque ad Parrhisiorum vrbem, vbi perij ductus est. Itaque cum Ioannes Blesensis comes, agna nis iure, Britonum ad se pertinere ducatum ducere, a que possessionem tentaret, Montis fortis comes, Ioa qui à Gallis captus dolo fuerat coniunx, armis intro arreptis, terra marique Blesensi comiti obstitit, neque a

destitit, quam eo in prælio occiso, filijs suis liberum Britonum ducatum reliquit.

De Margarita regina Dacorum Noruegiæ & Suetiæ.

Pari virtute Margarita Vuoldemari Sueriæ regis filia, Aquini Noruegiæ regis vxor, horum regnorum propter patris coniugísque, item Daciæ propter Olai filij mortem hæres, Cum ei Albertus Magnopolēsis dux bellum intulisset, haud secus quàm si in patris ac viri regnorum hæreditatem quoque eorum cœpisset, comparato exercitu, armata ipsa aduersus Albertum profecta prælio eum vicit, cœpíque, Romanóque more de capto triumphauit.

De Orieta Auria Genuensi insigni fœmina.

Meretur Orieta Auria, Genuensis fœmina, ne inter eas quæ virtute clarum nomē habuere prætereatur. Nā quo tē pore Gatalusij Mithylenis in Lesbo rerū potiebātur, profecta Amurathis Turcarū regis ingens classis, vt insulā occuparet, Molagum oppidum oppugnare cœpisset, vbi Lucas Orietæ coniunx magistratum gerebat: sola ipsa tribus comitibus, non vt mulier, verum ceu fortissimus vir, sumptis armis, non modo pugnando pericula omnia subijt, verùm hortandis quoque qui iam attoniti deditione consilia inibant, sapientis ducis munia impleuit, agendóque atque hortando ita effecit, vt Turcas ab oppido multis occisis, ingentíque eorum dedecore repelleret.

De Marulla Mithylenensi.

Quod de Orieta scripsimus, cogit me, ne Marullæ quoq; virtutē prætereā. Nam bello Venetis à Mahometo Turcarum rege moto, cum classis ingens Mithylenas adorta esset, Coccinúmq; oppidū in ea oppugnare cœpisset, virgo Marulla nomine, virtutem supra omnem credulitatē præstitit, eruptione enim facta, cum in Turcas oppidani acriter pugnarent, Marulla vt patrem inter pugnantes occubuisse conspexit, Coccinorúmque aciem ad fugam spectare, non lachrymis aut fœmineo vlulatu proprio dolori communíque saluti occurrit, sed veluti muliebri abiecto sexu, patrísque assumpta virtute, ante oculos paterno clypeo gladióque armata, in primam aciem prodijt, vbi acriter pugnando, hostes, qui iā iam se oppidū irrupturos sperabant,

rabant vera virtute à muris repulit, cũ eã sequeretur Corin
nus populus, quem suppuduit armis arreptis, ea virginum
efficere, quæ antea populus totus ausus nõ erat. Cæterum
quoniam octo exempla inusitatæ virtutis fœmineo sexu
in tuendis oppugnandisque vrbibus satis sufficere videre-
tur, vt permultos viros, quibus natura rerumque vsus in a
mis plus præstitit, ignauiæ suæ pudeat, ad aliorum exem-
pla transibimus.

De Ioanne Zisca Bohemo.

Mira profecto res videri potest in fœmineo sexu, cui im
becillitatem natura coniunxit, tantum roboris atque ani
mi inuentũ esse, sed longè plus admirationis Ioannes Zis
ca Bohemus Trosnouiensis bene consideranti habere vi
bitur. Qui post Vuẽceslai domini sui mortem, cum iam al
tero oculo captus esset, quem in prælio amiserat, Huſſita
rum qui tunc esse cœperant, ducem se præbuit, ædificato
Thabor vrbe admodum munita, eorumque societate q
Thaboritica nuncupatur instituta, Bohemiæ partem ma
rem imperata facere coẽgit. Dum autem Rabi castellũ o
pugnaret, vulnus accepit, quo altero qui superarat oc
orbatus est: & quanquam prorsus amisso lumine, ita vt
liena manu cibum capere eum oporteret, tamen exercitu
ducebat, bisque Sigismundo Imperatore qui Bohemiæ re
gnum hæreditario iure repetebat superato, eorum exerci
qui cruce signati aduersus parum fideles arma ferebant,
fugam compulit. Orta vero cum reliquis Bohemiæ proce
ribus Pragensique populo discordia, ab aduersarijs, qui
mero plus poterant, pulsus fuit. Itaque alienorum oc
rum vsu propriaque industria adiutus, vbi se in eum loc
quem animo rebus gerendis designauerat perductum
tellexit: nactus rei bene gerendæ occasionem, in hostes
conuertit. eorum cæso numero, Pragam vrbem obsedit,
quo ad superstes vita fuit Bohemiæ rerum potitus est. C
cæcus non regeret modo videntes, verum ingentes quo
de hostibus victorias reportaret, vt qui amissi in eo pro
fus luminis incommoda, atque alias ex parte rerum q
cæcus gesit magnitudinem pensitare voluerit, tam
Hannibali Sertorioque, altero tantum oculo captis, e

sit præpositurus, quantū ipsi propter lumen, ei qui prorsus cæcus erat, præponendi viderentur. Hac enim gloria quæ ingens ac rara est decessit, quod dum vixit maximis prælijs victor, nunquam ab hoste superatus fuit, qui non minus cum natura certasse putari debet, quam senior Marius aut Scæuola. Nam quanquam grandes natu, multisq; vulneribus debilitati essent, hominis tamen speciem seruabāt, à quibus tantum Ioannes Zisca ob cæcitatem abfuit, quātum à viuente mortuus. Neque enim inter videntes cęcus, alius quàm mortuus appellari potest.

De Ioanne Decimo Bohemorum rege.

Luminis amissi difficultas, Ioannem quoque Decimum Bohemorum regem non retinuit, quò minus & cæcus, & senio confectus, Philippo Valesio Gallorum regi pro affinitatis iure, aduersus Britannos opem ferret: qui inito prælio in medius hostes cum se intulisset, quanquam lumine captus, atque senex deletis apud Cretiacum Gallorum copijs, inter præliantes occubuit.

De Clodoueo Gallorum rege.

Quantum etiam laudibus ornanda est Clodouei Gallorum regis virtus, vigorque, quem in Pictonibus aduersus Visigothos ostendit, à Vasconum vrbibus quas incolebāt aduersus eum profectos. Nam & prælio ingenti eos fudit, & regem eorum Alaricum iuter primos dimicans, mānu sua occidit.

De Clotario secundo Gallorum rege.

Silentio quoque Clotarius secūdus Gallorum rex prætereundus non est. Nam cum iam senior in Austrasiam se contulisset, Dagoberto filio aduersus Saxones Germanicā gentem opem laturus, cum Saxonum ducem Bertoldum castris suis appropinquare intuitus esset, vt fortasse diligentius castrorum formam inspiceret, ipse quoque solus eum insecutus, cum aliquantisper pugnatum esset manu sua interemit.

De Ferdinando Consalo Castulonis comite.

Inter tanta regum exempla, animi vigor non immeritò locum Consalo Ferdinando Castulonis comiti, quanquā fortuna minor esset, virtute tamen minimè dispari, vendi-

cabit, nam cum aduersus Celtiberos, quos Nauarrienſ
præſens ętas appellat, in prima acie pugnaret, & infeſta ha
ſta in Sancium Nauarrienſem regem currens incidiſſet, a
terram mortuum proſtrauit, vnoque ictu atque vnius mo
te, bellum confecit.

De Heraclio Imperatore.

Singulare quoque Heraclij Imperatoris et animi & co
poris robur fuit, non occidendis tantum manu ſua ingen
tibus feris, vtpote leones atque elephantes ſunt (id quo
perſæpe ſpectante populo egit) verumetiam aduerſus ho
ſtes ipſos, quod ſatis apertè teſtatur facinus in Perſide co
gna virtute geſtum, cum ſingulari certamine prouocat
ſolus Perſarum ducem interemit.

De Gotifredo Bolionio Lotharingiæ duce.

Quis etiam tacitus ſine reprehenſione Gotifredi Bol
nij Euſtachijque fratris audaciam fortitudinemque p
tereat? Nam in Hieroſolymarum expugnatione labor
que periculi plena, in qua vtrinque obſeſſi, atque obſ
tes, plurimum ſanguinis effuderunt, primi in muros
ferunt, ponte iacto à lignea turri quam ipſi muris adm
rant. Viam enim militibus virtute ſua ad capiendam v
vt præſtantes duces decet ipſi ſtrauerunt, nulla ad eam
ueniendam rem militum induſtria vſi.

De Balduino primo Hieroſolymarum rege.

Pari animo Balduinus eorum frater, cui Hieroſolym
obtigerat regnum, cum illud defenderet, neque virt
centos ſexaginta equites, peditesque nongentos C
ſtianos haberet, Caliphę exercitum in Iudæa prelio f
in quo equitum nouem milia, & viginti milia pedit
rant: quo in prælio quinque equitum milia, ex hoſtili
citu deſiderata fuerunt.

De Theia Oſtrogothorum rege in Italia.

Quanta etiam laude digna fuit Theiæ Oſtrogoth
regis animi fortitudo ac virtus. Nam cum apud Nuce
aduerſus Narſetis copias pugnaret, perfoſſo ſagittis
peo, ita vt eo commodè amplius vti non poſſet, atque
pugna impediretur, non modo ob id locum in acie n
ſeruit, ſed ne retrò quidem aſpexit. Clara tantum

ministrorum vnum iussit integrum clypeum ad se perferre. Itaque dum clypeum mutat lætali accepto vulnere, in vestigio vbi erat immobilis manens, in hostem pectore, vt erat verso, mortuus corruit.

De Gulielmo Condisaluo Galliciæ comite.

Non iniuria vrbs Roma Attilium, & Græcia Cynegirum fortiter pugnasse, & propterea laude dignos commemorat, id quod ab eis præstitum est, cum nullo morbo laborarent, propter quam rem maiore gloria cumulandus erit, Gulielmus Cõdisaluus Galliciæ comes, qui cũ diu Legionem vrbem in Hispania defendisset, & muris ab hoste perfossis honestæ saluti consulere posset, quod graui morbo affectus ferrre arma prohibebatur. Maluit in ea vrbe mori, quam susceptam eius tuendæ curam omittere. Itaq; arma indutus cum innalido corpore vix ad incessum vires sufficerent, ferri se ad locum iussit, vbi plus erat periculi, illicque iacens (neque enim consistendi facultas erat) inuictus animo hostium telis cõfossus, parta fama qua semper nomen eius viuet, vitam amisit.

De Equite Castulonensi.

Eo prælio quo Vrracæ Castulonensis reginæ exercitus aduersus Alphonsum Aragonium ipsius virum decertauit, cum vltimum agmen Gomericus comes signis suis clauderet, & inclinata ad Aragonios victoria hostes iam ad vltimi agminis Castulonensium signa penetrassent, Eques qui vexillũ ferebat, diu magna virtute signũ defendit, & quam quam ambæ manus ab hoste vt relinquere signum cogeretur, obtruncatæ essent, brachijs vexillum amplexus, oleaque inclamans (id enim principis eius erat insigne nomen) non ante vexillum quam vitam amisit.

De Gulielmo Episcopo Aretino.

Certamine illo quo Florẽtinus populus apud Cãpaldinum Aretinorum copias fudit, cum Gulielmo Aretino Episcopo nonnulli suaderent, vt saluti suæ consuleret, quod tuendi Aretinos, spes nulla supereresset, petijt an recipi ex prælio Aretini possent? cum negaretur fieri posse, vt amplius se ex acie reciperent, dixit, se cum eis mori malle, quàm sine eis incolumem vitam seruare. Itaque in prælium

reuersus, inter medios hostes irruit, & fortiter pugnans cū alijs suis in campo mortuus corruit.

De Simone Montisfortis comite.

Non minore animo, fortuna tamen magis fauente, Simon Montisfortis comes, cruce signatorum dux, aduersus Albigesios hæreticos in vrbe Murello, cum non amplius secum haberet militum, quam ducentos ac sexaginta equites, peditesque quingentos, à magno Aragonij regis exercitu, vna cum comitibus sancti Julij & Fois obsessus, repente in obsidentes erruptione facta, tanto impetu irruit, vt paruo tempore, palantes in fugam compulerit, ac decem & septem milia ex eis occiderit, nō plusquā octo è suorum numero desideratis.

De Pagano Auria.

Fortem profectò inuictiq́ue animi virum, Paganus Auria se ostendit, cum in Oriente trium & quadraginta triremium Genuensium dux, quo tempore inter Genuenses & Venetos bellum gerebatur, cum sciret hostium classem, [illegible] ctis Græcis ac Cathellanis, decē supra centum triremes numerum impleuisse, atque aduersum se omnes eos iter habere, minimè territus est, neque fugæ alicuius consilium iuit. Sed potius industria, magno quē habebat animo audita, ne nisi à fronte pugnare cogeretur, ad Thracium Bosphorum qua in Euxinum mare itur: (id autem nunc sanctum Georgij brachiū appellant) se recepit, eo in loco diem [illegible] ctemque totam ab hostium classe grauiter oppugnatus, [illegible] ventus quoq; aduersus esset, omnibus ijs superatis difficultatibus, Pancratium Justinianum, Venetæ, & Ponriū Cathellanæ classium duces occidit, captoque magno triremium hostilium numero, victoria vt sudoris sanguinisq́ue ita glorię quoque ingentis plena potitus est. Nunc quia de Genuensibus dicere orsi sumus, nonnulla alia de eis posthac pergemus.

De Iano Fulgosio Genuensium duce.

Cum pro me veritas ster, haud deterrebor quod nimium mihi meorum affectus ab ignaris harum rerū fortasse obijci possit, ne gentilium meorum præclarè res gestas, earumque virtutem commemorem, præsertim cum ad re[illegible]

li Petre scribam. Domesticarum enim rerum exempla, quæ cum vel laudem, vel vituperationem merentur, plus quàm alia siue ad audẽdum, siue vt animos pudor subeat, habere momenti solent. Siquidem ijs neque ad virtutem vehemẽtiores sunt aculei, neque vt à vitijs cohibeantur homines grauiora frena inueniuntur. Ianus Fulgosius cum sex fratribus patruelibus, inter quos auus tuus parens meus erat, cũ patrio honore patriaq; ipsa careret, vt permulta eius egregia facinora omittã, quibus quadriẽnium hostes vexauit, omnium rerum premente necessitate, Cum præterea virtus quoque stimularet, & si satis norat Barnabam Adurnum aduersæ factionis principem, qui cũ ducis titulo Genuæ rerum potiebatur, prater sexcentos Aragonij Alphõsi milites, magno alio militari numero septum esse, intrepidus vnà triremi, Salutis anno septimo ac quadragesimo supra mille quadringentos que, Genuam nauigauit, nocteque intempesta, cum quinque atque octuoginta fortissimis viris vrbem ingressus, non ante destitit, quàm ad palatium peruenit: illic prætorium ipsum prælio adortus, cum penè omnes vulneribus confecti essent. Inter quos erat auus tuus crure atque facie ipsa saucius, paucitate incommodisque virtute atque animo superatis, ducatum Genuensem, & quod maius fuit, immortalis gloriæ famam, ex eo prælio retulit.

De Petro Fulgosio duce Genuensium.

Verere ne paterna laus à filio profecta propter insitam à natura pietatem, ab historica veritate discessisse putaretur: & propterea manum à scribendo contraherem nisi ita mihi indecorum esset, veras patris mei laudes omittere, quã infecta mentiendo cõmemorare velle. Sed hunc mihi scrupulum ademit, quod eius virtus per Italiam, nequaquam obscura fuit, & permulti viuunt, qui de patre ex fide me scripsisse, & nihil supra verum amori dedisse testari poterunt. Quamobrem eum loco illo non fraudabimus, quẽ ipse virtute sibi inter fortium virorum exempla peperit. Is cum in patria principatum obtineret, Aragonij Alphonsi regis Siciliæ armis atque potẽtia pressus, Carolo septimo Gallorum regi, eius quem ipse hostem habebat, hosti vrbe

atque imperio ceſsit. Cęterum cũ Caroli miniſtri promiſſa non præſtarent, iuſto neceſſarioque dolore compulit bellũ ei nullo maiore militũ numero intulit, quam Gallis eſſent, qui rerum in vrbe potiebantur. Miro igitur animi ardore atq; induſtria per muros vrbem ingreſſus eſt, Salutis anno quinquageſimo nono ſupra mille quadringentos pridie idus Martias. Vbi cũ militũ quos ſecũ duxerat præfecti, imperata non feciſſent, ſolutis militum ordinibus atque ipſis in fugã cõuerſis, Petrus (ita enim vocabatur parens meus) quia retrocedere difficile indecorumque putabat, duobus ſolis comitatus viris, à quibus haud multo pòſt deſertus fuit, armatus, atque equo inſidens infeſta hoſta inter medios hoſtes viam ſtrauit, & porta quæ Vaccarum dicitur, veteres vrbis muros ingreſſus, nullo obſiſtente auſo, ſolus vrbis longitudinem currendo emenſus eſt. Tertiam portam quam ſancti Andreæ dicunt prætergreſſus ad vrbis muros vrbis muros peruenit: vbi niſi clauſam offendiſſet portam, quæ in ea vrbis parte erat, proculdubio incolumis ad ſuos ſe recepiſſet. Facinus eo glorioſius quàm in Aſellio Equite Romano, cum Tauream apud Capuam perſequeretur, atque per hoſtium vrbis portas ad ſuos ſe recepit: quo facilius Aſellio fuit nemine inſequente aperta egredi porta. Petro autẽ quem vndique hoſtium tela ſaxaq; de ſenſtris miſſa petebãt, vt ingẽti animo cœpta fortiter perſequeret, nõ hoſtiũ arma, non ipſius atq; equi defatigatio ac vulnera, ſed ſola quę clauſa erat porta obſtitit. Itaq; retro in urbẽ conuerſus, cum hortantium ad deditionem nullum audiret, multis vulneribus ipſe cum equo confoſſus, cum in medijs hoſtibus corruiſſet, exanime corpus hoſti reliquit. Cæterum creatori ſpiritum quẽ acceperat liberũ reddidit.

De Galeacio Bardaſsino equite Siculo.

Cum finis eorum exemplorum, quę de fortitudine edũtur, appropinquet, paucis de Galeacio Bardaſsino equite Siculo, cuius animi ac corporis robur inſigne fuit perſtringemus. Nam præter alia ingentia facinora, cum Alphonſus ſenior Neapolitanus rex, Plumbinum obſideret, ita in Tuſco littore contra inſulam Iluam oppidum vocatum conſpicatus tres hoſtium equites, cum multis alijs vrbis egreſſi

egressos, ad se venire, qui à suis longe aberat, vltrò ad eos accessit, atque eorum vnum gladij capulo in galea percussum, attonitum ad terram prostrauit, alium brachijs vinctum ab ephippio extraxit, longeque abstulit, tertium fugientẽ ad portas vsque insequutus est. Qui persæpe vt virium suarũ periculum faceret, totus armis tectus, ephippio inter coxas accepto, ingentem equum crinibus apprehensis, saltu conscẽdit, statimque nullis firmato vinculis ephippio, equum ad cursum adegit, coxarum ac crurũ firmitate pro cingulis vsus. Qui vbi non in Italia modò verũ per totum Christianum orbem aliquem virtute ac viribus insignem norat esse, illuc profectus singulari certamine prouocabat, ex quibus victoriam spoliaque semper retulit.

De Sordello Vicecomite Mantuano.

Sordellus quoque Mantuanus, qui salutis octuagesimonono supra mille centumque natus est, in varijs exterisque regionibus de tribus ac viginti equitibus fortissimis viris, cum singulari certamine cum eis dimicasset, victoriam retulisse inuentus est. In his maximè eius enituit virtus, cum in Parrhisiorum vrbe, vno die cum tribus videlicet Iachelino Leopardoque Britannis, demumq; cum Frassato Burgundione pugnauit, Tanto enim animi ac corporis robore Asellium, Torquatum, Coruinum atq; alium quemcunque ciuem Romanum superauit, quanto vnitas trium viginti numero minor est, & triplicis certaminis perpessus, vno die laborem, vnius tantum certaminis laudem debet anteire.

De Betto Biffoli, & Guidone Asiano Florentinis.

Inter priuatorum equitũ egregia facinora, duos Florentinos connumerabimus, cum Cardinalis Gebẽnensis Gregorij pontificis legatus, vrbem Bononiam obsideret, atque in exercitu Britannorum magnum numerum haberet, quo tempore eam vrbem populus Florentinus defendebat: duo Britones virtute atque animo ingentes, accepta fide, Bononiam ingressi, quæsierunt, Si illic aliquis esset præstanti virtute vir, qui singulari certamine pugnare vellet? Conditionem acceperunt Bettus Biffolis & Guido Asianus, diéque ad prælium constituta, cum legatus egrediundi Flo-

di Florentinis militibus potestatem fecisset, inter cæt
vrbemque ipsam pugnatum est. Biffolis primus Britoq
quo cum pugnabat, ad terram prostrauit, & cum ad ord
dendum eum ab equo descendisset, superatum hostem, p
tenti Legato dono dedit. Guido Britoq; alter, cum se inte
stis hastis ambo ad terram ab equo strauissent, tandem v
ctoria penes Guidonem mansit, qui similiter superatũ ho
stem, cum perdere posset, Cardinali condonauit.

De Ioanne Germano comite Sonnenburgensi.

Nuper quoque eo bello quod Sigismundus Austraſia
nus dux ab Tridento Venetis intulit, quorum copias Ro
bertus Sãseuerinus vir bellica virtute insignis regebat. C
Ioannes Germanus Sonnenbergius comes prouocaret, q
quis in Venetis castris esset qui singulari certamine dimic
re vellet, pugnandi munus Antonius Maria Roberti filiu
suscepit. Itaque vt manus conseruerunt, equi vitio Anto
nius Maria inter septi cancellos illatus, cum equo corru
ab eo quoque descendente comite, cum etiam Antonius a
equo se explicuisset: Postea quã incassum aliquãtisper me
cronib⁹ pugnatũ est, lacertorũ mutuo nexu se colligarũt
Abi cũ super Antoniũ Mariã Germanus se dimisisset. Anto
ni⁹ Maria duob⁹ acceptis vulnerib⁹ hosti deditionem fec
à Germanoque victore ob virtutem muneribus datis, ad p
trem habitus fortuna non virtute inferior, redijt.

De Petro Dæubussone Rhodiorum equitum principe.

Quia singularia certamina de quibus est scriptum, vtili
ribus haud magno sanguine constiterunt, minore etiã pe
riculo quod vno tantum deditionis verbo obtinere fas
poterãt. Fortasse quod animi fortitudinem minus ea virtu
tis habuisse homines censere poterunt. Quamobrem ope
ræprecium putauimus vnum subiungere certamen, in qu
tantum periculi exhaustũ est, tãtarúmque viriũ opus fuit
vt non solum singulæ eius partes singularem virtutem
habuisse testẽtur, sed etiã quia res ipsa tẽporibus nostris g
sta est, certissimam habeat fidem. Cum Mahumetes Tu
carum rex Rhodum ætate nostra validissimo exercitu p
tijsset atque insula potitus arcta obsidione vrbem premer
ret, tormentorum vi ita quassatis muris, vt nullo labore
eos

eos per ruinas hostes conscenderent, iam in summos muros Turcarum ingens numerus peruenerat. In tam graui periculo Rhodios illa res iuuabat, quod intrinsecus vrbis situs admodum depressus erat, Turcæque qui per ruinas in eam irruere nitebantur, nisi in præceps se ac manifestum mittere periculum vellent, vnis tãtum lapideis scalis quibus in muros Rhodij conscendebant, descendere cogebantur. Cũ eo in loco periculi summa versaretur Petrus Daubusson natione Gallus, Rhodiæ religionis princeps, tuendum sibi eum desumpsit, secum duobus nepotibus ac quatuor alijs militibus adhibitis. Is illic tantis viribus tantóque animi robore pugnauit: vt quanquam è comitibus per plures alijs suffectis, occidissent, & ipse quinque acceptis vulneribus perfossa, fractáque haberet arma, Turcarũ tamen nullum eam in vrbẽ penetrare permiserit, sed ingenti repulsos cæde soluere obsidionem coëgerit: ea in scalis tuendis edita animi & corporis viribus, quàm Cocles Horatius Roma aduersus Aethruscos, dum Sublicius pons rescinderetur præstitit: tanto maiore virtutis laude quanto maiorem sustinuit hostium vim: neque enim Turcis immanitate Aethrusci fuerunt conferendi.

De Seniore Brachio Perusino.

Finem facturus exemplis eram, quæ de fortitudine scribenda mihi sumpseram, atque ad ea transiturus, quæ insignem aliquam patientiam præ se tulerunt. Cæterum Brachius Senior Perusinus, militaris dux, occurrit, iniuriam sibi fieri querens, quod cum & prudentis & fortis militaris ducis, omnium iudicio laudem tulerit, fortium virorũ exempla nulla ipsius mentione facta, claudere velim, egregiíque facinoris me admonuit, quod in Piceno apud Contratam arcem, aduersus Bonifacium pontificem patrauit, nam cum præsidio centum tantum equitum profectus, vt situm molẽdini inspiceret, quod manu munire decreuerat, ab hostibus, qui exploratum profectionem eius miserant, septingentis equitibus, duce Angelo Pergulano, impetus in eum factus fuit. Itaque cum venientes Brachius à longè intueretur, ita vt recipiendi sui temporis satis esset, consiste re, ne metu retrocessisse videretur, atque cum eis decertare, de-

decreuit. Cum autem extractum in noctem ipsam certamen tenebris diremptum esset, non modo integras exercitus copias ipsas quas habebat Brachius recepit, verumetiam ita hostes perterruit, vt militū ipsorū populorūq; q in nostili parte erāt, magna pars deditionē fecerit, adeoq; atrox præliū fuit, vt Spinta Brachianus miles, centum ac quinquaginta, item Mecha septuaginta vulnera acceperint.

DE PATIENTIA. Cap. III.

CVm inter tormenta vis illa animi, qua per virtutē dolores perferūtur, vera magnaq; fortitudinis pars, ac primaria potius filia dici debeat: hanc ipsam quæ patientia nuncupatur, fortitudini veluti matri filiam subnectimus, et quanquam ex ea patientis quidem, sed nō adeo magentis animi signa, vt ex libera fortitudine proficisci soleāt. Palā tñ est, eā nō minus ꝓpterea excellentiū animorū pectora incolere, quēadmodū multorū exēplis ostēdetur.

De Agesilao Athenienſi.

Cum Themistoclis frater Agesilaus, quo tempore ingenti exercitu Xerxes ad euertendam Græciam veniebat, pro exploratore in hostium castra proficisceretur, missus suscepisset, conspecto in castris homine Persa, amictu cospectuque ante alios insigni, arbitratus Xerxem esse, posque fieri vt morte eius, patriæ salutem seruaret, senim homini appropinquans, eum interemit. Itaque comprehensus atque ad Xerxem perductus, qui ea ipsa hora sacrificabat, nullo aut vultu aut voce dolorem perferentis edito gno, ignibus, quibus in ara sacrificabatur dexteram intertotamque combusit. Cum autem tanta patientia Xerxes obstupuisset, ferturei Agesilaus dixisse, Tales Athenienses animos esse, atque vt in ea re maiorem facerer fidem, paratum se obtulit, si permitteretur aliam quoque manum ignibus inijcere. Quod Xerxes prohibuit tanta virtute motus, & abeundi Agesilao vnà cum supplicij remissione facultatem permisit.

De Zarmonochaga Indo.

Maior quoq; patiētia illa fuit, quā authore Nicolao Damasceno, in Geographia sua Strabo posuit. Nam Indorum regis legatum ad Augustum scribit, cum demandatum bi mu

bi munus à Poro rege suo fœliciter expleuisset, neq; vltra vexationem vllam perferre vellet, Indorum more seipsum combusisse, vultu in ridentis speciem semper seruato.

De Septem fratribus Machabæis.

Apud Priscos Iudæos in omni ætate sexuq; ceu à natura insita geri illi patientia fuit, quemadmodũ multis exẽplis ostendi potest, ac præsertim cum Antiochus Epiphanes Iudæos ad idolorũ culturam trahere conaretur. Nã cum Machabæam cum septem filijs comprehendisset, neq; promissis aut minis in sententiam suam deducere eam posset: filiorum primo lartagines ingentes feruenti oleo plenas ostendit, comminatus se in illas eum proiecturum, nisi quod ab eo petebat effeciisset. Cum autem constantiorem quàm antea conspiceret, abscissa lingua detruncatisque digitis capiti cutẽ ademit, ita vt carne os detectũ maneret. Quibus tormentis cum minime flecteretur, tandẽ feruenti oleo semiuiuum torruit. Cũ autem arbitraretur matrem fratresq; tormentorum acerbitate territos in sententiam suam venturos esse, vt denuo colere idola vellent, rogauit. Multo ad negandum prõptiores eos inuenit, qui non modo de idolis imperata facere recusabant, verum Antiocho ipsi numinũ eius stultitiæ plenam legẽ improperabant, illã ipsumq; cum eius tormentis despicientes. Itaque cum eos vno tantum superstite occidisset, Postremus cum matre nõ minus fortis est inuentus, neq; fratrum territus tormentis, neq; ijs victus quæ postea in corpore suo pertulit, haud aliter quã duo Zenones, item Anasarchus Theodorusq; philosophi cum matre patientia insignis: tanto autem eorum patientia his maior, quantò magis mirum videri debet in tenera ætate pueros matremque duplici pietatis erga suos ac propriorum malorum tormẽto non victos esse, imò ne lachrymulam quidem aut suspirium in his malis emisisse: quorũ conspectus aut etiam sola cogitatio etiam hostem si modo homo erat, commouere debebat. Patientia igitur hæc admiranda omnino fidem excederet, nisi à multis verisque authoribus ederetur.

De matre Hyrcani Iudæorum principis.

Cum Ptolemæus per perfidiã socerũ Simonẽ Pontifi cẽ

&c

& Iudæorum principem occidisset, captáque socrúsbúsque liberis, cũ eis se in Draconis arcem recepisset, Hycanus Symonis filius qui Ptolemæi sororis viri vim effegerat, firmato patris imperio, dum vlciſci acceptas iniurnititur, Ptolemæum in arce in quam se receperat, obſeſ& iam eò redegerat vt in arcto res constituta videretur. Cterum Ptolemæus primo sceleri nouam crudelitatem aciungẽs, dum ab hostibus oppugnatur, in muris socrum fiHyrcani matrem, sæuissimis tormentis discruciari corpmulierem autem non sexus imbecillitas, non senium muuit, quin clara voce filium oraret, ne oppugnatione propriipsius tormenta auerteretur. Quæ ita patienter in sencorpore ferebat, vt ea non sentire videretur. Cæterum pin Hyrcano filio materna pietas, quã vlciscendi iustus dolor cũ posset, egit, vt ab oppugnatione desisteret fretus matris tormento se finem facturum. Cæterum Ptolemsoluta obsidione effugiendi idem viam nactus, matre fitribúsque Hyrcani occisis, in Philadelphiam ad Zenonem se recepit.

De quibusdam Iudæis qui Zelotæ nuncupati sunt.

Vltima Iudæorum rebellione qua ciuitas eorum à Romanis deleta fuit, inter se ea gens societatem iniuit quZelotarum, id est amatorum atque obseruantium legis, cupabant. Primarium inter eos erat institutum, vt vnuDeum dominum agnoscerent. Ex hac gente quæ præter cuersas Hierosolymas miseranda multa in Aegypto perpelerat, cum magnus propter nouas seditiones motas capnumerus esset, nulla tormentorum eorum vllus vi vinc adduci potuit, vt Cæsarem dominũ suũ appellare vellIdolorum enim cultum ceu tetram nefandámq; rem Romanis obstinatè improperabat: magnificis verbis intrepdóq; vultu nihili se tormenta facere ostendebat. Adeò huius rei tenax propositũ penes omnes fuit, vt nedum fma ætas, verũ muliebris quoq; sexus ac pueri, inter tormta ipsa, constanter persecuerantes, ridentium speciem per præbuerint.

De Iudæo Iotapateno.

Hoc bello, quo deletas fuisse Hierosolymas dictum

cum vrbs Iotapata obsidione premeretur, captus à Romanis militibus illius vrbis ciuis, cum à Vespasiano de obsessorum statu rogaretur adhibitis inter tormenta ignibus, nunquam compelli potuit vt aliquid fateri vellet. Quin ridentis facie in ipsis tormentis mortem, cuius comminationem Romani eum terreri posse putabant, contemnere antedestitit, quàm in crucem sublatus vitam amisit. Nunc à Iudæis ad Romanos Græcósque transeamus.

De C. Mario Romano consule.

Caius Marius Romanus consul, cum varicosus esset, atque vt curaretur ex cruribus alterũ secandum medico porrexisset: non modo non vinculis vllis, vt mos est vinciri, aut ab aliquo teneri se passus est, sed ne verbo quidem aut gemitu aliquo plus dolorem patientis signa edidit, quàm si vel sectio in alieno corpore fieret, vel ipse sensu omnino careret. Cæterum posteaquam alterius cruris adoriri curationem medicus tentauit, ei Marius dixit cum ægritudo quam patiebatur deformitatis tantum damna secum ferret, haud operæ dignum esse precium, vt eius rei gratia tã grauem cruciatum perferret. Quo verbo, grauiter quidẽ dũ crus secaretur se affectum fuisse declarauit, sed animi prudentia ferendóque dolorem dissimulasse. Facinus profecto illius virtute atque animi magnitudine dignum, qui ante tam multa gloriosè gesserat.

De adolescente Lacedæmonio.

Ne grauiter pro inuicta virtute tua C. Mari feras, si statim post te inter patientiæ exempla, puer nulla sublimi fortuna insignis, ceu tibi in hac re par ponatur. Nam cum victorias regnáque ingentia tradere fortuna possit, in cuius manu eiusmodi res esse putantur, virtutem animíque patientiam cuiuscunque ætatis ac fortunæ homines nanciscipossunt: nec minus sæpe in abiecta fortuna, tenerísque annis, quàm in magno genere atque in diademate consularibúsque virgis, hæc quæ laudis plenæ sunt animi dotes inueniuntur. Quare cum promiscuè omnibus ad has virtutes conscendere liceat, quod patientia parari potest, Lacedæmonio adolescenti non negabis. Nam cum pro patriæ monte furto leonis catulum subripuisset, quem veste tectũ auferebat,

ferebat, fera quæ vt in arcto contineretur ferre non pot-
rat, adolescentis vterum coxasque dentibus atque vngu-
bus lacerauit, nec tamen adolescens vllius doloris figu-
ostendit: quoad domum leonis catulum deportauit.

De Læna meretrice.

Mira profecto adolescentis Lacedęmonij patientia fu-
cum ætas tam tenera esset, sed & sexus cui virtutem na-
ra coniunxit, & patria disciplina ætatis supplere defectu
potuit. Itaque longè magis admirandum est tantum
plusque etiam & virtutis & patientiæ in fœmina atq
meretrice inuentum esse. Imbecillitas enim sexus & a
actæ vitæ turpitudo, ab omni fortitudinis atque patien
actu auertere eã debere videbatur. Huius admirationis
emplum Læna meretrix erit, quæ consiliorum Harmo
atque Aristogitonis, qui in Hipparchi tyranni vitam
spirauerat conscia, diu disquisitione habita, cum acerbi
queretur, nihil vnquam eorum, quę norat fateri voluit.
non minor patientia in hoc fuit quod sequitur.

De Epichari liberta.

Liberta Epicharis nomine, cum forte in notitiam
nisset Pisonianæ conspirationis aduersus Neronem, a
tior constantiorque supra fœmineum sexum, non satis
buit tantæ rei notitiam habuisse, se inter participes q
annumerari voluit. Puteolos igitur in Campaniam p
cta, miris modis operam dedit, vt præfectum nauali
lusium in coniurationis partem traheret. Cæterum i
gè vilior quàm muliercula rem omnem Neroni det
quam ob rem varijs grauissimisque cruciatibus tort
charis, quanquam Volusius coram quę ab ea accepisse
staretur, nunquam adduci potuit vt confessione sua
vllam aperiret, sed cum iam tortores defatigasset, &
ro corpore ingratam haberet vitam, se ipsam laqueo
pendit. In fragili enim sexu, quem nullius doctrinæ
armarât, plus inesse virtutis atque potentiæ ostendit,
veterum philosophorum permulti fecerunt.

De Quintilia Mima.

Sed Quintiliæ quoque Mimæ virtus patientiaque
minor quàm Epicharidis fuit, quanquam fœliciorem

tum nacta est. Nam licet theatralibus ludis vsque ad id tẽpus enutrita, ab omni virtute atque potentia longè videtur abesse debere. Tamen à Timidio accusata, quod Pompilij senatoris animi ac consiliorum aduersus principem Caligulam conscia esset, ignorare se eam rem semper dixit dum ad tormentorum locum duceretur, coniuratorum vni qui aderat dum transiret, pedem pede suo calcans innuit, vt bono animo esset, quod eum nominatura non erat. Atque inter tormenta in hac sententia fortiter perstans, tandem vt quæ per iniuriam hos cruciatus pertulisset libera fuit, permultis ad lenienda mala quæ pertulerat collatis muneribus. Cæterum ne prisci homines soli patientiæ laude insignes putentur fuisse, recentiorum hominum nonnulla exempla ponemus.

RECENTIORA.

De Barbara virgine Nicomediensi.

Quanquã patientiæ exempla, quæ scripta sunt, rectè cõsideranti, propter multa magnaq;, quæ in eis sunt, miranda videri debeant, tamen diligentius ea intuẽtes, inueniẽt tormenta ipsa minorem malorũ partẽ fuisse, quæ laturi vi debantur, neq; enim dubiũ erat, si non cõiurationes, quarum crimine accusabãtur, falsi essent, crudeli eos morte affectũ iri. Quãto igitur maiori laude dignos censere debemus, qui longẽ minori ætate, nec minus debili sexu, voluntariè propter iustitiam tanta, maioraq; etiam maiori patiẽtia pertulerunt, læto vultu, grauibúsque verbis, ea nihili esse facienda ostendentes, cum in eorum manu esset, si idolis sacrificare vellent, quibus eorum maiores assueuerant, non modo ea deuitare tormenta, verumetiá ingentia munera, non fine magna laude inter suos consequi, fieri hæc non potuisse videntur, & profectò grauia duráq; fuerunt, & tamen in antiquis martyribus, tanta multitudo eiusmodi hominum inuenitur, vt prius ipse scribendo deficere valeam, quàm vel minima eorum pars à me recẽseatur. Prætermissis igitur quę mira patientię laude, inter crudelia innumeráque tormenta, Apostoli tulerunt, vtpote quæ naturæ vim recentem Christi agnitionem transgressa sunt, ex martyrum numero non excellentiora quæque no-

tabimus, sed ea tantum, quæ prima nobis se offerent, sequemur. Qui enim auidiores omnia noscēdi erunt, his ab historia petendi ea facultas erit, quemadmodum autem in his quæ proximæ commemorauimus, patientiam in fœmineo sexu descripsimus, in eodem sexu recentiora scribētes: initium à Barbara virgine Diascoridis Nicomediensis filia faciemus. Hæc cum tenella adhuc Christianum nomen induisset, à parre ad Martium prætorem deducta, neque promisis, neque minis vnquam mota est, itaque cum diu grauibus plagis cæsa esset, neque id tormenti genus curare videretur, pedibus appensa iterum cedi cœpit, tūc quoque immobilis in sententia perstans, per brachia appensa fuit, & ne tum quidem quanquam ardentibus lampadibus pedes atque latera ei adurerentur, à sancto proposito discessit. Demum defectis vberibus, cum neque etiam tunc ea tormenta curaret, sed patrē grauissimis ac prudentibus increparet verbis, eum in tantam compulit rabiem, vt manu sua Barbaram interimeret, patientia profectò minimè fœminea, atque tantum Scęuolæ præponenda, quanto muliebris mollicies à virili robore, puellarisque ætas à militaribus præduríque annis superatur, præterquam quod ipse Scæuola, vt grauiora euitaret mala, ignibus manum iniecit. Barbaræ causa patiundi sola voluntas fuit.

De Catharina virgine Alexandrina.

Quà etiam patientia fuit Catharina Alexandrina virgo quæ læto vultu patientérque sæua flagella, præacutis serpentū gladijs rotas, denique mortem ipsam pertulit, virorum ipsorúmque philosophorum deuicta in tenera virginali quoque ætate patientia.

De Agatha Catinensi virgine.

Non minus miranda Agathę Catinensis virginis patientia fuit, cuius nomen, ob id solum, quia Christiana ferebatur esse, tanquam maleficæ mulieris, apud Quintianū Catinensem prætorem, cum delatum esset, spretis promissis minisque ac plagis atque fidiculis neglectis, cum insuper pectore defecta essent vbera, atque ex pedum plantis decussa cute, super tegularum fragmenta incedere cogeretur, intrepido vultu verbísque ceu eam tormenta non attingerent,

rent, defessis tortoribus, ipsa tamen inuicta mortem in carcere obijt.

De Eulalia virgine Hispana Emeritensi.

Deficiet me dies, nec labori sufficiam, si omnia fœminarum patientiæ exẽpla in Christiana religione scribere voluero, itaque modum eis posituru, quæ si religionis cultus absit, fidem nullam inueniant. Eulaliam solum virginem Hispanam, Emerita vrbe ortam, ponemus. Hæc omnibus cruciatibus grauius, quàm vllus vnquam pro Christi nomine torta, cum tertium decimum annum non impleret, mirum dictu, ne verbo quidem, aut vlla lachrymula donec animam efflauit, mutati animi aut doloris signa vnquam ostendit.

De Petro Diocletiani Augusti cubiculario ministro.

Diocletianus Augustus acerbus Christianorum persecutor, cum sciret Petrum vnum è cubicularijs ministris suis Christianæ religioni initiatum esse, dum ab ea deducere ipsum studet, plumbeis flagellis cædi, & deinde præacutis clauis dilaniari iussit. Cum autem inter hæc tormenta læto perstaret vultu, aceto saleque totum perfundi, ac deductum, vt erat nudus, in ferrea crate distendi iussit, vbi lentis ignibus aduri cœptus est, vt tormenti diuturnitas sæuius dolorem acueret. Cæterum ne ita quidem victus quo vultu fuit, cùm inchoarẽtur tormenta, hoc sibijpsi constãs, & vitæ & tormentis finem fecit.

De duobus iuuenibus Antiochenis.

Duorum Antiochenorum iuuenum miranda patientia, quæ lõgè Romanum Scæuolam prætergressa est, iniuriam patereturfi eam silentio præterirem. Nam cum eorum nomen imperante Diocletiano quod Christiani essent delatum esset, & propterea Diocletianus custodiri eos iussisset, blanda oratione diu tentatum est vt ad colenda Idola descenderent. Cæterum cum incassum laboraretur, & paratis tormentis ante aras vt sacrificarent, Diocletianus eos statui iussisset, concordibus animis respondentunt patientiæ suæ periculum se facere paratos. Ne quis confideret tormentorum magnitudine posse eos à Christiana fide deduci. Quod cùm dixissent, ambo manus sacrificij igni-

bus iniecerunt, nulloque doloris ostenso sensu tam diu eis manus tenuerunt, quoad vrendo deficcata carne nuda ossa reliquerunt. O non mira iam solum, sed prorsus diuinitus data in ferendis duris constantia: quam dignas, non in cœlo solum præmia feras, sed etiam in hoc secu scriptorem nanciscaris, cuius facundia tantæ virtutis magnitudo, vt gesta est repræsentari possit.

De Ioanne Boneto Veronensi.

Recentior, sed non minus insignis Ioannis Boneti Veronensis patientia fuit, cum ab Ecelino, quē à Romano oppido nuncupabant, Veronæ ac Taruisinæ Marchiæ principe, qui omnes crudelitate ceu nouus Phalaris ætate sua anteibat, ad prætorē Patauium Ansedinū ipsius crudelitatis ministrū missus esset, diu promissis primò allectus, deinde tormentis discruciatus, vt initæ in tyrannum conspirationis quosdam nominaret, quos ipse insontes norat, fortè doloris magnitudo, ad ea dicenda cogeret, quæ ipse sponte sua nunquam fassurus erat, in ipsius prætoris conspectu, sibijpsi dentibus linguam abscidit, atque haud multo pòst, inter tormenta defecit, quemadmodum eius patruus Thomasinus, eadem de causa ante defecerat.

De Bardilone Vincentio.

Quadam in parte Bardilonis quoque Vincentini patientia haud dissimilis fuit, qui cum aduersæ factionis assessionibus, quæ falsæ erant præmeretur, & propterea magistratui in custodiam traditus esset, & disquisitione habita torqueretur, cum tormentis putaretur adduci posse vt falsa fateretur, & ita perdi posset. Prius verbis se excruciuit, ne dolore vinci posse crederetur, deinde dentibus linguam abscidit, sanguineque inde largius manante Anaxarchum imitatus, perijt.

De Ioanne atque Hieronymo Hus Bohemis.

Patientia quæ virtus alioquin est insignis ob malos mites, quibus nonnunquam adhæsisse inuenitur: interdum mutata appellatione in obstinationis nomen transit. in Ioanne atque Hieronymo Hus Bohemis contigit, qui sacerdotij honore insignes, neque indocti ad Constantiense concilium iuerunt, vt rationibus hæresim eam

tur, quæ Husitana appellata est, de ecclesiasticorum paupertate, & Redemptoris corpore sub vtraque specie sumendo. Illic multis argumentis re tractata, cum eos catholici conuicissent, in custodiam missi sunt. Vbi cum in pertersæ opinionis sententia perstarent, ad locum in quo cremandis extructa erat pyra deducti Ioannes, aliquanto antequam Hieronymus, cum eos neque amicorum preces neque tormenti ipsius præparata species flecteret, postea quam succensa fuit pyra, clara voce Psalmos ambo decantantes, consumpti sunt, Christianis martyribus, nisi quod causa dispar videbatur, patientia similes.

De duabus Bohemis mulieribus.

In Bohemia, post Vincislai regis mortem, cum Husitana hæresis regionem, quemadmodum incultos hortos, maligna herba cito infecisset, Gallus quidam natione Picardus, nouæ hæresis scelus in eam intulit. Is Adami nomine, inter sectatores vsurpato, cum adoptiuum se Dei filiũ appellaret, atque redigere gentem ad primos hominum ritus vellet, instituit, vt nudi degerent, ac promiscuus fœminarum vsus esset, cuius turpitudinis magnitudinem abominatus Ioannes Zisca, quieo tempore magna ex parte Bohemorum gentium imperitabat, quanquam Husitana hæresi laboraret, gentem hanc, quæ Litmericij amnis insulam incolebat, adortus, omnem occidione deleuit, superstitibus tantum fœminis duabus, quod eas grauidas esse inuenerat. Hæ autem, cum neque ante, neque post partum discedere à sceleratæ disciplinæ instituto vellent, & propterea supplicio succesæ, rogo ignibus iectæ afficerentur, carmina modulantes, nunquã donec eas vita defecit, canere desiuerunt.

De Margarita Tridentina, & alijs Hæreticis Albigesijs.

Parem quoque obstinationi coniunctam Nouariæ patientiam ostendit, Tridentina mulier Margarita nomine, fautris Dulcini hæresiarchæ coniunx, cuius hæresis haud multum ab ea abhorrebat, de qua nuper dictum est, in eam sectam cum ingentem traxisset numerum, crudeliter eumburi maluit, quàm scelus quod profitebatur deserere. Id quod in Bonifacij octaui pontificatu actum fuit. Eodem quoque modo salutis anno ducentesimo ac decimo

supra mille, in Ocetanis, capto Bitera oppido, quod gentem eam Albigensium hæresis teneret, populi qui cruce insignati aduersus ipsos aliosq; male de fide sentientes expeditionem susceperant, optione omnibus seruandæ salutis facta, si ad catholicam fidem reuerterentur, centum octuaginta illic inuenti sunt, qui comburi, quàm erroris pœnitere maluerunt. Idem quatuor & septuaginta contigit, ex eiusdem sectæ hominibus, obsidione capto oppido Carcassone, in regione quam nunc Guienne dicunt, nam cum potestas eis facta esset, euitandi supplici, si abnegare hæresim vellent, hilari vultu præparatum supplicio suo rogum, quę iam succensa erat, canentes conscenderunt.

De Georgio Cella Nouariensi.

Aetate nostra Georgius Cella Nouariensis ciuis, cũ Bononiæ hæreseos conuictus esset, eumq; nec promissa, nec minæ à proposito deducerent, vt viuus cõbureretur, dãnatus fuit. Non vt cæteri quibus in eo mortis genere opera datur, vt laqueo appensi ad minuendos cruciatus celeriùs emoriantur: sed in summa pyra sine laqueo vllo constitutus, veste seuo delibuta amictus est, vt tormenti aucto terrore facilius à fero proposito reuocaretur. Verum cum in sententia perstaret, vt ad pœnitentiam quoq; regressus relinqueretur, in ima pyra prius cõiectus ignis, ita eam sensim succendebat, vt adhuc spacij permultum Georgio ad salutem retinendam, si eum pœniteret, daretur. Cæterum quò periculum magis augebatur, eò obstinatius, in hæresi permanens, & carmina semper decantans, paulatim donec pars vlla superfuit combustus est.

De Hieronymo Olgiato Mediolanensi ciue.

Quæ hactenus scripta sunt à nobis exempla, ea aut legendo, aut ab ijs qui viderunt audiendo, ad notitiam nostram peruenerunt. Vnius in hoc virtus genere nunc in medium nobis venit, quod certò à nobis visum possumus affirmare, vt ex hoc quod ipsi vidimus, quo patientiæ laude maius nihil posse esse videtur: eorũ quę nõ vidimus certior fiat ac magis confirmetur fides. Hieronymus Olgiatus ciuis Mediolanensis, ex quatuor vnus fuit, qui Galeatium Sfortiam Mediolanensem ducem occiderunt. Hic captus atque

atque in custodia acerbè discruciatus, vt eius cædis conscios detegeret, & si secundum ac vigesimum annum nondum excedebat, effigie molliq́ue corpore virgini quàm viro similior, neq; armis assuetus, vnde in hominum animis vigor roburq́ue cõparatur, funi quo torquebatur appẽsus, ceu si tribunali insideret: procul ab omni dolore clara voce intrepidoq́ue animo & suum & comitum facinus commẽdans, nullum vnquam pœnitentiæ signum ostendit. Intermissis inde tormentis soluta oratione carnifices q́ue suas, & sociorum laudes descripsit. Demum ad locum vbi excarnificaretur deductus, Carolum Francionumq́ue comites, qui præ timore exanimati videbantur, cohortatus carnifices orauit: vt à se prius inchoarent, vt eius exemplo comites patientiam discerent. Nudus igitur in disco protensus cruribus brachijsq́ue ad disci pedes deligatis, cum eos qui astabant præparatæ mortis species atque horror auerteret, ipse speciosis verbis atque intrepida voce peractum facinus extollens, nequaquam se quod tunc instabat sæuum mortis genus curare ostendit. A summo igitur humero vsque ad mediũ pectus lanij falce diuisus, nec verbis nec voce mutata, vitam simul cum catholica ad Deum oratione finiuit. O admiranda patientia, ô virtus priscis illis in quibus tantum animi robur fuit anteferenda, si alio in facino re eius experimentum facere contigisset. Inique profecto fortuna egisse videtur, cum tanto animi ac corporis robore ornatum virum non eo contulit, vbi aduersus catholicæ fidei hostes ostenderet, quanta Christiani hominis pectori virtus insideret. Nunc iniectis in principem suum manibus, quid Hieronymus egisse dici potest? nisi in Galeatij morte Italicam pacem turbasse? & tantorum malorum, quæ postea mors illa in Italia, atque Europa euersis vrbibus ac regnis secum traxit: quorum nullum adhuc finem intueri licet, causa fuisse?

DE IIS QVI HVMILI FORTVNA orti clarum sibi nomen vendicarunt.

Caput IIII.

VIrtus cui vt inuidia ita etiam plerunque fama comes esse solet, vt se nullis contineri vinculis ostendat, nõ

semper nobilitatem aut opes sequitur: sed veluti totius humanæ amica naturæ eam quærētes amplectitur, perspexit ad eos profecta qui humili loco orti sunt claros facit, atque in ora hominum euehit: spemque minimè ingratam licit esse omnibus integrum, & dum fruuntur vita, & posteaquàm mori contingit famam laudemque, vt infamiam quoque dedecus, prout ratio vitæ fuerit comparare. Quorundam igitur exemplis ostendemus, ignobili fortuna ortos famam ingentem obtinuisse.

De P. Virgilio Marone poëta.

Virgilio Maroni quod pater vt victum pararet, figulina exercuerit, aut etiam vt quidam alij, operarius esset, nō obstitit, quin inter eos qui obscuro orti loco grande nomen compararunt principatum excellenti fama non tenerat. Quod ei nomen & doctrinæ magnitudo & carminis excellentia inter poëtas peperit.

De Qu. Horatio Flacco & Statio Papinio poëtis.

Horatiū quoq; Flaccū lyrici carminis venustas, & Statiū Papiniū Thebais ac Syluæ ad grande nomē pertulere. Neq; obstitit quod Libertinus parēs vtriq; dicatur fuisse.

De Aeschine oratore.

Aeschinis fama maior est, quàm vt vllius testimonio egeat, & tamen certis authoribus traditum est, Athenis natum patre inopi abiectoque, in tantum vt publicè lucanicas venundaret.

De Theophrasto philosopho.

Quanquam Thyrtamus Aeschine dicendi præstantia minor non esset, qui tanquam diuinitus datum loquendi genus haberet, Theophrastus postea fuit appellatus, tamen nihilo sanguinis genere nobilior fuit. Nam si illi farror parens fuit, fullo Theophrastum genuit.

De Menedemo Athenienſe philoſopho.

Menedemo philosopho Athenis ob ingentis virtutis ac doctrinæ meritum, quod raro alijs contingit posita fuerit statuæ, atque in eo maior virtutis quàm natalitium habita ratio est. Patre enim ortus est, qui mœchanicum opus consuendis tentorijs conficiebat.

De Alpheno Varrone Cremonenſi.

Non
ro Crem
mentio
non fine
tonstrin
Sulpitio
vt Rom
tingit, d
Pyth
gnitudi
& ob ic
nomina
honesti
chus pa
Sed iam
seamus,
magnu
Iphic
insignis
Epamin
venit, v
ducem
dine pl
ti subij
patrem
Eum
cessore
inferio
est, vt
Quā
rum fa
Roma
exercit
priuat

Non minore fama Romæ atque in Italia Alphenus Varro Cremonensis, quam Menedemus Athenis fuit: cuius mentio his quoque temporibus inter claros iureconsultos non sine honore seruatur. Quanquam Cremonę adolescēs tonstrinam exercuerit, à qua profectus paruo tempore sub Sulpitio ad tantam ciuilis disciplinæ scientiam peruenit, vt Romæ consul factus fuerit, & mortuus quod raris contingit, de publico sepulturæ honorem assecutus sit.

De Pythagora philosopho.

Pythagoras philosophus quanquam ob doctrinæ magnitudinem non minus famæ quàm superiores obtineret, & ob id eius sectæ princeps fuerit, quàm postea Italicam nominauerunt. Tamen quantum legendo deprehenditur honestiore loco quàm illi natus non est. Etenim Nexarchus pater eius in tenui fortuna annularius sculptor fuit. Sed iam relictis qui per doctrinā excelluerunt, ad eos transeamus, qui aut partis regnis, aut insigni militari virtute magnum nomen adepti sunt.

De Iphicrate Athenienſi.

Iphicrates Athenienſis vir militari scientia admodum insignis, posteaquam Lacedæmonios prælio deuicit, atq; Epaminundæ feros animos retudit, in eam existimationē venit, vt Persarum rex Artaxerxes Aegypto arma illaturus, ducem eum quæsierit. Minimeque Barbarus rex magnitudine plurimum elatus, indignum sibi duxit Græcę se virtuti subijcere, & tamen tanti viri nequaquam in incerto est, patrem sutorem fuisse.

De Eumene Cardiano.

Eumenes quoque Cardianus inter Alexādri Magni successores annumeratus, virtute atque prudentia nullo eorū inferior, adeò inope abiectoque patre in Peloponeso natus est, vt se familiamque vecturis quas curru prestabat aleret.

De Viriato Luſitano.

Quàm ingens victoriarū cursus egregiorumque facinorum fama fuit, in Viriato Lusitano in Hispania? Nam cum Romanis quatuordecim continuos annos bellum gessit exercitibus ducibusque eorum victis atq; etiam captis. In priuata enim fortuna hoc annorum spacio populi illius

potēn-

potentiæ restitit, cui Carthaginis, cui Antiochi, cui Tigranis ac Mithridatis, totius denique terrarum orbis immensæ vires atque opes non fuffecerant. Maioraque enim praestitisset, nisi à suis proditum, cum maiora moliretur mors intercœpisset, & tamen parentes eius ipsumque pastoritia exercuisse ferunt. Quibus initijs venator, ac postea latro instructus, militari virtute eò euasit, vt in Hispania, quia inde oriundum suum duxerat, alius nullus maiore fama res gesserit.

De Arsace Parthorum rege.

Arsaces qui post Alexandrum Magnũ Barbarorum primus in Parthia regnauit, à quo postea Parthorum reges Arsacidæ, sicut Romæ qui post Augustum imperarunt Augusti sunt cognominati. In quam famam, quantumque regnum ascendit? cuius primi originis ob nimiam humilitatem notitia nulla habetur, nisi quod premente inopia primam ætatem latrocinijs exercuit, à quo vitæ genere audaciæ coniuncta virtus, in amplissimi regni imperiũ ingentesque nomen eum euexit.

De Ptolemæo Syriæ atque Aegypti rege.

Ptolemæus primus Lagi filius fuit, Lagus aũt sub Philippo Macedonũ rege inter equites annumeratus est, nullo alio honore maior. At Ptolemæus sublimiore gradu apud Alexandrum militauit. In cuius morte Syriæ atque Aegypti regnum sibi vendicauit, à quo qui secuti sunt reges, per longum tempus Ptolemæi nomen ceu peculiare tenuerunt.

De Agathocle Syracusano rege.

Longè vilior Agathoclis parentis fortuna fuit, nec tamen paternæ obscuritatis filium puduit, qui quanquam pene tota potitus Sicilia, quia figulinam pater exercuerat, in conuiuijs inter aurea vasa fictilia quoq; adhibebat, vt eodem tempore & paternæ obscuritatis, & magnitudinis in quam ipse euaserat, species repræsentaretur.

De Dauide Iudæorum rege.

Haud excellentiores putari oues quas Dauid paterque eius Iesse, atque maiores pauerunt, quam Agathoclis fictilia possunt, & tamen vt hic Syracusis atque in magna Siciliæ parte regnauit, ita ille meliore fortuna partum totius Iudææ regnum possedit, tanta morum sanctitate ac sapien-

tia,

tia, tanto animi atque corporis robore, vt post eum Iudæa verum regem nullum habuisse putetur, qui ex Dauidis stirpe non descenderit. Hoc quoq; tempore per terrarum orbem, vt sapiens sanctusque ac fortitudine clarus habetur, cuius Psalmi dum per omnem terram diuinas laudes resonant, qualis & quàm Deo gratus vates esset, ostendunt.

De Vespasiano Augusto.

Vespasiani qui ad Romanum imperium virtute conscendit, ac duos filios qui in imperio successerunt reliquit, maiores Rheatæ orti sunt & vixerunt. Inter eos Titus Petronius Centurionis ordinem Sabinusq; filius Primipili honorem nõ excesit. Primipili igitur honos magnus ad Romanum imperium conscensus fuit, sed maior etiam fuit eius qui sequitur.

De P. Aelio Pertinace Imperatore.

Omnis fatetur historia Pertinacẽ, qui virtute ad Romanum imperium sibi viam astruxit, etiam antequam ad imperium conscenderet, virtute ac sapientia inter eos, qui mirãdi sunt annumerandum fuisse. Neque tamen eius virtuti ignobilitas obstitit (etenim pater eius Aelius successus libertino patre, atque eodem mercatore ortus, interdũ mœchanicũ opus in Liguria exercuit) quò minus ipse ab obscura stirpe ad imperij culmẽ eueheretur. Laudi quippe sibi generis obscuritatem ducens, paternam officinã marmore exornauit, vt eo ornatu clarus appareret, quàm vili ex loco tanta virtus emersisset.

De Aureliano Imperatore.

Orbi terrarũ toti perspecta fuit insignis Aureliani virtus ac fama, & tamẽ eius patria propter ignobilitatem adhuc in occulto manet. Quidam in Sirmio, nonnulli in Mœsia, alij in Dacia ortum esse dicunt. Et quemadmodum de patria eius discordes sunt scriptores, ita omnes eius maiorũque humilitatem affirmant.

De C. Aurelio Valerio Diocletiano Imperatore.

Diocletianus qui ingenti animo cõcessum, ab exercitu senatuq; Romanũ imperium diu rexit, clarissimisq; victorijs illustrauit, adeò abiecto humiliq; loco ortus est, vt patrẽ eius quidam notarium, alij libertũ fuisse tradiderint.

De

De Maximo quo Pupienus dictus est Imperator.

Par quoque originis obscuritas Maximum Pupienum per virtutem vnà cum Balbino eò deduxit, vt ipsum Senatus populusque Romanus aduersus Maximinos Imperatorem delegerit. Etenim ferrario fabro ortum fuisse quidã dicunt: alij fabro qui plaustra conficeret tradiderunt.

De M. Iulio Licinio Imperatore.

Nihilo clariore ortu Licinius ad Augustale culmen ascendit, propter virtutem belliq; gerendi scientiam Galerio Maximo Augusto comes datus. Is in Dacia puer patrem admodum inopem, in ratione cultuque agrorum iuuit. Caterum postea rustico opere in militare munus conuersus, quatuordecim annos Imperatorium sceptrum miserando tamen fine rexit.

De Bonoso Imperatore.

Bonosus Imperator non modo ciuis Romanus nõ fuit, sed peregrino sanguine in Britannia natus, patre inope ac magistro ludi literarij ad Augustale solium euectus est. Verum iã tandẽ vetera omittentes ad recentiora transeamus.

RECENTIORA.

De Petro apostolo, & Ioanne Euangelista.

Piscatores piscatorumque filij fuerunt Petrus apostolus ac Ioannes Euangelista, tantumq; his initijs postea diuinę gratiæ virtutis q; assecuti sunt, vt nominis sui sanctimoniæque magnitudine totum terrarum orbem repleuerint: quorum memoria iam post tot secula apud Christianos omnes, ceu qui in cœlestium numero primarijs locis à Deo recepti creduntur, summa in veneratione est. Cui seculorium regnorũ maiestas quanquã inter principes alios emineat, subijcere se minimè pro indecoro duxit. Quinetiam templũ, honores adorationesq; quib⁹ humana potẽtia atq; adulatio regum, atque Imperatorum quosdam prosecuta est, longè excellentiores atque in plures gentes sparsas, Apostolis singularis ipsorũ virtus ac sanctitas peperit. Quandoquidem communis fidelium omnium consensus Apostolorum successoribus omnium, quæ in humanis rebus excellentia habentur maiestatem concesit.

De Mahumete sceleratæ legis authore.

Mirum

Mirum profecto videtur ex diuersis valdeque contrarijs causis similes prouenire effectus. Nam veritas continentia cæteræque virtutes Petrum atque Ioannem apostolos, in eam gloriam, de qua diximus extulerunt. At mendaciũ, libido cæteraque scelera (ne fideles ac iustos exercendi materia deesset) in non minorem venerationem ac famam Mahumetem euexerunt. Is in Arabia ex Arabe patre ortus, vectigales camelos agebat, vbi arte atque perfidia in eam magnitudinem conscendit, vt rex creatus propheta etiam putaretur. Mortuus quoq; in eam existimationem venit, vt dimidium terrarum orbem, ac multo plus in sceleratam disciplinam traxerit, vitæ quidem turpitudine: cæterum sagaci vafroque ingenio parta tanta gloria famaque, quantã innumerabiles philosophi prophetæque virtute ac scientia, ac martyres Christiani sparso sanguine magna in parte non obtinuerunt. Mahumeti enim id quod Herostrato contigit: nam Dianæ Ephesiæ templum succẽdit, vt apud posteros diuturnum sibi nomen compararet. Mahumetes quoq; sceleratè agẽdo docẽdóq., cũ fama diuinos quoque in terris apud sectatores suos assecutus est honores.

De Lamusio Longobardorum rege.

Melioribus artibus, sed non minore fortuna ad regium solium magnúmque nomen Lamusius tertius Longobardorum rex ascendit, qui à matre quæ publicè quæstum faciebat, cum alijs fratribus tunc cũ ipso ortis in fossam proiectus, vbi aqua stagnabat (quæ Longobardorũ lingua Lama nuncupatur) fortè in ea ab Agelmundo Longobardorũ rege conspectus est, atq; hasta quã is manu tenebat tactus, quia infans eã apprehendit & tenuit, Agelmundus illius tam teneri vigore permotus nutriri infantulũ iussit: atq; à Lama in qua eũ primò viderat Lamusium nominauit. Is hoc initio Lamusius adeò virtute excelluit, vt Agelmundo in regno succederet, atque eius stirps magna gloria vsque ad Alboinum in Longobardis regnaret.

De Primislao tertio Bohemorum rege.

Nõ minus famæ inter Bohemos sibi peperit Primsliaus, qui inopi atque rustico patre dum araret, sicuti Romę Cincinato contigit, à Bohemis ad ducatum vocatus, Libyssæ ipso-

ipsorum duci vir datus est. Id autem equi augurio Bohemorum gens egit: quod infrenatus recta ad Primislaum ipra aratrum manducantem equus cucurrit. Ea re impleta arbitrata quod ei prædictum erat, scilicet apud Bohemos regnaturum qui super ferream mensam manducabat. Eius adeò fœlix principatus fuit, vt Pragam vrbem muro cingeret, permultasque leges quibus Bohemi vixerunt, condiderit. Ea autem viri illius apud Bohemos reuerentia fuit, vt in primario templo ligneas soleas quibus arans vtebatur, diutissime seruarint, easque ceu sacram rem nouis regibus dum diademate ornarentur, præferrent. Vbi autem ille ducatum vocatus fuit, arans est inuētus, templum condita est: accoleque pagi illius in quo ipse agebat omni onere immunes facti fuerunt.

De Tamburlano Persarum rege.

Tamburlanus quem auorum nostrorum ætas, armis ingentitáque priscis principibus æqualem, regni autem atque exercitꝰ magnitudine Xerxe maiorē, nedū parē vidit. Quantum percipi potuit à Scythis ortus est, non regia stirpe aut insigni aliquo stēmate, sed patrem extrema inopia pastorem habuit. Inter pastores ipse nutritus et puerilibus ludis aptoribus rex creatus, astu nouáq; industria eos vt iureiurando imperata se facturos pollicerentur, impulit. Pecora igitur venundare eos, atque vt à tā inopi vita se vendicarent, arma equósq; comparare iussit. Hoc numero (ad quingentos enim peruenerant) quasdā mercatorum societates, quæ per eas regiones magno numero præsidij gratia commeare solent, & vulgo Carauanæ dicuntur, armis deuicit, atque in partienda præda adeò se inter comites iustum liberalemque præstitit, vt mutatæ conditionis pastores non modò non pœniteret, sed fide amoréque enixius ei deuincirentur. Ad compescendam prædonum audaciam mille equitibus dux in eius regionis fines, vbi hæc aduersus mercatores gesta erant, à Persarum rege missus, cum à latronum duce in colloquium vocatus esset, latronis arte verbísque deceptus ex hoste comes ei factus est. Interim inter Persarum regem fratrémq; eius orta controuersia, fratris causam latronum duces susceperūt: cui postquā regnū asseruere, maiore

exercitus parte ab eo impetrata, dum cum eo fingunt in exteris gentibus imperium parare velle. Compulsis ad rebellandum populis breui se qui ante Iatronum princeps erat Persarum regem fecit. Quod autem ischia debilitatus erat, eius nomini Temir (quod Scytharum lingua femur significat) lang Persæ addiderunt. Quod verbum prisca lingua ischia debilitatũ ostẽdit, coniunctisq; ambobus verbis Temirlang nuncupatus fuit. A nobis autem verbo ob linguarum dissimilitudinem viciato pro Temirlang Tamburlanus est dictus. Hic Persico regno Armeniam, Syriam Babylonemque, atque ingentes alias gentes addidit, vrbemq; Samarcantã ambitu maximo condidit. Sibi ingenti parta fama omnibusque quamuis paruo infœliciq; ortis loco spe facta, vt corporis animique virtute atque industria ad quæuis ingentia regna imperiaque euadere possint.

De Abdelmonio Africæ siue vt nunc dicitur Barbariæ rege.

Abdelmonio qui se totius Africæ regem fecit, parens dicitur fuisse figulus. Cæterum à falsis prophetis Mahumetanæ legis eum sibi populorum fauorem conciliauit, vt pulso vero regium nomen inuaderet: atque rex creatus Africæ magnam quoque Hispaniæ partem adderet. Sed iam barbaros omittamus, & de Italis scribere adoriamur.

De Sfortia armatorum duce insigni.

Italos autem à Mutio Attendulo auspicabimur, qui Cotiniola tenui vico, vt tunc erat inter Fauentiam Rauẽnamque vrbes ortus Sfortia ipse nuncupatus, Sfortianæ genti primum nomen dedit. Is Ioannem patrem cuius nondũ obscurata memoria est, inopem Cotiniolę accolam habuit agrorum cultorem. Ipse autem Mutius castra secutus prima militiæ rudimenta inter lixas calonesque posuit: virtuteque ad eum conscendit locum, vt Ioannæ quæ postrema Andegauensis generis Neapoli regnauit, omniũ militariũ copiarum dux esset, & magni Conestabilis honorem cum ea gesserit, multorum populorum in eo regno imperium assecutus. Moriens autem Francisco filio qui postea Mediolanensem ducatum adeptus est ingentem exercitum reliquit non sine magna fama, & Sfortiacæ factionis nomi-

ne, cui complurium regum, atque imperatorum affinitas coniuncta fuit.

De Nicolao Picinino & ipso militari duce percelebri.

Nicolai Picinini Perusini cuius, parens lanius fuit, cuius nomen ob ignobilitatem in obliuione sepultum est, tam tenui vilique principio ortus Nicolaus, virtute in immensum auctus, ingentes exercitus per Italiam duxit, multis atque insignibus prælijs victoria potitus, vnde fama nomini suo parta, macello in vrbe patria non minus honoris quàm Romæ Terentius Varro contulit.

De Francisco Carmaniola.

Picininus à Perusino macello ad insigne nomen euasit, pascendis quoque porcis non minus grande assecutus est. Franciscus Carmaniola ingentibus editis facinoribus, vniuersarum Philippi ducis Mediolanensis copiarum omnium dux creatus, nec verò minus pace clarus, cum vrbem Genuam singulari moderationis laude rexit, ingens sibi nomẽ peperit, adeò vt inuidorum delationibus à Philippo sine exercitu discedere coactus, primi militaris ducis apud Venetos vltro delatum honorem acceperit. Tantus vero in eo se virtute atque prudentia gessit, vt cum Carmaniola à Philippo duce, secundæ etiam fortunę, atque victoriæ ad Venetos transisse viderẽtur. Hacq; insigni laude mortuus est, quod partis ingentibus victorijs nullus vnquam exercitus, cui ipse præfuerit aduersæ fortunæ damna pertulit, longeq;, eo per fraudem sublato, plura Venetos amisere, quam ipse, cui licet serius decedere à vita contingeret, omninò tamen moriendum erat.

De Blasio Axareto Genuensi ciue.

Inter tam multa insignia eorum exempla, qui ab humili loco, ad magnum fortunæ gradum ascenderunt, haud per iniuriam annumerabitur Blasius quoq; Axaretus ciuis Genuensis, Is enim aurifice patre ortus, & ipse in Tabellionum ordinem ascitus, quod vna tantum triremi piratarum triremem ceperat, tantum sibi nominis compararuit, vt classi suæ Genuenses aduersus Alphonsum Siciliæ regem præfecerint, quo tempore, arcta obsidione is Genetam vrbem premebat, Nauali igitur prælio Blasius re-

gem ip
magno
uicit, a
tuti ho
cum a
tulisse
gitur o
lis fort
prælio
nu, dic
cum la
magn
nulli e
nam fi
gloria
capti g
to, qui
Aemyl
venit,
præter
Paulo
que Iu
multis
atque
rijs tri
uos reg
tur, &
cuius p

A se
vigesim
quod i
dit. In
veri Pe
perato
que an
tutem
eum in

gem ipsum vna cum Ioanne fratris Nauarriæ & ipso rege, magnoq; aliorum principum atque equitum numero deuicit, ac captos secum duxit. Itaque à Philippo, vt eius virtuti honos haberetur, in Vicecomitum gregem adoptatus, cum alijs quoq; expeditionibus præfectus, victoriam retulisset, per omnẽ Italiã celeberrimus est factus. Huius igitur ortus ex argẽtario operario, quẽ in vrbe Genua nobilis fortunæ locũ dici potest habuisse? quæ verò duob⁹ vno prælio captis ingẽtibus regibus, cum magna procerũ manu, dici potest victoria maior? aut dignior de qua homines cum laude loquerentur? Profecto & ortus ignobilitatem, magnam omnes fatebuntur, & huius victoriæ gloriam, nulli eorum cedere, qui gloria plurimum insignes fuerũt, nam si non armis, sed dolo Iugurtha capto Marius adeo gloriatus est, vt armis cum Sylla decertarit, quia Iugurthæ capti gloriam sibi vendicabat. Si Persa quoque rege deleto, qui alioquin inter ignauos annumerandus erat, Paulus Aemylius, propter laudis cupidinem in eam sui obliuionẽ venit, vt duorum filiorũ funera, sine doloris significatione præteriret, quanto Blasij gloria maior censeri debet, qui Paulo Marioque fortuna inferior, duos reges, Persa atque Iugurtha maiores, non dolo, sed vera virtute, vna cum multis principibus cœpit? hoc quidem solo fortasse Mario atque Paulo minor videri poterit, quod illi partis victorijs triumphorum honos exhibebatur, Blasius quod captiuos reges, duci Philippo, qui Genuensi imperio potiebatur, & non patriæ tradidit, tantæ victoriæ fulgorem, alicuius perfidiæ nota maculasse putatus est.

De Ioanne vigesimo secundo Pontifice Maximo.

A secularibus viris ad ecclesiasticos transituri Ioannem vigesimum secundum Pontificem commemorabimus, quod is ad Pontificatum virtute atque doctrina conscendit. In quo mores non per luxum ac desidiam corrupit, sed veri Pontificis sustinendo personam, Ludouici Bauari imperatoris efferatum animum atque superbiam armis atque animi vigore contudit. Cui rei cum multa alia per virtutem præclarè gesta addidisset, à vita discedens ecclesiasti cum imperium opibus, atque existimatione longè maius

quàm acceperat, reliquit: & tamen pro explorato haberur, patrē ei natione Gallum, tanta inopia fortunæque humilitate fuisse, vt cerdonica arte vitam tueretur.

De Nicolao V. & Sexto IIII Pontifice Maximo.

Aetate nostra Sarzanensis ciuis Thomas, qui postea fel Nicolai quinti nomine Pontifex Maximus fuit cunas ma ter oua pullosque vendebat, & Franciscus Rouerus Mo norum fratrum ordinem professus, Sauonensis ciuis, qu & ipse Pontificatum sub Sixti quarti nuncupatione ado ptus est. Patre ortus qui semper nauticam exercuit, multi in sacro senatu præteritis, qui in magnis opibus princip sanguine nati erant, ambo sola virtute doctrinaque ad ti ad Apostolatus apicem per temporis interualla ascen runt, magnaque laude ac fama claues tenuerunt, vrbe Ro ma ita ædificijs exornata, vt eorum temporibus depol senio ad iuuentæ honorem restitui videretur. Neque v in parte vel Nicolai maternorum ouorum, vel Sixti pa remorum non modo suppudere, sed longè magis tam ob scuræ originis vilitate, cui ingens coniuncta fuit virtu quàm multorum aliorum Pontificum magnis natalibu fine virtute videatur gloriari debere.

De Ioanne Antonio Campano.

Ioannes Antonius Theramnensis episcopus, omni sa ptorum genere nulli ætate nostra secundus, vt poce priscorum in dicendo laudem si non superauit, eis minim pudendus æquare saltem visus est. Cauellis Cāpaniæ pag vnde ei Cāpano cognomentū fuit ortus est, atq; in eo pa er, pastoriciā vt ante pater atq; eius maiores exercuit. quāta in his virtus laude digna est, qui nō opib. nō genere nobilitate adiuti, ipsi ignobilitatis nubē, qua tecti latebā discusserunt, & virtute ceu face prælata, se orbi manifest ostenderunt, contrà tantò ij magis culpandi, qui non mo do nullam præstant operam, vt eos propria aliqua latē tus que illustret, sed scelere atque ignauia, relictum virtu opibusque maiorum splendorem, obfuscant. De ij de fœda re, vt adolescentes eorum exemplo, ab ig nauia scelereque deterreantur, quædam pauca subiung mus exemplo.

DE HIIS QVI CLARIS ORTI PARENtibus degenerarunt. Cap. V.

De Cteſippo Cabriæ Athenienſis filio.

CAbriæ Athenienſis qui magnis virtutibus magnisque victorijs apud Athenienſes excelluit, & qui multo fœlicior fuiſſet, ſi nullis procreatis liberis è vita diſceſsiſſet, Filius fuit Cteſippus adeò à paterna virtute degener, vt perſæpe Photionem eius tutorem virum alioquin patientiſsimum vecordia Cteſippi dicere coegit: ea quæ ob Cteſippi ſtolidam mentem perferebat, ad referendam cumulatè pro acceptis à Cabria meritis gratiam abundè ſufficere.

De Gerſa & Eliezer Moyſis filiis.

Tam nota eſt Moyſis gloria ac virtutis magnitudo, vt indicari non egeat. & tamē qui olim paſtor Hebræum populum dura ceruice ſeditionibusque inſignem rexit, magnisque contentionibus perpetuum ſacerdotium fratri ac ſucceſſoribus reliquit, nónne Eliezer & Gerſam filios iuxta legem ex ſe ortos indignitatis ſucceſsione præterijt. Etenim in eis neque ingenium, neque vllum intuitus eſt virtutis genus, quod tanto poſſet oneri ſufficere. Atque ob eā rem in Hebræorum hiſtoria de eis niſi perexigua, vt de abiectis mos eſt, mentio eſt facta.

De C. Caligula imperatore Germanici filio.

Quantum Germanicus animi vigore, prudentia, atque morum honeſtate præſtitit, tantum eius filius Caligula animi ignauia, libidinibus atque ſtultitia ab eo degenerauit. Quem quamuis ad Romanum imperium fortuna euexerit, permulti tamen Germanici virtutem in alicuius priuati hominis fortuna, quam Caligulæ in tanto ſcelere imperium maluiſſent. His additur quod defunctum Germanicum non Romanus tantum populus amicæque gentes, ſed barbari quoque lachrimis, ceu communem parentem proſecuti ſunt. At filius Caligula ob eius ſcelera nedū lachrimis, aut alio inſigni honore, ſed ne publica quidē ſepultura dignus eſt iudicatus,

De Commodo imperatore M. Antonini philoſophi filio.

Marcus Antoninus Philoſophus qui Romæ imperauit

omnium virtutum singulare exemplum, Commodum malium imperij, & non virtutum hæredem habuit, atq; ob eam rem non sine magno dolore magnum persæpe sui desiderium reliquit. Etenim Marci bonitate in filij Commodi malitiam mutata, clementiaque in atrocissimam crudelitatis carnificinā, cū eum ferēdo Rom. populus esset defessus, Commodū interimere coactus est: cum iam palam in vrbe ferretur Cōmodū nō Marci, sed lanistę gladiatoris filiū fuisse. Neq; enim fieri posse putabāt vt è tāta Marci virtute tāta scelerū labes ꝓdiret, neq; Marci gloriæ aliud magis defuisse, quam vt filijs orbus vitā finiret, videbatur.

De Licinio Galieno Imperatore P. Cornelij Licinij Valeriani filio.

Valerianus Augustus virtutis magnitudine inter clarissimos principes cōmemorandus erat, si virtuti, par in eo felicitas fuisset. Hoc patre ortus est Galienus, adeò ꝓpter fœderatas mores patri dissimilis, vt propter insignē impudentiā atq; vecordiā, nō paternos tantū militares duces abimperio rebellare cōpulerit, verū etiā egerit vt Zenobia atq; Victoria imbecilles mulieres (quod antea nūquā visum erat) asciscere sibi imperij habenas auderent. Itaque quos ingēs atq; pacatū à Valeriano patre imperium acceperat, imminutum atque lacerum miserandū in modū reliquit.

De Carino imperatore Cari filio.

Carus quì Probo Augusto æquè animi bonis, vt in imperio successerat, & qui animo ingenti finibus auctis fingulari sanctitate populos rexerat, Carinum filium imperij successorem habuit, moribus adeò patri dissimilem vt prorsus simile nihil haberet. Fuit Carus animo magno, ingenio usque rei magis quam iusticiæ moderationis atque continentię cultor, At contra Carinus impudicus, iniustus, atq; moq; prorsus efferato: adeò vt pater cum eius suppudere de successore rei creando, atque etiam ad minuenda publica mala, de adimenda ei cum cæsarea dignitate vita cogitaret, effecisset q; nisi iniqua nimis Romano Imperio fortuna hęc animo agitantē Carum repentina morte intercepisset.

De filiis Samuelis prophetæ.

Quod Carus ob sceleratam Carini filij vitam agere decreuerat in Romano imperio, Samuel propheta quo

indicia in Israel habebat ob filiorum scelera peregit. Nam cũ propter grandem eius ætatem filij populum regerẽt rapinisq; dilaniarent, Saulum primũ ac nouum regẽ in Israel constituit, ne filiorum auaricia & scelus (id quod iam agi cœperat) ipsius iustitiam ac bonitatẽ macularet, adeò vt per dissimiles filios ex fulgenti sole tetra nubes prodijsse videbatur, id quod in recentioribus quoque nonnullis intueri licet, è quibus pauca quædam exempla subijciemus.

RECENTIORA.

De Henrico Imperatore Henrici secundi filio.

Orbi satis fine alio teste patet Henricum Liustitiæ, pietatis atque catholicæ fidei cultorem fuisse. Nam prudentia atque autoritate schismata compressit, atque ecclesiam semper tutatus est. Henricum tamen tertium reliquit à paternis virtutibus prorsus degenerem. Insigni enim crudelitate notus, non modo vt pater non cõpresit, sed malignitate sua concitasse, aluisseq; schismata putatus est. Ob quæ crimina tandem Augustalis culminis maiestate priuatus est.

De Vincislao Cæsare Bohemiæ rege Caroli quarti filio.

Carolus quartus Bohemiæ rex magnis virtutibus ad imperium vocatus, catholicæ fidei cultor animi plenus atque doctrinæ habitus est. Itaque non pacatum solum tenuit imperium, verum etiam virtute sua obtinuit: vt Romanorum Rex Vincislaus filius creatus paterni imperij successor designaretur. Sed cum pro virtute venerem voluptatesque amplexus, paternos mores deseruisset, & mortuo patre non esset, qui virtute sua filij errata tegeret, ob scelus atque ignauiam non modo patri in imperio nõ succesit, sed etiam ea quam iam assecutus erat dignitate, vt indignus, est priuatus.

De Noradino Damasceno Sulthano Saladini filio.

Aeque Noradinum propria ignauia ab imperio deiecit, quod ei patris Saladini virtus pepereat. Damasci enim regnum ei Saladinus reliquerat, vnde ob ignauiam à populis exactus est, Saphadino patruo ei suffecto. Adeo autem à paterna virtute degenerauit: quod vbi Saladinus auctũ regnũ moriens optimiq; principis quantum

infidelium vllus ante eum vnquàm nomen reliquit, in hic amisso per ignauiam patrimonio eò redactus est, vt frater misericordia vitam tueretur, atque ita cum ignauissimis hominis dedecore moreretur.

De Ioanne Vicecomite primi ducis Io. Galeatij filio.

Animo ingenti liberaliq; atq; omni virtutis genere ornatus, quæ in magno principe desiderari poterat habitus est Ioannes Galeatius, qui Mediolanensis ducatus titulum primus indeptus est. Suis charus atque hostibus formidolosus magnam Italiæ partem possedit, quàm ingenti virtute ac gloria parauerat, adeo vt multis Christianorum populorum regibus superior, potiusquam par putaretur. Inter filios quos reliquit vnus Ioannes nomine ei in ducatu successit, Phalaride ipso crudelior, & in omni virtutis genere à patre adeò alienus, vt acerbo hostis ei videretur. Quod virtute sudoreq; pater pepererat, is amens ridendo magna parte amisit: suisq; demum inuisus, atque contemptui factus ab eis occisus est. Alius Gabriel fine matrimonio natus haud amentia dispar, amissis Pisis quas possidebat Genuę securi palam percussus est. Horum duorum calamitosi exitus amissas in patris morte prorsus esse eius virtutes ostendebant, nisi tertius filius Philippus, ceu inter mortuos ducatu potitus aliqua in parte excitasset.

De Francisci Sfortiæ filijs.

Soceri vestigia secutus Sforcia, qui ei in Mediolanensi ducatu armis successit, omni virtutis genere inter Christianos principes plurimum excelluit, neque vero Traiano humanitate cessit, aut Alexandro pro fortunę suæ capite liberalitate inferior habitus est. à tanta virtute filij degenerasse putantur, quod natu maior Galeatius ambitioni esse ferebatur, & in libidinem haud parum propensus, si quod tamen ætas, neque enim secundum ac vigesimum annum excedebat, cum ad Ducatum conscendit, excusare potest. Addunt præterea nequaquam animi vigore eum elatæ menti respondisse, sed vt minimis successibus efferebatur, aduersis etiam effœminatè nimis cedebat. In Philippo qui secũdus fuit, si corpulentiæ quam iniquenta prasse tulit, par ingeniũ fuisset, de eius vecordia, concitati re-

mores

mores dicendi minorem materiam præbuissent. Sequitur Ludouicus, nam ptæter Ascaniũ, qui magnum se virum, quanquam aduersa esset fottuna ostendit, & Sfortiam legitimè ortum, cuius quanta esset virtus, apparere non potuit, quia cum armis redire ab exilio in patriam moliretur, fata hominem interceperunt, alios commemorare nihil refert: de Ludouico igitur grauior aliquantò fama manauit, nam religionis atque iustitiæ, cuius nos cultorem vidimus, institutionem fingi ab eo, ad cõtinendos facilius in fide populos ij ferebant, qui in casibus suis, sub ipso remedia non tulerunt, elati quoque animi, id quod nimijs fortunę successibus accidere solet, & auaritiæ infamia laborauit: quorum postremum ministrorum culpæ ex toto ascribi posset, qui sub eius nomine diuinis humanisque rebus turbatis, omnia in priuatam vtilitatem suam retulerant, nisi ipsius hoc crimen proprium esset. Nam in administrando ducatu, dum primi honoris titulum vt accipere, persuaderi sibi passus est, pecuniæ publicæ prefectis, ad id pecuniam necessariã pollicẽtibus, nimis temere in se atque in populos ius omne permisit. Libidinum quoque intemperantia id ei contigisse putarunt, qui molli fracto que eum animo, in aduersis rebus esse viderunt: vt cumq; ea fuerint, illud inficias iri non potest partum armis à patre imperium quod in singulari omnium beneuolentia ac charitate vsq; ad mortem posedit, ipse motis à Ludouico duodecimo Gallorum rege armis, cum numero militũ superior esset, sexto decimo die amisit. Cæterum ne viuentes fortasse lædantur, manum contrahamus, & iam ad eos transeamus, qui fortuna illustri, in vestibus atq; alijs rebus, communem morem, dum licere sibi omnia putant, transgressi sunt.

DE HIIS QVI PATRIAE CONSVETVDINEM *in vestibus & alijs ornamentis excesserunt*, Caput VI.

PRopriæ virtutis confidentia atque immensis fortunę successibus, interdum homines compelluntur, vt in vestibus alijsque ornamentis patrię morumq; eius obliti plus sibi quam per bonos mores licet indulgeant. Ali-

quot igitur exempla illustrium virorum commemoraturi sumus qui eiusmodi in rebus sibi frena laxarunt, Neque verò Neronem attingemus, quod in citharistarum habitu incesserit, sibiq́ue ea forma poni statuas voluerit, nec Caligulam scribemus quod fœminea veste vteretur. Nec enim digni sunt qui inter illustris fortunę principes enumerentur, cum scelerum caligine in obliuione se demerserint. Verum de his tantum dicemus qui maiori parte, aut virtutis aut victoriarum magnitudine hanc sibi laudem vendicarunt,

De Alexandro Magno.

Macedonum rex Alexander superatis Persis abiecta Macedonica modestia, vestem patriam, Persicis ornamentis mutauit, quare Macedonum animos à se auertit, quibus non Macedonum arma de Persis, sed Persarum delicię de Alexandro triumphare videbantur. Etsi ob id re sæpe offenderit cũ patria veste Macedonicam quoque militarem virtutem non exuisse, Nam post eam mutationẽ de hostibus multas magnasq́; victorias sæpius peperit.

De Gn. Domitio Aenobarbo.

Gn. Domitius Aenobarbus deuictis Aruernis Allobrogibusq́;, quos hæc tempora Delphinenses & Subaudienses appellant, noua atque inusitata facie elephanto vectus, inter legiones ceu triumphans per totam Italiam ad vrbem Romam profectus est.

De M. Antonio Triumuiro.

Nõ minus insolenter se gessit in triumuiratu M. Antonius, qui post partas ingentes victorias summamque dignitatem ardente terrarum orbe, ciuili bello Actiaco, Greca veste vtebatur, ociosusq́; deambulabat: deinde ad libitum motus, quæ ei à natura erat insita, præter omnẽ Romanum morem, & ipse & filij quos ex Cleopatra genuerat, in aureo throno sederunt, & quia stirps eius ab Hercule dicebatur manasse, super arma leonis pellem induit.

De Sex. Pompeio.

Pari quoque modo Sex. Pompeius Magni Pompeij filius, nauali bello potitus victorijs, aduersus Octauium magis ventis quàm alia re adiutus, paludamento cęruleo vsus

ast. Marini enim & cœlestis coloris esse fertur, cũ gestare purpureum Romanus mos esset.

De Zenobia Palmyrensium regina.

Zenobia Palmyrensiũ regina cũ desertũ in oriente imperiũ Galieni Augusti ignauia ipsa tueretur, sumpto à virtute præclaris facinoribus suis animo quoties alloqui exercitũ volebat, armata virilẽ induebat vestem, atq; eo more quo cęteri Cęsares atq; Augusti Rom. se ostẽdebat. Quinetiã vt vestem imperatoriam, ita etiam nomen vsurpabat.

De Aelio Adriano Imperatore.

Non minus in Aelio Adriano ambitionis fuit, cum vt noua specie tueretur primus inter Rom. Cæsares Barbarorum regum more barbam nutriuit, vt ita ab alijs qui ante eum fuerant differre videretur.

De Aureliano imperatore.

Aeque ac Zenobia confidentis animi signa Aurelianus Imperator reliquit, qui multis partis victorijs aduersus barbaros atque tyrannos cum triennio totum pacasset imperium, quod vix expeditus homo peragrare posse videbatur, Augustorum primus regio diademate vti voluit. Cum vsque ad id tempus alij imperatores quibus modestia inerat, haud à cæteris disparem habuissent habitũ, nisi quod soli cum magistratibus purpura vtebantur.

De Ca. Aurelio Valerio Diocletiano Imp.

Diocletianus quoque cum pacatis in Oriente rebus imperij fines protulisset, impulsus victoriarum successu, qui plerunque insolentiam parere solet, primus inter Augustos post ignauum atque eundem vanissimum Caligulam, veste, atque calceamento gemmato vti cœpit, atq; ante alios instituit, vt Romani eius pedes deoscularentur.

De Dauide Iudæorum rege.

Iudæorum reges ab alijs Iudæis solo nomine discerni mos erat. Cæterũ postea quàm Dauid Ammonitas bello superauit, vrbemq; eorũ munitissimã nomine Rabath vi cœpit, diadema assecutus quo eorũ rex vtebatur, quod magni erat pretij, gestare incœpit, vt insigni diademate nõ venerabilior solum, magisq; cõspicuus in posterum esset, sed vt simul quoq; ingentis victoriæ recordatio repeteretur.

De

De Aristobolo Iudæorum rege.

Aristobolus quoque cum patri Hircano in Iudęorum pontificatu atque principatu succesisset, deuictis Iturę incircunciisisque, quia Dauid hostile diadema vsurpare cœpit, ita ipse primus Assamoneorum Machabæorum anno vno & octuaginta tribusque mensibus post quadringentos, à prima Babyloniorum captiuitate, Iudaicũ principatum in regni nomen conuertit; gentique suæ diadematis insigni restituto primus illud capiti suo imposuit, atq; Pontifex & rex appellatus est. *De Gratiano Imperatore.*

Gratianus Augustus parta ingenti victoria in Gallia aduersus Germanos, haud longè ab Argentuaria vrbe, cum percharos haberet milites quosdam Alani generis armisque Alano more vteretur, magna Romanarum legionum indignatione, equo quoque atque amictu, vt cæteri Alani cœpit vti. Quare Maximo, qui ab eo rebellarat, de se facilliorem victoriam fecit. *De Leonegildo Hispaniarum rege.*

Inter recentiores etiam Leonegildus Gothus Hispanorum rex partis ingentibus victorijs, ac multis gentibus subactis fortasse ex fortunæ successu, quo persæpe in vitia virtus delabitur, regio diademate primus vti cœpit, cum ante id tempus alij Gothorum reges non alia re magis, quã nomine cæteris gẽtis suæ hominibus dignoscerẽtur.

De Carolo Caluo imperatore ac Gallorum rege.

Pari insolẽtia animi Carolus Caluus Gallorũ rex posteaquã regno imperatoris nomẽ addidit, depositoque amictu quo cæteri Gallorũ Augusti ante eũ vsi erãt, Græca veste perpetuoq; diademate ornatus incessit, capite orientalis regũ more inuoluto. *De Ludouico XI. Gallorum rege.*

Contra Ludouicus 11. Gallorum rex Caroli septimi filius, gloria regnoque atque in primis liberalitate quanti vllus superiorum regum ingens multis victorijs claruit. Cum alij reges auro sericoque amicirentur, lana autem byce induebatur, asinumque pro equo nonnunquam in vsum adhibebat, & quo præciosiore veste vt fulgerent alij curauerant, ipse vt viliore amictus inspiceretur operam dabat. Fortasse ob eam causam, vt cum inter Christianos reges omnium maximus liberalissimusque haberetur, qui vi-

derent

derent eum, habitus humilitatem mirarentur.

Alphonsus Aragonius patre Ferdinando primo ortus posteaquam Turcas deuicit, à quibus magno Italiæ periculo Hidruns vrbs in extrema Calabrię ora occupata fuerat, armatus, falcata ense in Turcarum morem fortasse, vt nobilis victoriæ memoriam excitaret, persæpe vtebatur. Cæterum huius generis exempla tandem omittamus, & ad ea transeamus quę sui ipsius ingentem fiduciam habuerunt.

DE SVI IPSIVS CONFIDENTIA Caput, VII.

SVi ipsius cõfidentia si à militari egregia virtute, aut ab semẽdatissimis morib. aut ingẽti doctrina ꝓficiscatur vt plurimũ fœlicẽ nãciscitur ventũ. Id ꝙ cõtra euenit cũ cõfidẽtiæ immodica audaciæ magnitudo, aut impudens iactãtiæ studiũ causa est, sicuti sequentibus exẽplis ostendetur.

De Cleone Athenensi.

Cũ Athenis in republica administrãda perpetuas cõtenti ones Cleõ atq; Nicias exercerẽt, quorũ Nicias peritissimꝰ rei militaris dux habebatur. Cõtigit vt Græcis ꝓlio ab Athenięsium exercitu superatis, quadringenti Lacedæmones se in Stagyrã insulã reciperent, eos in potestatẽ suã redigere Athenienses plurimum cupiebant, & propterea in insula ab Athenienſium copijs obsidebantur. Sed cum potiti insula quanquam magnis laboribus defunctos Athenienses, hyems sæua simulque loci situs egregie munitus ac præterea obsessorum singularis virtus non pateretur, hac de re Nicias Cleonque sæpius contenderunt. Itaque quod ea res voto non responderet, culpa Niciæ quia dux rei gerendæ fuerat ascribebatur, adeò autem inter ipsos contentio exarsit, vt Cleon, si illius expeditionis munus ei soli demãdaretur, se breui & feliciter finiturum offerret. Decreta igitur ei prouintia, tantum fiduciæ Cleon præ se tulit, vt Athenis abiens dixerit intra viginti dies se Lacedæmonios qui obsidebantur aut occisurum, aut in potestatem viuos habiturum. Huius fiduciæ fortuna quoque aspirauit, vt quod Nicias militaris dux præstantissimus perdifficile cẽfuerat, Cleon intra designatum tempus fœliciter conficeret. Virtute enim, victa temporis ac loci difficultate, simul hostium

hostium qui obsidebantur fractis viribus parte eorum cesa, alios captiuos Cleon Athenas perduxit.

De Agesilao Lacedæmoniorum rege.

Lacedæmoniotum rex Agesilaus ipse quoque in prima iuuenta, cum non sine ingenti Græcorum omnium trepidatione grauis fama manaret, Persas ingenti exercitu in Græciam traiecturos, ciuibus suis paruo exercitu obtulit se non defensurum modo patriam, sed in Asiam quoq; traiecturum, atq; inde de Persis aut victoriam, aut honestam pacē reportaturum. Huius animi fiducia fretus Lacedæmones, decem milia armatorum ei dederunt. quibus copijs Agesilaus in Asiā profectus, prælio Persas deuicit, ac deinde à ciuibus suis in patriā reuocatus, integras copias lætus victorq; domum reduxit.

De Alexandro Magno.

Ingentem animi fiduciam Alexander ostendit, cum antequam in Asiam transiret, immunitates redditusque ingentes in Macedonia donaret. Cum autem Perdica amicorum vnus ei diceret: Omnia dando quid sibi retineret? respondit, Spem, bonaque Persarum. Admirabili fiducia ostendens, se quod adhuc in potestate hostium erat ceu rem propriam ducere. Ea permoti spe Macedones spretis muneribus, quæ tunc Alexander representabat, sola ipsa spe cum ipso contenti manserunt, longe pluris eam quæ nondum venerat, quam præsentia munera facientes.

De Aurelio Valerio Probo imperatore,

Probus quoque imperator non minorem suiipsius fiduciam ostendit, cum captis Ptolemaide Coptoque vrbibus, Narsetis Persarum regis oratoribus, qui cum ingentibus donis ad se missi erant, dixit, Vt tegi suo referrent: mirari Probum, quod è tantis rebus, quæ cū iam captis Probi futuræ erant, ijsq; bene vsurus esset, tā parua ad ipsum partem misisset? Qua animi confidentia Persæ moti, præ formidine pacem petierunt, qui vsque ad eam horam bellum Romanis inferre ausi erant.

Iterum de Probo.

Quanta etiam laude digna fuit eius confidentia? cū post domitę Oriēte toto, dixit, Cōfidere se breui efficere posse, vt

vt Romanum imperium milite amplius non egeret, Sanctitatis profectó plenum verbum. Quid enim aliud hoc esse poterat? nisi pace iusticiaque omnia moderari, vt vltra nec bellum, nec belli suspicio esset futura, quia omnes sorte sua contenti essent mansuri. Opus profecto tam cęteris excellentius rebus magisque laudandũ, quantò illius imperij magnitudo omnem alium principatum excedebat. Neque verò ab animi vanitate atq; iactantia proficisci vox illa videri poterat, cum nihil temerè sibi Probus vnquàm arrogare videretur: etenim virtutis eius experimẽto in Oriente facto iam in prouerbium venerat. Ita Probi sapiẽtia in Oriente res cõpositas esse, vt illic nemo quidem immo destã vocem edere auderet.

De Antigono Macedonum rege.

Cum Antigonus Macedonum rex, cum classe apud Andrum esset, & militum vnus hortaretur, vt inde abiret, quia hostium classis nauium numero maior appropinquare dicebatur, vt qui ingentis animi plenus erat, Antigonus respondit. Et me pro quanto nauium numero censes? Hoc enim modo animi sui vigore æqualem hostium multitudini ostendi se posse.

Iterum de Antigono.

Quæ hactenus de animorum confidentia scripsimus omnia ad militarem virtutem pertinuerunt. Nunc ea quæ sequuntur ex parte vitę synceritatem ac morum temperantiã testabuntur, Virtus profecto nec minus rara, nec propterea paucioris facienda. Huius exẽplum Antigonus quoq; de quo diximus præbebit. Nam cum ad regiam dignitatem recens ascendisset, & haud obscurè populi eam rem queri dicerentur, virtutũ suarum conscientia fretus, in populorum conspectu, diadema sceptrũq; deposuit, palamq; monuit, Si aliũ quempiam se regno digniorem inuenirent, ad eũ ex arbitrio diadema sceptrũq; deferrẽt. Cõmemoratis ante ijs rebus quas magna virtute gloriaque gesserat, ita huius animi fiducia populos mouit, vt vltrò omnes ad capescendũ denuo regnũ hortarentur, ac magnis precibus peterẽt, quod ipse constanter renuit, nisi ante de seditionis auctoribus supplicium sumeretur.

De

De M. Catone.

Non minorem sui confidentiam senior Cato in Censura petenda aduersus competitores ostendit, cum altiore conscendens locum palam dixit: Romanos mores sæuero medico, non autem molli egere. Atque ob hanc rem illos qui animi morbo laborarent, quia eis notus esset, ipsius censuram deuitare suffragiaque ad competitores deferre, ne esset qui ipsorum errata corrigeret. Itaque si populo Romano virtus curæ esset, odioque vitia prosequeretur, atque Romanos mores ad priscã frugalitatem restitui vellet, Valerio Flacco sibiq; censuram deferrent. Hac oratione motus populo, cum alijs prælatus esset, censuram assecutus tanta integritate administrauit, vt ei in foro populus Romanus statuam poneret, addito titulo qui testabatur Catonem Censorem statuæ illius honorem meritum esse, quod dilutos Romanos mores prudentia sua ad priscã frugalitatem atque virtutem restituisset.

De L. Sylla Dictatore.

Lucius Sylla dictator post multos ciues patria exactos, sparsumque ciuilibus bellis sanguinem, depositа Dictatura cum in foro deambularet: Interrogatus quomodo tam multis crudeliter, atque auarè perpetratis rebus, à tam sublimi loco, vbi imperabat, iterũ ad priuatã vitã redire ausus esset? respondit: Si necesse esset, omnium quę in Dictatura gessisset, se rationem redditurum. Quo verbo fortasse innuit, crudelitatem rapinasque ceu medicinam ad coercendum seditiosum auarumque populum necessarias fuisse, vt in grauibus moribus contingere solet. Persæpe enim insulsis cibis gustuque in humanis pharmacis, nonnunquam etiam sectione ignibusque medentium ars, male valentibus afferre opem quærit, quæ omnia molestia plerumque, interdum etiam doloris plena sunt, & tamen sine his recipi ac retineri salus non potest.

De Epaminunda Thebano.

Memoranda quoque est Epaminundæ Thebani confidentia, in qua multò plus quam in Sylla temperamenti fuit, qui à ciuibus suis aduersus Lacedæmonios in Peloponesum missus, quanquam sciret apud Thebanos capitale

le esse, prætura præfixo tẽpore non cedere. Tamen perspiciens eo bello Thebanos superatum iri si finito præturæ tempore, expeditio alijs demandaretur, præteritorum facinorum suorum conscientia fretus, collegis persuasit, vt adhuc quadrimestre tẽpus in imperio, quod solis Prætoribus dabatur perseuerarent. Quo tempore bello Lacedæmonios deuicit, & Thebas reuersus collegas monuit, si accusarentur, quod tempore quod per leges debebant imperium non tradidissent, ipsi vni culpam omnem assignarent. Id quod ab eis cum actum esset, ipse in iudicium vocatus, non negauit legem se transgressum esse mortemque mereri. Quod si vt morte mulctaretur volebant, illud petebat, vt saltem tumulo inscriberent: Epaminundam morte mulctatum esse, quia Thebanos apud Leuctram superare Spartiatas coëgisset: quorum ora ante id tempus Thebanus nullus inspicere ausus erat. Horum verborum confidentia, omnium cõfessionem extorsit, vere ab Epaminunda patriæ victoriam, ipsisque gloriam & salutem partam fuisse.

De Viro Lacedæmonio.

Cuiusdam Lacedæmonij minimè spernenda fuit confidentia, qui cum in clypeo pictam (vt vera videretur) muscã ferret, atque ei diceretur, Insigne nimis patuum id esse, neque ab hostibus visum iri, respondit, Se ita hosti appropinquaturũ, quod longè maior quàm esset, ei musca videretur.

De M. Antonino philosopho Imperatore.

Plus rationis M. Antonini philosophi Imperatoris cõfidentia secum habuit, cum periniquo animo ferre se ostenderet, quod Aufidius Cassius qui rebellauerat deinde prælio erat victus occisus fuisset. Nam quodam ex ijs qui astabãt dicente: Si Aufidio vincere contigisset quid is fecisset? statim magna animi fiducia respondit. Non ita nos cum dijs hominibusq; gerimus, vt Aufidius vnquam bello vincere nos deberet. Fiduciæ profecto ingentis verbum, sed non maior tamen, quam illius virtus & morum sanctitas requireret.

Iterum de eodem.

Haud minorem tunc quoque confidentiam ostendit, cũ virtute atque innocentia fretus, vt bonitatis suæ periculũ

faceret, solus Eleusinæ Cæreris templũ ingressus est, quod non sine periculo nisi ab innoxijs adibatur. Neroni profecto conscientia longè dispar fuit, qui cum se parricidam meminisset, eo templo abstinuit.

De Verrito & Malorige legatis Germanis Phrisijs.

Imperante Nerone, cum orta esset inter Germanos controuersia, Germani quidam legati Phrisij Romam venerunt, & Theatrum ingressi, vt populi Rom. magnitudinem inspicerent, mirati eius in sedendo ordinem, non nullos me- nimè Romana veste amictos inter senatores sedere animaduerterunt, cum, Qui essent illi interrogassent: vt intellexerunt, vrbiũ quæ fide ac virtute alias antecedebant legatos esse, propria virtute ac fide freti, quoque sessum inter senatores iuerunt: dicentes, Nationem nullam eis notam esse, cui ob militarem virtutem ac fidem locus ille magnam ipsis deberetur, & ob id à Senatu læta fronte acceptι, Romani ciues creati fuerunt.

De C. Fabritio.

Caius Fabritius ab omni leuitate atque iactantia alienus quæ virtutis suæ fiducia esset ostẽdit. Cum legatus a Pyrrhum missus ab eo rogatus est, vt inter duces atque amicos suos primum vellet accipere locum. Ei enim in arrem respondit: Non hoc Pyrrhe ex re tua fieri posset, nam qui nunc virtutem tuã mirati te suspiciunt, teq; amant accolunt, cũ me experti essent, à me potius quam à te regi cuperent. Tantumq; eius viri existimatio apud Pyrrhum potuit, vt non modo verbum illud patienter ferret, sed vt verũ quoq; probans, illi vni captiuos quorũ causa iuerat dono dederit. Sed iam ab ea confidentia quæ à propria virte, aut rebus bello gestis proficiscitur, ad eam quæ à doctrina quæ illi propinqua est virtus transeamus.

De Næuio poëta.

Magnam Næuius quoque poëta doctrinæ eloquijsq; fiduciam ostendit, cum tumulo suo iussit, à se confectum epigramma hoc poni.

Si immortalibus fas foret.
Mortalem aliquem lugere: Musæ.
Næuium nunc lugerent.

Poëtæ.

Poëtam. Post cuius mortem par non erit.
Romæ, neque sciatur, neque vltra curetur.
Latinum eloquium.

Sed insolescat iudiciũ fortasse de se ipso arrogans, nisi à doctioribus quoq; non minorẽ doctrinę laudem acciperet.

De P. Ouidio Nasone poëta.

Ouidius quoque ingenio excellenti poëta, peracta Methamorphosi sua, doctrinæ suæ magnitudine fretus nónne operis finem carminibus illis clausit, quæ ostendunt peractum ab ipso opus esse immortalis famæ, dum terrarum orbis staret duraturum? Cuius iudicio euentus quoque fœlicitas satis hactenus visa est respondere.

De Mænandro poëta Comico.

Ratione iocoq́; non caruit fiducia quã Mę nander quoq; ostendit, cum prælato Philemoni qui in theatralibus concertationibus fauore ambitu q́ue, vt victor declararetur sæpius obtinuerat, subridens dixit: Heus Philemon? Quæso dic mihi fine ambage, nunquid nõ erubescis cum me superas? Comico nobili ac suaui verbo, suam Philemonis q́ue doctrinam artes q́ue simul quibus ille vincebat, cum aduersarium iudicem faceret ostendens.

De Chrysippo Philosopho.

Pari quoq; modo Chrysippus philosophus doctrina sua fretus, amico petenti, cuius doctrinæ filiũ traderet? Sibijpsi daret, respondit, Nam si aliũ se doctiorem sciret esse, ad illum audiendũ, ea ipsa hora se profecturum affirmabat. Neque vero ad arrogãtiam id ei debet ascribi, sed rectum de se ipso iudicium putari. Etenim ætate sua solus sapiens habitus est, cum cæteri sola doctrinæ vmbra dicerentur.

De Asclepiade Prusiensi Medico.

Non minor quoque Asclepiadis fiducia in medendi arte fuit, cum diceret. Ne medicus fuisse diceretur, si vnquam in vita aduersa valetudine laboraret. In qua re fœlix vsq; ad septuagesimum fuit annum, mortuus cum è scalis fallente vestigio forte corruisset.

De Zeusi Pictore.

Magnã quoq; artis suæ fiduciam Zeusis pictor ostendit, cum athletæ quem pinxerat, in quo sibijpsi satis fecisse

videbatur, carmen inscripsit in hanc sententiam, Opus scilicet illud esse cui facilius præclari possent inuidere pictores, quàm quicquam imitari. Sed omiss is veteribus iam ad alia transeamus.

RECENTIORA.

De Edgaro Britannorum rege.

Inter recentiora in quibus fiducia insignis visa est, Edgarus Britannorum rex, primus à nobis scribetur: nam cū reges omnes qui ei parebant, in conuiuium adhibuisset, eoque esset relatum, Rinandum Scotorum regem (cum eum statura pusillum inspexisset, cum alijs) dixisse, Non mediocriter se mirari, quod ipse alijque reges viri fortes procero corpore, tam paruo homini subiectos se esse paterentur. Nulla prorsus re dicta venatum deduxit eum, detaque opera vt solus cum eo ab alijs disiunctus esset, Rinando alterum è duobus gladijs quos secum tulerat obtulit, dixitque fortitudinis eius periculum facere velle, vt sciret An verbis in eo facta responderent. Qua re Rinandus vehementer territus, errori veniam petens tandem eam impetrauit, cum ei Edgarus generoso facto singularique virtutis suæ fiducia ostendisset, virtute se & non sorte electum regnare, ei vt hoc experiri posset potestate facta.

De Gulielmo Normanniæ duce.

Ingens etiam militaris peritiæ confidentia illa fuit quæ se tulit Gulielmus Normanniæ dux, cum in Britannos aduersus Heraldum eius insulæ regem exercitum traiecisset. Nam detectis captisque hostium exploratoribus suos exercitusque sui virtute fretus, deduci eos per tota castra iussit, & omnia eis ostendi: deinde cibo recreatos cum muneribus ad suos remitti. Neque verò multo pòst haud dubiter temereque se expeditionem suscepisse ostendens, proelio adortus Britannos, vicit, Heraldumque occidit, & promus Normannorum illius insulæ regno potitus est: haec mutata virtute, quæ vt in insulam descendit, in eo perfecta est. Etenim vt exercitui ostenderet in sola virtute spem ponendam, illicque aut vincendum aut moriendum esse naues quibus venerat statim omnes incendit.

De Genuensibus ac Pisanis.

Potes-

Potentiæ virtutiq́ue ſuæ Genuenſes quoque ac Piſani plurimum fidere oſtenderunt, graui bello quod inter ſe ſalutis Anno ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, poſt mille geſſerunt. Nam cum vtrique in alterorum vrbem, ſub aliarum rerum prætextu, inſpecturos qui apparatus fierent miſiſſent, vtrique liberè in vrbe ſua ijs permiſerunt omnia inſpicere, & ad ſuos inſpecta ſcribere, adeò vterque populus, potentiæ militariq́ue virtuti ſuæ fidebat, quarum rerum cõfidentia, diu incerta victoria, paribusq́ue damnis bellum acriter continuarunt.

De Blaſio Axereto Genuenſi.

Inſignis quoque ea fuit fiducia quam Blaſius Axeretus Genuenſis claſsis præfectus aduerſus Alphonſum regem, Caietam obſidentem oſtendit, Nam cum ad eum ad eum ab Alphonſo legatus eſſet miſſus, qui ſub prætextu indicẽdi Genuenſibus belli, claſſem Genuenſem diligenter inſpiceret: ei Blaſius mandauit, vt regi ſuo omne eas Genuenſis populi naues precioſis mercibus, quæ in Oriente mittebãtur onuſtas eſſe referret. Et propterea ſi victoria potiretur, ſciret prædam ſe ingentem de Genuenſibus acturum. Fiducia profecto ingens hominis noui, & qui ante non nauale rem ſed tabellionicam exercuiſſet, minore nauium numero paucioribus militibus, duorum magnorum regum, multorumq́ue principum rerum maritimarum peritorum eo verbo auaritiam accendere, aut indignatione iram augere. Cæterum victoria quam de eis peperit, audacem eũ ac prudentem, & non iactatorem fuiſſe oſtendit.

De Ioanne Ziſca Bohemo.

Cum Ioannes Ziſca Bohemus, quanquã lumine captus, multas de hoſtibus victorias peperiſſet, Huſitanamq́ue hæreſim excitaſſet, in aduerſam valetudinem incidit. Itaque populi qui ei parebant periniquo animo eum caſum ferentes, ceu euerſam communem ſalutem deplorabant. Ab eoq́ue petebant, Quid illis, ſi, vt verebantur mortem obiret faciendum cenſeret? ô inuictum animiq́ue vigorem nulla vnquam obliuione prætereundum, multis prælijs in cæcitate victor euaſerat, mortuus quoque ex bellis ſe victoriã deportaturum rebatur, populis igitur reſpondit, Vt ſui

mortui corpus excoriarent, atque tympanum ex pelle fa-
cerent, pollicitus si ad illius tympani pulsum, pariter eius
nomen inuocarent: hostes eis nunquam repugnaturos. Cu-
ius dictum cum populi abominarentur, exercitus pars, du-
ces sibi non perpetuos, vt ipsum, sed ad tẽpus delegit: pau-
aũt cũ oẽs post Ziscã velut ignauos spernerẽt, & propter
eorum tæderet, Orphani ab eo tempore appellati fuerunt.

De Gregorio Sexto pontifice Maximo.

Gregorius sextus Pontifex maximus, cũ æger in vita de-
scrimine versaretur, sciretq; de ipsius acta vita Cardinales
male sentire, idq; habitis inter se colloquijs eos ostendit,
animi sui conscientia fretus, accersitos ad se Cardinales, de
ijs quæ dixerant vehementer increpuit: & cum efficacis-
mis rationibus, omnem rerum à se gestarum suspicionem
purgasset, vt omnia de se exploratiora essent, hoc addidit.
Vt defuncti corpus in feretro, ante valuas ædis sancti Pe-
statuerent, easque ante diligenter clauderent. Quod si ma-
mine corpus, sine humana ope, in templum introduce-
tur, male de ipso cogitata emendarent: sin autem extra
templum corpus remansisset, sacra sepultura indignum
censerent. Eo mortuo, cum conditio quam poscebat
seruaretur, omnibus admiratione captis, magna ventorum
vi reseratis templi foribus, in templo iacere Gregorij
corpus fuit inuentum. Fiducia profecto Gregorij ea
scientiæ ingens, & quæ ne temerè iudicemus, retrahere
nos debeat, ostendit enim tantò ab humano iudicio
differre diuinum, quantò diuinum occultius atque in
stius est.

De Marcellino Anconitano Episcopo.

Fuit etiam admiranda Marcellini Anconitani Episcopi
confidentia, cum vrbe ingenti incẽdio correpta, extingue-
do igni remedia non inuenirentur, ipse enim pedibus ex
ptus, cõtra incendij vim deferri se iussit, vitæ suæ meritor
fiducia fretus, cũ incedendi vsum amisisset. Itaque cum
appropinquante sedatum esset incendium, prorsusq; ex
gueretur, confidentia eius in laudem conuersa est, quæ
extinguendo incendio secus cessisset, temeritas atque
titia, re ab euentu nomen sortiente putata esset.

De Ioanne XXIIII. Pontifice Maximo.

Exemplis quæ de ſuijpſius confidentia ſcribere cœpimus Balthaſar Coſſa finem imponet. Qui Bononię vbi aliquot tempus magna diligentia literis operā nauarat, cū Romam proficiſceretur: rogatus, Quamobrem Romam tenderet? Vt ſe Pontificem faceret, neque id ioco reſpōdit. Atque haud diu poſt ab Alexādro quinto ad Cardinalatus honorem euectus, in Pontificatu ei ſub Ioannis vigeſimi quarti nomine ſucceſsit.

DE CONSTANTIA. Cap. VIII.

DE conſtantia quæ ſingularis virtus inter animi leuitatem obſtinationemque media eſt, aliquot exempla ſcripturi, primordia ab iuniore Catone ſumemus.

De Catone Iuniore.

Iunior Cato, qui poſtea ab vrbe vbi mortuus eſt, Vticenſis cognomentum accepit, omnis etiam priuatæ quæ ſuſpecta eſſe poſſet potentiæ, ceu à natura editus hoſtis, nedum apertorum tyrannorum grauis perſecutor fuit. Itaque cū verba faceret aduerſus ciuilem occultamque tyrannidem, in quam Craſſus Pompeiusque ac Cæſar ſub triumuiratus nomine inuaſerāt, Trebonij tribuni plebis iuſſu lictor, eum à ſuggeſtu in quem verba facturus aſcenderat, detraxit. Cum ob id loqui non deſineret, foro ab eodem pulſus fuit, ſed cum conſtanter tunc quoque in triumuiratus potentiam inueheretur, Tribunus in carcerem duci iuſsit. Et cum ne tunc quidem ſileret, multitudinis concurſu de lictorum manu liberatus eſt.

De C. Mario.

Caij quoq; Marij miranda ea fuit conſtantia, qua aduerſus Cottæ conſulis voluntatem ferre legem de ambitu voluit: prohibiturus, Ne quis largitione magiſtratum conſequi poſſet. Nam quia in ea re conatus ſui effectum tulit, quanquam ei non Senatus modo conſulque Cotta, verum etiam Metellus tribunus ſe oppoſuerant, ex conſtanti animo ingentem laudem aſſecutus eſt.

De eodem.

Is autē vt clarior eſſet ipſius conſtantia, in eodē tribunatu in quo de ambitu legē tulerat, aduerſante populo, fru-

mentariam legem ferri constanter vetuit. Popularem impetum minimè veritus, cum incompositæ plebi veluti de manu panem extorquere magno sui discrimine videretur. Cõstanter enim in vtraque lege altera ferenda, altera reijcienda, quia ita è Republica videbatur esse, se gessit.

De Pomponio Equite Romano.

Militarem quoque constantiam haud sine laude Pomponius Eques Roma. ostendit, qui in Luculli exercitu contra Mithridatem militabat. Nam cum vulneribus confectus, ac simul in Mithridatis manu captiuus à rege interrogaretur, si curatis vulneribus liberaretur, Amicúsne ei futurus esset, intrepidè respõdit: Fore se, si ipse quoque Rom. populi amicus foret. Audacia procul dubiò ingens, & animi robur Romano viro dignum.

De Senatu populoque Romano.

Miram etiam constantiam Senatus populusque Romanus ostendit, Annibale cum exercitu pro portis vrbis Romanæ manente. Nam quanquam summo in discrimine rei Romanæ summa versaretur, tamen nunquam à Capua exercitus suos reuocauit, & ob id cum Annibalem spes fefellisset, desperatis rebus deditionem coacti fecerunt.

De Plantio Laterano.

Plantius Lateranus Pisonianæ coniurationis aduersus Neronem particeps, cum vt mortem obiret, à Tutio tribuno, qui eiusdem coniurationis conscius erat deduceretur, non modo eum nõ detexit, verum ne verbũ quidem dixit, aut aliquid innuit, vnde Tutius in suspicionem venire posset.

De Magistona Elienſi: & eius comitibus.

Quod natura fœmineum sexum inconstantem ac timidum fecisse videtur, Magistonæ Elienſis animi constantia magnitudóque meritò suo, alias fœminas laudibus superabit. Hæc cũ ab Aristotimo immani tyranno, vna cum filijs multísque alijs fœminis in carcere obseruaretur, ipsíusque & aliarum mulierum viri parentésque, à tyranno patria pulsi, armis eam libertatémque simul repeterent, fretus posse exules ad pacem redigere tyrannus, si vxores filiáque eorum, id per literas petijssent, carcerem ingressus mulieres capti-

captiuas, vt de pace scriberẽt humanis verbis hortatus est. Omnes autem ad Magistonam conuersæ, respondendi curam ei detulerunt. Magistona verò minimè tyranni præsentia mota, non solum quod petebat negauit, sed ne assurrexit quidem, aut alio honore tyrannum dignata est, paritérque idem cæteræ mulieres fecerunt. Qua re adeò commotus est Aristotimus, vt statim in carcere Magistonæ filium, ad occidendum perquiri iuberet, sed ne hoc quidem Magistonam mouit, vt sententiam mutaret, verum ipsa manu apprehensum filium, his tradidit qui tyranni iussu eum quærebant, quanquam verò ita tyranni ira ob hæc succederetur, vt vix quin manu sua eam interimeret temperare sibi posset, efficere tamen nequiuit, vt Magistonam comitésque propositi pœniteret, atque vel vnum verbum, vt cupiebat scriberent, cum plus apud eas induta semel constantia, quàm carcer tyrannique minæ valeret.

De Onia Iudæo.

Infœlix quidem quanquam haud indigna laude constãtia Oniæ Iudæi fuit, qui ab omnibus vir sanctus, & qui à Deo multa impetraret habebatur. Itaque cum inter Hyrcanum atque Aristobolum Alexandri Iudæorum regis filios, de regni successione grauis orta esset contentio, atque ab Hyrcano templum, quod in Aristoboli manu erat, & sacerdotes obsiderentur, ab ijs qui Hyrcani partes sequebantur captus est Onias, qui ne alteri partium adhæreret, latebat. Ab eis autem ad templum deductus cum precibus ac minis vrgeretur, vt rogando infestum Aristobolo Deum redderet, ipse immobilis contra nitebatur. Itaque cum illi vrgere, vt ageret non desinerent, ipse autem de sententia non flecteretur, ne se eorum contentionibus immisceret, clare vt audire omnes possent, Deum dixit se rogare, ne vllam ipsarum partium aduersus alteram (quod vtraque populus eius esset) audiret. Itaque ab Hyrcani fautoribus statim fuit occisus.

De Prexaspe Persa.

Cum Persarum rex Cambyses falsis suspicionibus motus, per Prexaspem occidi Smerden fratrem suum iussisset, & eo tempore alium Smerden Magum longè bellum gerenQ 5

gerentem, inueniri cõtigisset, qui regis fratri occiso persimilis videbatur: Is hanc similitudinis occasionem nactus, finxit se eum esse, qui occisus erat, atque ita populorum fauore regnum occupauit. Cæterum cũ huius fictionis suborta postea suspicio esset, & iam Persarum populi id se aduertere parumq; probare ostenderent, falso Smerdi visum est hanc dubitationem ex animis populorum pelli posse, si Prexaspes palam affirmaret se non Smerdẽ regis fratrem, vt iussus à Cambyse erat, sed aliũ pro eo occidisse, Smerdemque verum eũ esse qui regnaret. Deductus igitur ad regem Prexaspes cum negandi sublatam facultatem videret, promisit se quod petebatur facturum. In foro igitur congregato Persarum magno numero, Prexaspes in altam conscendit turrim, vt ita facilius ab omnibus audiretur. Primaque Cyri stirpe repetita dixit, se à Cambyse iussum fratrem eius Smerden manu sua interemisse: Magũq; falsum Smerden regnare, à quo vt falsa testaretur in eũ locum erat deductus, & propterea eos hortabatur, vt à Medorũ tyrannide atq; à falso Smerde Persæ se liberarent. Finitaque oratione præcipitem se à turri mittens, voluntaria morte vera se dixisse testari voluit.

De Iacobo iusto Redemptoris Christi fratre.

Constantiæ ac mortis similitudo facit, vt post Prexaspem de Iacobo iusto domini fratre scribamus. Nam cum Ananias Iudæorum Pontifex periniquo animo ferret Christianorum augeri numerum, arbitratus est si Iacobus (cuius vitæ sanctitas apud omnes nota omnibusq; probata erat) adduci posset, vt Christi fidem reprobaret, omnes eius authoritatem secuturos esse. Cum autem precibus ac minis frustra, vt id Iacobus ageret laboratum esset, supra templi pinnaculum productus fuit, vt nisi ab eo loco populis quæ de Christo eius lex continebat, tanquam falsa dissuaderet, inde præceps deturbaretur. Fretus est enim Ananias periculi præsentis magnitudine territum Iacobum, quod vsque ad eam horam negarat fortasse facturum. Sed ne ob id quidem Iacobus sententia motus est locutusq; contraria, id est, Christum vere Dei filium fidemque eius veram sanctam, atque iustam esse. Indignatis Iudæis eorum impulsu

pulsu inde deiectus vir sanctus verba simul cum vita finiuit.

RECENTIORA.

De Gesualdo Longobardo.

Pari constantia, inter recẽtiores Gesualdus Longobardus vsus est: cũ à Romualdo Beneuentano duce Beneuenti à Constantio Imperatore obsessо, clã missus ad Grimoaldum Longobardorũ regẽ ipsius Romualdi patrem rogatũ, vt filio opẽ ferret, cum ipso auxiliario exercitu Beneuentũ reuerteretur. A Grimoaldo enim iussus clã anteire ad Romualdum, atque opẽ quam pater ferebat nunciare, aduersa eum fortuna in hostes tulit, ab eo de propinquis auxiliaribus copijs hostes certiores facti, spectare eo cœperunt, vt ad pacem Romualdum traherent, arbitratiq́ se id melioribus conditionibus facturos, si auxiliorum spem Romualdo ademissent: Gesualdum monitum ante, vt in eam sententiam loqueretur, ad Beneuenti muros deduxerunt. Cæterum ipse ex fide omnia obsesis narrauit, breuiq́ue affuturum cum valido exercitu Grimoaldum affirmauit. Qua re indignati hostes, statim Gesualdum occiderunt, & postera die motis castris obsidionem soluerunt.

De populo Romano.

Magna etiam illa populi Rom. constantia fuit, cũ à Gothis, quanquam iam in Græciam Bellisarius esset reuocatus, rebellauit, obsessus enim in vrbe à Totila Gothorum rege, in aggeribus murorum, alijsq́ue per vrbem Romã desertis locis diligenter frumenta seminauit: eaq́ue constanter vsque ad maturitatem expectauit. Itaque hac constantia feros Gothorum animos penè contudit. Nunc ad sacerdotalem constantiam transeamus, vt ex ea sacerdotum nostri temporis leuitatem agnoscamus.

De Martino primo pontifice Max.

Imperantibus adhuc Romæ Augustis, Constantius tertius Imperator, neque promissis, neque minis adducere Martinum primum Pontificẽ Maximum potuit, vt Monothelitanam hæresim confirmaret. Qui cum neq; ab Olympio Exarcho positis ei⁹ vitæ insidijs flecteretur, & tandẽ à Theodoro Caliopa capt⁹ esset, maluit in exilio, amisso cũ patria

patria etiam Pontificatu emori, quàm de hæresi illa iustũ mutare propositum.

De Constantino Patriarcha Constantinopolitano.

Eadem Constantinus quoque Patriarcha Cõstantinopolitanus constantia, animíque immobile robur fuit, cum à Constantino quinto Imperatore, vt Manginorum hæresi assentiretur, apud quos in honore idololatriam haberi putabat, nunquam vt id facere vellet, adduci potuit: quia explosam à catholica fide, eorum sententiam scie bat. Itaque plagis à sæuo Imperatore cæsus, item in custodia habitus, ac tandem morte affectus, nunquam sententiam mutare voluit.

De Ignatio Constantinopolitano Patriarcha.

In eadem vrbe, parem Ignatius dignitatem cùm obtineret, parem quoque constantiam ostendit, vt Michaëlis Imperatoris filium decebat, prius enim in exiliũ ire sustinuit, quam vt Bardã alterius Michaëlis Amorij Imperatoris patruum, anathemate solueret, quo eum enodarat, quod dimissã coniuge quam habebat, in eius locum nutũ duxisset.

De Vigilio primo & Syluerio Pontificibus Max.

Omnem priscorum Romanorum Vigilius primus Pontifex Max. constantiam superauit. Nã si prisci illi Romani furentem populum aduersósque magistratus altercãdo cõstanter sustinuerunt, Vigilius Roma. plebi atque Imperatori in cuius manu ipsius vita erat, tuendæ iustitiæ grauiter semper obstitit. Is igitur à Iustiniano Imperato. atque Theodora Augusta eius coniuge monitus, vt Anthemium hæreticum extra ecclesiæ gremium ab Agapeto Syluerió-que summis Pontificibus positum, Christianorum communioni restitueret, minimè Sylueríj exemplo territus est, qui quòd eam rem agere noluerat in exilium pulsus mortem obierat. Se igitur id facturũ constanter negauit. Quãobrem Iustiniani imperio captus cum Romæ in æde sanctæ Cæciliæ sacrificaret, atque in Tyberi paruæ cymbæ impositus insana eum plebe fustibus saxísque exagitante Cõstantinopolim fuit perductus. Vbi cum in sanctæ Sophiæ templum cum pontificali honore profectus esset, quia restituere Anthemium coram Iustiniano audacter negauit,

cæsus

cæsus atq; contumelijs omnibus ab eiúsq; coniuge Theodora affectus, cum inter tot mala illęsam animi libertatem seruasset, tandem à Iustiniano liberatus est.

De Adriano primo pontifice Maximo.

Romana ecclesie à Pipino Gallorum rege multis commodis atque honoribus aucta, hæc quoque acceperat, quòd à Longobardorum potentia, eam defenderat. Carlomano Caroli fratre mortuo, Berta eius cõiunx, malis suasoribus impulsa ad Longobardorum regẽ se recepit, quem cum haud lateret, Gallorum vires si per seditionem diuiderentur, debiliores fore, ab Adriano primo pontifice Maximo petijt, vt Berthæ filium oblato diademate Gallis regẽ cõstitueret. Quod cum prudens pontifex negasset, ei furiata mente Desiderius bellum intulit, & tamen neque illata arma, neque occupata Aemyliæ viæ loca (quæ nunc sub Romandiolæ nomine censentur) aliasq; permulta, Pontificem vt à proposito discederet, mouere potuerunt.

De Gregorio VII. pontifice Maximo.

Constantissimus quoq; habitus est Gregorius septimus Pontifex, qui quod Henricũ tertiũ Imperatorẽ propter aperta nimis symoniæ crimina pro pastorali officio reprehendebat, grauibus ab eo iniurijs affectus est. Itaque iniuriarum magnitudine compulsus, Henricũ Gregorius, & hæreticum imperij honore priuauit. Cum autẽ Henricus solui ecclesiastica censura, non emendatione vitæ, sed armis quæreret, aliũ creare Pontificem enixus, capta vrbe Roma obsidere Gregorium cœpit. Quæ mala cum Gregorius pateretur, nunquàm tamẽ à iusto proposito dimoueri potuit. Cui quàm similes se recentiores Pontifices gerant, causis non pro Dei honore, sed pro priuatis commodis sæpe susceptis, qui in eo constantes sunt, vnde spes ostenditur, ipsi norunt, ipsi fateantur.

De Sergio Cœnomanensi Archiepiscopo.

Non minori quoq; laude digna est Sergij Cœnomanẽsis Archiepiscopi constantia, dum ei assentiri recusat, quam alij fecerãt episcopi, scilicet Arnoldi Remensis Episcopi, à dignitate quam sustinebat depositioni. Arnoldus enim, natura tantum patruus erat Caroli Gallorum regis, qui po-

stremus

stremus ex Caroli magni stirpe regnauit, quẽ cum regno spoliasset Vgo Capeta, stirpem quoque illam totam magni Caroli tollere nitebatur: Cenomanensem igitur antistitem, minis trahere in sententiam conabatur, vt exautorationis assensorem se præberet, quod ille recusans, cum publicè Vgonem reprehenderet, triennij exilium perpeti, quã assentiri maluit.

De Theone heremita.

Appropinquante exitu eorum exemplorum quæ de constantia edere constituimus, admiranda Theonis Aegyptij heremitæ, in ea re virtus se præteriri non patitur, cui Hieronymus verus scriptor testimonium perhibet, eum triginta annos cellula inclusum, non alio quam crudo cibo semper vixisse. Neque vllius alloquio per id tempus vnquam, ne cum ipso quidem Hieronymo nisi per literas vsum. Cõstantia procul dubiò admiratione digna, vt vnus vir, inuẽtus sit, qui triginta annos à loquendo temperare potuerit, cum ætate nostra non sine labore vix vllus inueniatur, qui secretum in cuius communicatione interdum de vita agitur, vix diem vnam celare possit, cum in reliquis loquendi facultate ei non sit interdictum.

De Paterno Scotto Monacho.

Paterni Scotti Monachi obstinationem, potiusquã Cõstantiam appellarem, cum Padebornæ quæ in Germania est, flagrane vrbe tota omnes fugerent, ipse constanter maneret, ne præter longi temporis institutum, cella sua egrederetur, verum eius sanctitas obstare videtur, etenim imperij Henrici tertij anno secundo, sæpius vrbis illius incendium cùm prædixisset, profecto id deuitare poterat: nisi Deo ita volente, cuius consilia abyssus multa sunt, satius duxisset, in cella permanendi propositum non violare.

DE

DE ANIMI MODERATIONE LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

INter animi angustias abiectionémque, atque alia ex parte superbiam & honorum cupiditatem, media est insignis virtus, quę modestiæ nomen sibi vendicat. De hac haud iniuria exempla quædam edituri sumus, non modo vt eum ordinem sequamur, quem Valerius obseruauit, verumetiam quia res ipsa cognitu digna est, & ad cōpescendas cupiditates vtilitatis plurimum allatura. In his autem non tā temporum ordinem, quibus res ipsæ gestæ fuerunt quàm vt inter se magis congruere videbuntur in ipsorum exemplorum serie obseruabimus. His verò exēplis haud obscurè perspicietur omnes opes, omnia imperia, animorum moderatione superari, qua homines paruo cōtenti fiūt: opulē ti autem, & qui magnis imperijs potiuntur tutiores sunt, magisque amantur, sibi aliisque minus incommodi minúsque turbulenti. Quod si temporis nostri Pontificum atque principum pectora non opum, atque regnorum augendorum cupidine, sed hac insigni virtute fragrarent, quietius maiorique rerum decore in toto terrarum orbe homines agerent, & prisca ætas illa quæ magis ob virtutum quàm opum magnitudinem aurea esse ferebatur, quæ vnà cum modestia propter hominum scelus iam diu à mortalibus exulat, ceu longo postliminio reuocata in terrarū orbē reuerteretur. Etenim quis inficias ibit, quæ armis aut doctrina parata sunt, si ab ijs modestia abfit (nisi supra verum blandiri nobis velimus) non honores aut vera bona, sed latrocinia ambitiosorúmq; pectorū astus appellari debere?

De

De T. Largio & Qu. Chlœlio consulibus.

Senatus populúsque Romanus cum ei propter externa bella ciuilésque motus necessarium videretur Dictatorem dicere T. Largio & Qu. Chlœlio cos. quorum virtuti fidebat, alteri ipsorum dictatorem dicendi munus demandauit. O ingentem temperati animi modestiam, quas contentiones alij suscepissent, vt ipsis hic honor demandaretur, id totum inter eos cõsumptum est, vt ipsum honorem collega acciperet, biduóque cõsumpto in tam honesta mutuo transferendi in collegam honoris concertatione, vix tandem Senatus ac collegæ precibus victus, Dictaturã T. Largius suscepit, semper affirmans, eo honore Chlœlium se digniorem esse, cui non minus laudis, ac gloriæ hæc tãta animi moderatio atque temperantia peperit, quàm si primus in vrbe Dictaturam obtinuisset.

De Aristide Athenienſi.

Non minus etiam laudanda Aristidis Athenienſis animi moderatio fuit, cum ipse Miltiadésque inter decem Prætores aduersus Darium creati essent, nam cum propter ducũ multitudinem, expeditionem illam corruere animaduerteret, per vices enim ad singulos imperandi munus transibat, vt ei sors imperandi contigit, partes suas in Miltiadis militaris artis peritissimum transtulit, atq; exemplo suo alijs vt idẽ facerent author fuit. Hac enim animi moderatione sibi Præturam ademit, vt patriæ victoriam, quæ de Dario optabatur, traderet.

De Othane Perſa.

Othanes Persa, coniuratorum aduersus Magos falsúmque Smerden primus, cum egregio perpetrato facinore, ciuitatem fruſtra laborasset vt socijs persuaderet, vt nullo vltra creato rege, Persidem patriam liberam relinquerent, posteaquã vidit eos omnino ad creandum regem inclinare, cum eis ita conuenit, vt quò ad se, neque domini, neque serui conditionem subiret. Nam vt regiæ dignitatis honore se priuabat, ita seruitutem quoque non induere volebat. Verè profecto generosi moderatíque animi indicium, cum prorsus inter se duo aduersa seruitutem atq; regnũ æque abhorreret.

De Scipione Africano primo.

Ingen-

Ingentem modestiam primus qui è Cornelia gente Africani nomen assecutus est, ostendit, cum in Hispania post deuictum Asdrubalem ab omnibus Hispanis rex salutatus est, declinato enim superbo regis nomine, Hispanos grauissimis verbis, vt in populi Romani fide permanerent, hortatus est.

De L. Sylla dictatore.

Maior quoque L. Syllæ modestia fuit, cum magnis laboribus magnisq; periculis partam in patria Dictaturam, atque principatum nulla necessitate compulsus postea depo fuit. Nam cum ad priuatam vitam reuersus, nullo præteritarum rerum stimulante metu Romæ in foro deambularet, ab immodesto adolescente minis contumeliisq; vexatus, ne sibi nihil temperans eum prosequeretur, Sylla submissa voce astantibus dixit: Faciet huius adolescentis immodestia, quod in posterum alius nullus Dictaturam depo net. Nam non sine admiratione cõspexere Romani L. Syllam à quo in Dictatura duo equitum Rom. milia, ac præter eos sexcenti, à quo decem consules occisi fuerant, à quo tot patria pulsi, tot sepulturæ honore prohibiti palam tanta animi moderatione immodestem adolescentem ferre: cuius animi impotentia antea vrbem totam non tulerat. Hac igitur animi moderatione tantum laudis reportauit, quãtum antea ob nimiam iram superbiamq; criminationis incurrerat.

De Simili præfecto palatij.

Rebus verbisque ingentem amici moderationem Similis ostendit, cum deposita Palatina Præfectura, sub Adriano Cæsare, quæ dignitas Augustorum magnitudini proxima erat moriens ordinauit, vt tumulo inscriberetur. Hic Similis iacet, cuius ætas multorum fuit annorum & tamen ex eis septem solùm vixit. Annorum enim in ambitioso magistratu multitudinẽ in mortis sorte computauit, solos paucos quos in priuato ocio degit, ad vitam referens, quemadmodum rectè æstimantibus verum esse inuenietur.

De Germanico Cæsare.

Moderatissimo animo Germanicus Cæsar fuit Caligulę

imperatoris pater, nam cum post Augusti mortem exercitus Imperatorem creare eum vellet (Tiberij enim crudelitatem abhorrebat) priuatā agere vitam contentus, magna vi, ne id ageret obstitit.

De Triario Materno.

Triarium Maternum post Commodi Imperatoris mortem, quia Pertinax senior, & propterea tanto oneri parum idoneus videbatur, exercitus creare imperatorem volebat, retinentibus eum militibus, & electioni hortantibus assentiri, relicta veste quam milites apprehenderant nudus ab eis profugit. Extollant nunc Fabium homines Africanumque, aut Metellum, quod triumpho aut consulatu qui pauci temporis honor erat, & qui haud magnam vtilitatem secum trahebat, aliqua animi moderatione abstinuerint, & hos de quibus scripsimus, aut etiam scripturi sumus, qui Rom. imperij culmen (perpetuus enim honos erat, & in eo rerum summa continebatur) cum vltrò offerretur non acceperunt, sine laude in obliuionis silentio prætereant.

De Sallustio Palatij præfecto.

Cum occiso in Persica pugna Iuliano, Roman. imperium ad interregnum venisset, magnis precibus egit reuersus exercitus apud Sallustium, Palatinam præfecturam sustinentem, qui non solum diligens verum etiam audacis animi vir erat, vt imperij honorem susciperet vellet. Sed frustra laboratum est, Sallustio parum prosperam valetudinem senium que excusante. quę res exercitum mouit, vt Iouinianum ferret, qui nulla publica autoritate, eū honorem vsurpauit.

De Val. Aurelio Diocletiano Imperatore.

Inter alia qui moderato animo extiterunt principum exempla, primas partes (nisi nos iudicium fallit) Diocletianus obtinere debet, qui virtute partum imperium cum multos annos rexisset, ingentique animo tueretur, vt senio grauari se sensit: ne ipsius imbecillitate imperium euerteretur, in eorum manu deposuit, qui se iuniores erant ac magis prospera valetudine vtebantur. Se autem apud Salonas vrbem, in priuati hominis statum contulit, vbi cū multos

multos egisset annos, hortantibus Maximiano atque Galerio vt imperium resumeret, rescripsit, Si herbarum ordinem quas ipse in horto suo seuerat, viderent, nunquam ipsos de resumendo imperio mentionem ei facturos. Nam cum inter rarissimos fuerit, qui bene imperare scirent, sapienterque priuatam agerent vitam, multos in ancipiti cõstituit, qua re maiorem is se ostenderet, acquirẽdóne ac regendo imperio, an illo sponte sua deponendo? longe enim plus se imperium egere, quàm se imperio ostendit.

De Lydiade Megalopolitano.

Lydiades diu Megalopolis patriæ vrbis possẽsso imperio, nulla necessitate impulsus, ad priuati hominis statum se contulit. Longe pluris priuatum ocium faciens, quã vrbis in qua natus erat principatum.

De Constantino claro Imperatore.

Plenum quoque modestia se Constantinus ostendit, qui cum Galerio Maximianoque post depositum à Diocletiano imperium, Imperaror creatus, cum sorte ei ad regendum Italia Africaque ac Gallia obtigissent, relictis alijs duabus regionibus collegis suis, ipse sola Gallia contentus fuit, atque in ea adeo modeste se semper gessit, vt cõuiuia celebraturus alienis vasis ea ornare cogeretur, adeo ab alieno cõtinentes restrictasq; , atque largiendo largas, neq; id sine ratione, habuit manus.

De Agide Lacedæmoniorum rege.

Tam moderato animo fuit Agis quoque Lacedæmoniorum rex, vt cum opibus atque delitijs, quemadmodũ plerique regũ agere solent, superare alios posset, non solum augendi fortunas suas desiderio abstinuit, verum renouatis quoque Lycurgi legibus voluit, vt inter ciues omnes fortunæ æquarentur, & vt à se huius rei exemplũ proficisceretur, omnes opes suas in commune transtulit, atque alijs Lacedæmonijs se opibus æquauit.

De Xenocrita Cumea.

Res profecto singularis videri debet ea animorum modestia, de qua excellentium virorum exempla nonnulla posuimus, cæterum longe pluris faciẽda est, cũ in fœmineo sexu (cui natura opũ honorumq; cupiditatẽ indidit)

non minus quàm in viris reperiri contingit. Huius regi Xenocrita Cumea nobile præstitit documentum, cuius opera cum Aristotinus qui vir eius erat, & Cumas tyrannide premebat occisus fuisset, vellętq; eam ciues honore cõmodisq; cumulare, quod ipsa ob patriæ charitatem, & marito à quo diligebatur & principatu se priuasset, prę modestia animi omnibus quæ offerebãtur spretis, solum Aristotini viri sui corpus, ad sepeliendum voluit.

De Aretaphila Cyrenæa.

Aretaphila Cyrenea Nicostrati tyranni coniunx, ab eo singulariter amata, vt patriæ charitas in qua tyrannidem Nicostratus sæuè nimis exercebat, in viri comparationem venit. Duplici experimento ostendit nihil esse in humanis post Deum, quod patriæ præponi debeat. Nam & Nicostrati fratrem Leandrum, magno cõsilio impulit, vt Nicostratum occideret, & cum se Leander fratre immitiorem gereret, & quod de eo occidendo egerat, non patriæ charitate sed auaritia egisse palam fecisset, eadem Aretaphila cõsilio suo effecit vt Leander quoq; occideretur, liberæque Cyrenæ eius morte remanerent. Cum autem eius opera duobus liberatæ immanibus tyrãnis Cyrenæ, inter ea, quibus Aretaphilæ virtutẽ honore prosequi decreuerãt, principẽ eam publicorum consiliorũ atque omnis publicæ administrationis facere vellent, ipsa omnibus spretis se in sacrarum virginum conuentum contulit, atq; inter eas humana ambitione molestiaque procul vitam egit.

De Alexandro Seuero Imperatore.

Fœmineæ ambitioni leuitatique puerorum ætas satis cõferre videretur. Nam quod muliebris præter rationem sexus appetit, id in pueris annorum infirmitas frenare non nouit. Hoc igitur facit vt satis Alexandrum Seuerum mirari nequeamus, qui vix annos sexdecim natus, cum à Senatu Imperator creatus, ob virtutis magnitudinem patriæ quoque parentis, & Magni cognomine decoraretur, nunquam in animum vt hos acciperet honores induxit. Oportere enim aiebat, vt res gestæ maturioráque ætas ea nomina pararent. Nomina igitur quæ alij ad honestandam fortunam omnibus studijs asciscere sibi laborarunt, ipse adolescens

lescens adhuc oblata singulari animi moderatione non admisit. Sed ne coniugem quidem præciosioribus vti gemmis quam cæteræ Romanæ ciues permisit, & si quæ dono data erant, eas vel vendi iussit vel templis donauit. Affirmabat enim minimè se velle, vt à coniuge sua pomparum atque profusionum exempla proficiscerentur. I nunc, & vestes Neronis tecum reputa retiosq́ue aureos, atq; his adde cõiugis eius Poppeæ gẽmatas vestes, iu mẽta quoq; argento auroq́; calceata. Postea Caligulæ calceos margaritis contectos infinitaq́; alia priscorũ temporum nostrorũq́ue detestandæ profusionis ornamenta, atque his Alexandri ætatem quæ pubertatem nõdum excesserat, atq; imperij magnitudinem confer. Concedes profectò, huius tam raræ moderationis admiratione captus, quá alijs quoque permultis rebus ostendit.

Iterum de eodem.

Etenim adeo Senatum legesq́ue in honore habuit, vt se penè æqualem alijs faceret. quod cum ei à matre atque cõiuge obijceretur, diceretuŕque, ab eo Augustalis maiestas adimum atque in ordinem nimis redacta. is respõdit, Tutiorem se, duraturãq́ue magis eam fecisse. Neq; enim amori minus virium dabat, quam alij armis timoriq́; concessisse sent, nec minus quietis illi ob modestiam suam, quam ijs qui contra sentirent angustiarum & molestię ex insolentia prouenit.

De L. Murœna.

Quanquam animi moderatio satis in gloriæ cupiditate frenanda ostendatur, non minoris tamen facienda est dum vltionis cupiditate accensa, propter iniuriarum indignitatem ira cohibetur. Quamobrem de hac animorum moderatione exempla quædam scripturi à L. Murena primordia sumemus. Is enim M. Catonem obiecto corpore suo, à Metelli armis Tribuni plebis in eum irati protexit, quamuis anno ante à Catone ambitionis atq; largitionis accusatus, magno in discrimine salutis versaretur, nisi eloquentię pater Cicero eum defendisset. Nam quanquam aliorum opera vlcisci se posse inimicum videbat, patriæ tamẽ charitatem accepturũ iniuriarũ dolori prætul it,

hostēq; quod multo glorioſius cēſetur, laborantē ſeruauit.

De Auguſto.

Moderatiſsimum quoq; Auguſtus ſe oſtendit, cum lata lege, qua iudicandi de adulterijs forma ſtatuebatur, apud eum adoleſcens perpetrati cum Iulia filia adulterij accuſaretur. Indignationis enim doloriſque magnitudine compulſus, manu ſua cædere adoleſcentem cœpit. Cum autem is cōtra exclamaret, Violari ab Auguſto legem quam de adulterijs ſanxerat, repente eius ira concidit, adoleſcentemq; dimiſit. Atque eo die prę dolore cibo abſtinuit, adeo grauiter à ſe erratum, duxit cum legem quam condiderat ipſe violaſſet. Nam quanquam legibus præeſſet, æquum tamen ducebat, non minus ſe quam alios legibus parere.

De Tiberio Cæſare.

Vitrici exemplum priuignus Tiberius Cæſar ſecutus, cum Rhodi Diogenem grammaticū ſabbatis tantum diebus diſputātem, extra ordinem, de alia re quam propoſita erat interrogaſſet. Diogenes, vt ad ſe primo die reuerteretur Tyberio reſpondit. Cum autem poſtea Diogenes ad imperatorē Romā veniſſet, nullo acerbiore dicto factóue Diogenem vltus eſt Tiberius, niſi quod per ſeruum reſpondit, vt poſt ſeptimum annum rediret.

De Hadriano imperatore.

Aelius Hadrianus Imperator quo die ad imperij culmen euectus cuidam quo cum graues exercebat inimicitias, & propterea noui imperij magnitudine is vehementer territus erat, palam dixit, Euaſiſti. Eo enim verbo ſingulariſque animi moderatione oſtendit, minime conuenire cum publicam induiſſet perſonam, priuatas amplius vlciſci inimicitias velle.

De Dauide Iudæorum rege.

Maior etiam animi moderatio in Dauide fuit, cum adhuc priuatam ageret vitam, eúmq; Iudæorum rex Saul infeſte nimis, vt perderet perſequeretur. Nam cum in antro lateret, eandémque ſpeluncam fortè Saul vt ventris onus deponeret, illic Dauidem eſſe ignorans, ſolus eſſet ingreſſus, Dauid cum perdere eum, hoſtémque vlciſci, & ſimul regem ſe facere poſſet, magna ſe animi moderatione contī

nuit

nuit Suſpenſo enim gradu cum regi approquinquaſſet, regiæ veſtis partem abſcidit: vt eo ſigno oſtenderet ſe perdē di regis occaſionem nactum, ea vti noluiſſe.

De Diogene Stoico.

Id temperamēti atq; moderationis quod interdum mortalium animis natura largitur, ſtudijs quoq; ac philoſophia nonnunquam parari videtur. Id perfacetè Diogenes philoſophus Romæ teſtatum reliquit. Nam cum de conſtātia atq; patientia diſputaret, Lentulus Romanus adoleſcēs parum modeſtus, cum buccam adhibita cura vehementer ſaliua impleuiſſet, eam totā in os Diogenis expuit. Quo facto minime mutato vultu, aut propoſito Diogenes abſterſa facie, ridens dixit: In poſterum affirmare te buccam habere potero. Quibus verbis oſtendit ſe quæ de conſtantia atq; patientia verbis diſſerebat, animo etiam ſentire.

De Socrate Philoſopho.

Non minus moderatum facetumq; ſe Socrates philoſophus Athenienſis oſtendit. Nam cum inſolens atque immodeſtus iuuenis, pugno faciem eius percuſſiſſet, nihil aliud egit dixitque, niſi, Sibi permoleſtum eſſe, quod neſciretur, quando cum galea domo egrediendum eſſet.

De Ariſtide Athenienſi.

Ariſtides Athenienſis nullo crimine inimicorum, tantum inuidia in exilium pulſus oſtraciſmi gratia, non vt pleriq; feciſſent aduerſus patriam ingratosque ciues indignatus, in blaſphemiam vllam prorupit: ſed cū Athenas egrederetur, omnibus audientibus Deos rogauit, Vt ea fœlicitate patriam ſuam complecteretur, ne vnquam Ariſtidem meminiſſe oporteret.

De Pittaco Mityleneo.

Singularem quoq; animi moderationem Pittacus Mityleneus oſtendit, cum miſso ad eum Cumeis ciuibus in vinculis eo, qui Tyrrhæum eius filium occiderat, vt arbitratu ſuo filij mortem vlciſceretur, ſtatim eum liberauit. Pœnitētiæ enim veniam miſericordiamq; præferri debere dixit.

De Stephano leuita, & Iacobo iuſto.

Inter alia moderati animi exempla, quæ præbere nobis innumerabilia Chriſti diſcipulorum atq; martyrum

numerus potest, Stephanum Leuitam atque Iacobum iustum solos commemorabimus: quorum alter lapidibus cæsus, alter è templi pinnaculo in præceps deturbatus vsque ad extremum spiritum, pro persecutoribus orare Deū ipsorum crudelitatē, sub ignorantiæ nomine excusare vterque non destitit. Adeò temperato animo, vt plagarum mortisque dolor nunquam eos ad odium iramue accenderit, Christum magistrum suum imitatos.

RECENTIORA.

De Venceslao Bohemiæ duce.

Recentioribus moderati animi exemplis non iniuria principium Venceslaus Bohemiæ dux faciet. Etenim non præsentium solum, sed priscorum hominum hac animi æquitate iudicio nostro primarius censeri debet, qui tanto philosophorum moderationem, quanto alios philosophi, hac ipsa animi virtute transgressus est. Architaéque aut Platonis, vel Speusippi modestia, si huic conferatur, iocus, ludibrium, ac veluti pueriles ludi intra viriles actiones videbuntur. Nam mortuo patre dux Bohemiæ creatus, cum sciret Boleslaum fratrem vitæ suæ insidias tendere, nunquam eum à facinore nisi verbis deterrere voluit. Cum ei declararet quàm iniustè ipsum odio prosequeretur, quibus verbis cum prauum Boleslai ingenium non flecteretur, ac summo mane à templo redeuntem Venceslaum Boleslaus offendisset, in eum cum aliquot comitibus impetum fecit. Nemine accurrere ausо, quod Boleslaus, inter eos qui vim moliebantur, primum se ostentarat, atque fratri vulnus intulerat. Quo in loco Venceslaus humanus vir, cæterum minimè ignauus, magna vi se in Boleslaum immittens, ad terram prostrauit gladiumque ademit, quem cum manu teneret, atque iniquo fratri perfidiam exprobraret, & quid in eum posset, ostenderet. Ensem ei postea restituit, illud monens: Malle se, vt frater Deo sanguinis rationem redderet, quam ipse si in fratrem manus inijceret, fraternæ necis causam apud Deum dicere cogeretur. Neque verò hac in se fratris mansuetudine perfidus frater à scelere deterritus est, sed Venceslaum crudelem in modum occidit.

DE

De Boemundo Normando.

Boemundus Normandus, qui sub crucis signo ad Syriacam expeditionem cum Gotifredo Bolonio se contulit, dum vrbem Antiochiam ipse permultique alij principes obsiderent, à Pyrrho qui Antiochiæ plurimum poterat monitus, de dedenda vrbe, ea conditione vt ipse principatum eius sumeret (etenim ob singularem animi virtutem ac corporis robur eum vnice diligebat) Boemundus conditionem ante non accepit, quàm re exercitus ducibus narrata, eorum consensu princeps creatus est.

De Vraia Gotho, ac Ludouico Turingiæ Landtgrauio.

Quis in barbaro tantã animi modestiam inueniri posse crederet, quantam Vraia Gothus ostendit? nam post Vitigem Gothorum regem patruũ bello captũ, quẽ Belisarius Constantinopolim captiuum miserat, cum ad Vraiam ob singulares virtutes Gothi regnum deferrent, minimè assentiri voluit, affirmabat enim quanquam captiuus esset Vitigis patruus, tamẽ quia legitimus Gothorũ rex esset, lo cum eius dum viueret, quia iniustè id fieret, occupaturũ nõ esse. Itaque cum Gothi sine rege manere nollent, Idualdũ pro eo regem crearunt. Pius quoque põtifex scribit, ætate sua Ludouicũ Thuringiæ Landtgrauium, ad Imperatoriã maiestatem electum, virum armis clarum, iustitiaq; insignem, cum literas se nescire excusaret, rem imperio perneceſſariam, electione de se facta vti noluisse.

De Belisario patricio.

Facta de Gothis mentio, in mentem mihi reuocat, haud dissimile, cæterum excellentius etiam Belisarij factum nã cũ haud longè Gothi abessent, vt à Belisario armis victi viderentur, antequam prorsus arma ponerent, vehemẽter Gothi apud eum egerunt, vt qui ipsos Iustiniani auspicio armis persequebatur, Italiæ se Regem facere vellet, polliciti, si id agere voluisset, se sine contentione, cum eo imperata facturos: adeo propter immensas virtutes eum amabant, Iustiniani autẽ auaritiã abhorrebãt. Is enim cũ ambiguis verbis annuisse videretur, dicto audientes aliquod tempus Gothos habuit, Rauennaque atque Vitigi potitus est. Cæterum posteaquam ob eius rei suspicionem

tionem, ab Italia Iustinianus eum reuocauit, ipse statim parere constituit, quanquam etiam inuito Iustiniano manere potuisset: Gothi vetò cum intelligerent profectionem eum parare, Papiæ Idualdum regem crearunt, qui statim ad Belisarium misit, qui offerrent, si ipse Italicum regnum susciperet vellet, se ad eum iturum, & regno quod à Gothis delatum habebat ei cessurum, quam rem tunc Belisarius aperte abnuit se facturum: maiore enim industria atque arte vsus est, ob animi temperantiam, in recusando regno quod ipse armis ac virtute sua peperierat, quàm multi vt potirentur egerunt, quãquam in eum ingrate se ob auaritiam Iustinianus habuerit, parumque æquus tantæ virtutis æstimator visus fuit.

De Carolomanno Franconiæ principe.

Promissum regnum recipere Belisarius recusauit, fortasse fidem datam secutus, aut periculo deterritus, sed Carolomannus Pipini frater, eius partis quietus princeps, quæ de Fraconia cum fratre diuisa ei obtigerat, ingenti animo cæterum moderato, & qui secularem vanitatem contemneret, vt verè philosophus religionisque cultor, relicto fratri regno, Soracte se apud vrbem Romã habitatum contulit, & inde ad Casinatem montem, vbi sub Benedicti disciplina vixit.

De Ina Britanniæ rege & Gelulfo.

Similiter Inas Britannorum rex, vxoris Ethelburgæ hortatu, relicto regno Romam profectus, eremiticam duxit vitam. Id quod Eteluolphus quoque post eum egit, relicto Egberto fratri patrueli regno. Erubescant nunc ætatis nostræ docti viri, de huiusmodi viris silendo, qui profecto numinum instar sunt, scriptis suis quosdã philosophos non fine admiratione laudibus efferre, quod viles casulas aut agros virtutis gratia reliquerint. Nam his scriptoribus, ea quæ præsens fert ætas priscis cõparata, vilia duci debere videntur. At meo quidẽ iudicio contra esse duco, quia efficaciora virtutis studia in præsentibus videãtur, & longè plus recentia lectorem quam vetera mouere solent.

De Stratiqua Bohemo, & Adelberto Pragensi episcopo.

Quod in duobus, de quibus nuper dictũ est ob insignẽ mode-

modestiam laudari satis non potest, in Stratiqua quoque Bohemo, Boleslai secundi Bohemiæ ducis fratre, parē meretur laudem. Is cum se monachum fecisset, Pragensem pō tificatum renuit, cum ei ceu digniori ab Adelberto illius vrbis episcopo esset oblatus. Ad Adelbertus nihilominus Episcopatu dimisso, tandē vt Christianū cultū augeret, in summa inopia, ad Prutenos idololatras profectus, dū prædicando ad Christi fidem eos deducere conatur, ab eis crudelem in modum occisus est.

De Auenir & Iosaphat Indorum regibus.

Modestiæ commemoratio, quæ de Stratiqua à nobis facta est, duorum Indorum regum memoriam apud me excitat. Hi fuerunt Auenir filiúsque eius Iosaphat, anno enim Christianæ salutis octuagesimo supra tercentos, quēadmodum Damascenus Ioannes scripsit, relictis regnis, he remiticam vitam vixerunt, plus animorum quiete contenti quanquam in magna inopia, quàm opibus atque molestijs quas regna trahere secum solent.

De Ioanne Armeniæ rege.

Quis Ioannem Armeniæ regem, nisi impius prætereat? moderatúmque ipsius animum silere possit? Nam Clemē te quinto Pontifice, relicto Leoni nepoti regno eremum solus incolere, potiusquam regno vti maluit. Cum Cuteni postea Turcæ Armeniam infestarent, maléque Leo eā tueretur, à populis regnū sumere coactus, magno animo diu defendit. Ostendens neque animi paucitate, neque inertia impulsum antea se regnum reliquisse, neque postea ambitione aut leuitate resumpsisse.

De Armurato Turcarum rege.

Non solum inter nostri temporis Christianos homines hæc animi modestia, verùm in Turcis quoque à catholica fide alienis inuenta est. Id Amuratus Turcarum rex testatur, cum Mahumeto filio adolescentulo sub Calybassiæ tutela regnum viuens reliquit, séque ad heremiticam contulit vitam. Quanquam postea populorum precibus arma resumere coactus sit, vt eos qui Ioannis Vaiuodę armis infestabantur defenderet. Itaq; graui ac periculoso prælio cùm eum vicisset, paulo pòst naturę concessit,

eodem

eodem Mahumeto filio regni successore relicto. His autē exemplis satis clarè ostenditur quāta sit quietis moderatorumque animorum iocunditas. Quandoquidem & priscis & recentioribus temporibus, ingentibus animis, magnaque rerum gerendarum gloria insignes viri inueniantur, quietem magnis imperijs regnisque prætulisse: præsertim Amuratus de quo dictum est, qui antea Ladislaum Poloniæ atque Pannoniæ regem prælio victum occiderat, ac deinde Vaiuodam potentia virtuteque clarissimum armis intra fines suos illata clade compulit: quæ apertè testātur, in eo animi robur sapientiamq; fuisse, neq; ignauia aut stultitia, sed cōsilio potius tāto regno cessisse.

De Imberto Delphino Viennensi.

Magna quoque Imberti Viennensis Delphini (huius enim honoris nomine priscorum Allobrogum pars à recentioribus vocitatur) animi moderatio fuit. Vendito enim Delphinatu Philippo Valesio sexto Gallorum regi, post quem Gallorum regum primogeniti Viennæ Delphini vocari cœperunt, distributa in pauperes pecunia, salutis anno trecentesimo ac quadragesimonono supra mille, Lugduni Prædicatorum religioni se dicauit. Sed ne in hac re principum solum mentio fiat, ad sacerdotes transeamus, in quibus quod rarior est modestia animi, cui inuenitur laude dignior ac magis miranda est.

De Ambrosio Mediolanensi episcopo.

Quantum perfidiæ ambitionisque recentior ætas in quibusdam sacerdotalis ordinis habuit, contra in eo tantum modestiæ fideique superioribus temporibus inerat. His enim virtutibus honores opesque atque autoritatē quibus sacerdotio insignes nunc fungi perspicimus, pepererunt. Inter bonos illo Priscorum temporum Ambrosius Romanus patricius erat, qui cum Mediolanensem præfecturam gereret, videretque à populo Mediolanensi ad se deferri episcopatum, abiectiore vitæ genere contentus, sequenti nocte Mediolano profugit. Cæterum à populo retractus, coactusq; Episcopatum assumere, ea integritate virtuteq; administrauit, vt postea eius memoriā ceu sanctissimi hominis Mediolanenses ciues semper coluerint.

DE

De Benedicto tertio Pontifice.

Eadem modestia vsus est Benedictus tertius Pontifex Maximus, qui post Leonem cum ad Pontificatum vocaretur diu lachrymis restitit, dum se tanto honore indignum diceret. Sed tádem eum honorē assumere coactus, ita gessit vt electionis autores nunquam pœniteret.

De Nicolao primo Pontifice Maximo.

Benedicto Nicolaus primus vt in Pontificatu, ita in animi quoque moderatione successit. Nam cum ad Pontificatum se electum intelligeret, clam ab vrbe Roma profugit, magnoque labore à Romanis inuentus, maiore vi, collatum accipere Pontificatum vt vellet, cogi vix potuit. Atque haud minus in hoc laboratum, quàm his temporibus pleriq; soleant, qui ad sacerdotij apicem malis artibus viam astruunt.

De Gregorio primo pontifice.

Post Pelagij Pontificis mortem Gregorius primus cum sciret à Romanis ei se electum successorem (etenim temporibus illis Pontificum electio parum valida erat, nisi eam qui tunc imperabat confirmaret.) statim ad Mauritium Augustum Constantinopolim scripsit, ne electioni de se factæ assentiri vellet. Cęterum à Romanis nūcio cum literis intercepto, Mauritius populi precibus eum confirmauit.

De Leone nono Pontifice Maximo.

Similiter post Damasi mortem, cum missis populus Romanus legatis ad Henricum secundum imperatorem peteret, vt arbitratu suo hominem idoneum ad pontificatum eligeret, & Bauonem Tullensem episcopum elegisset, atque cum Pōtificis insignibus eum Romā mitteret, in via Bauo in Hildebrandum incidit, à quo monitus quod erraret Pontificalem sumere habitum, priusquam à Rom. clero esset electus, statim præ modestia habitum Pōtificium, & cum eo honorem quoque, quem ante gerebat, abiecit, & nouę electionis discrimen Romæ subijt. Qui quāquam peregrino habitu Romam profectus esset, à clero tamē populoque electus est, sub Leonis noni nuncupatione.

De Petro Damiano atque Andrea ordinem minorum profitente.

Inter

Inter clara Pontificum exempla, locum sibi virtute sua duo Cardinales vendicabunt, & facinoris excellentia dignitatem, quæ in personis minor erat, æquabit. Nam Petrus Damianus, qui Cardinalatus honore insignis, Hostiensis episcopatus titulum gerebat, Pontifice Gregorio septimo Cardinalatus dignitati atque eius pompæ, longe maiori animo quam plerique eam parare nitátur, renunciauit, atque in eremum se transtulit, sapienter intuitus quot labores malaq; Cardinalatus purpura tegat, cōtra quantum quietis atq; bonæ spei eremus polliceatur. Andreas quoque minorū ordinem professus, modestiæ plenus ingenti animo Cardinalatum abnuit, quem ei patruus Alexander quartus offerebat.

De Celestino quinto Pontifice max.

Petrus Muronus, vt omnes alios pontifices modestia superauit, ita postremus penè in clericali ordine inuentus, qui magnus modestiæ cultor esset. In eo enim clericalis caracteris bonitas fecisse videtur, quod accensæ lucernę lumen consueuit, scilicet vt deficiente materia, atque propinquo luminis fine, supra consuetum flammam in maius effundat. Nam mortuo Nicolao quarto, cum iam bienium integrum regnum continuaret, sacer senatus, quod discors de nouo pontificis electione contendebat, demum Petrum ipsum Muronum omnibus suffragijs elegit, cum autem diù laboratum esset, vt is delatum acciperet honorem, spreta omni pompa, quantum fieri poterat, seruare eremiticæ vitæ, quam antea degebat, formam nitebatur: tandēq; pontificias curas fastūq; abhorrēs, nulla necessitate cōpulsus, quin potius multis contranitentibus atque ne id ageret obtestantibus, post quintū mensem, Pontificatū solemni ritu seruato, in Cardinalium manu deposuit, eremiticāque vitam atque habitum resumpsit.

De Hilarione palestino.

Gloria quæ sanctorum animis, non minus quam auaritia officit, imò longè grauius vexat, quo occultioribus modis eos apprehendit, si deuitetur, non minorem laudem, quam auaritiæ fuga secum fert: nam cum persæpe ita virtuti gloriæ cupiditas coniuncta inueniatur,

vix discerni vitium possit, magno ingenio, magnaque pru dētia opus est, vt secerni colligiq; virtutis fructus, non admixtis inanibus gloriæ frondibus, valeat. Huius diligētiæ quæ ad gloriæ euitationem pernecessaria est, clarum Hilario Palestinus exemplum proposuit, qui relicta patria in Aegyptum, vbi olim Antonius abbas erat, cum se tulisset, post aliquod tempus, in patriā redijt, vbi cum mentis suæ quietem concurrentium ad ipsum hominum multitudine impediri videret, iterū in Aegyptum profectus est. Hic quo que haud diù mansit, cum ob virtutis magnitudine in honore haberi se, atque coli videret. Itaque vt id gloriæ deui taret clam Siciliam traiecit, vbi nullo alio adiumento vitā trahebat, nisi quantum paucula ligna, quæ orando defessus à monte in vrbem vendenda ferebat, subministrare poterant, cum illic quoque cognitus in honore haberi cœptus esset, ad vrbem Epidaurum in Dalmatiam se cōtulit, vt illic occultior esset: verum ceu sol, qui quanquam signa mutet mortalibus tamen semper fulget, cum illic quoque nosci cœpisset, eūque homines sequerētur, gloriam fugiēs (quæ nō secus ac pestis bonorum animos inficere solet) in Cyprum nauigauit. Vbi cum ea mentis tranquillitate, quā cupiebat degere nō posset, desertum quendam illius insulæ montem conscendit, vbi & fugiendi & viuendi finem fecit, his erroribus actus duntaxat, vt id fugeret, quod plerique inter mortales adipisci laborant, gloriam videlicet, & magnā famam: quæ quò ipse longius abibat, illò instātius sequebatur: quanquam verò sæpè fallax soleat esse, tunc vera ceu tuba multiplici ore, Hilario de virtutum tuarū magnitudine populis reuelabat, quæ tu præ modestia tegere laborabas, etenim diuinitus hoc videtur, vt gloria propter Deū eam fugientibus, aut dum viuunt, aut saltē post fata cumulatior referatur. Secus autē hos qui famæ nimium appetentes sunt, multis experimentis cognitum est, & in vita & in morte obscuros māsisse. Sed iam tempus est, vt ab Ecclesiasticis ad seculares homines redeamus.

De Iacobo Tepolo patricio Veneto.

Mortuo Ioanne Dandulo Venetiarum duce, cum vniuersus populus ei successorem Iacobum Tepolum nominaret

minaret, reijceretque quicunque præter eũ nominatus esset, ipse præ animi modestia clàm nauẽ conscendit: atque in Africam nauigauit, vbi secretus tam diu mansit quoad certior factus fuit Petrum Gradenicum ducem creatum fuisse. Cæterum quoniam frequens in ea vrbe modestia fuit, alia quoque de Venetis ciuibus subiungemus.

De Ioanne Particiatio, qui Baduerius dictus est. Venetiarum duce.

Modestiam quoque animi singularem, Ioannes Particiatius Venetorum dux ostendit, qui sexto anno post initum ducatum, cum nihil eum vrgeret, sponte sua deposito honore, ad priuatam redijt vitam: cui cum Petrus Candianus successisset, atque prælio cum Sclauis commisso, occisus esset, cogente Populo, denuo Ioannes ducatum resumpsit, atque in eo sex tantum menses commoratus, dum ciuiles quasdam seditiones componeret, denuo domum suam, ut priuatam abijt vitam.

De Petro Vrseolo Venetorum duce.

Quod antea Ioannes Baduerius fecerat, nõ multo pòst egit Petrus quoque Vrseolus, qui ducatus sui anno secundo, deposito honore, relictis cum patria vxore liberisque, vt maiore animi quiete viueret, Deoque magis vacaret, profectu clàm Venetijs abijt, simulque cum Romualdo heremita, in Galliam vt solitarius viueret, profectus est.

De Raphaële Adurno Genuensium duce.

Longè ab historiæ fide abesse debet, vt qui scribendi munus suscipit, aliquo animi affectu ductus veritatẽ vel omittat, vel offuscet. Hanc igitur legem secutus egregium Raphaëlis Adurni Genuensis ducis facinus, quo singularem animi modestiam ostendit minimè præteribo. Nam hortantibus ciuibus, quibus patriæ libertas curæ esse videbatur, vt principatu cedere vellet, asserebant enim si ita fieret, sublato factionis metu, concordes fore ciuium animos, atque in communem libertatem conspiraturos, sponte nullisque armis coactus ducalem dignitatem deposuit, atque ab vniuerso populo in priuatas ædes suas deductus, omni laudis atque honoris genere cumulatus fuit. Cæterũ quam quam res ipsa vt optabatur, vrbis libertatem non peperit,

ipse

Ipse tamen pro virili sua vt libera esse posset, effecit. Spoliare enim se honore quem gerebat, vt libertati locum daret non recusauit, atque honestæ famæ gloria quæ æterna erit ducatum permutauit, quem aut mors aut alius casus, sicuti in humanis rebus contingit, vt semper retinere posset, passurus non erat.

De Alberto Bauariæ duce.

Moderati etiam animi exemplum quod silentio præteriri non debeat, Alberti Bauariæ ducis fuit. Nam cum ingens ad eum legatio totus Bohemiæ populorum nomine profecta esset, ostenderétq; mortuo ipsorum rege Alberto Austrio, qui Ladislaum infantem filium in cunis reliquerat, quia tandiu expectare infantis grandiorē ætatem populi nolebāt, ipsum omnibus suffragijs ab omnibus populis regē electum esse. Ipse ingenti moderatóque animo renuit, ac multis sanctè facūdéque in hanc sentētiam dictis, populus vt regem suum paruum expectare vellent hortatus est. O animum verè excellentem, & laudib. omnibus celebrandū, qui meo quidem iudicio dum oblatū spreuit regnum, non minor fuisse quàm Alexander appetendo cēseri debet. Illud quidem haud dubium erit honestiorem sanctiorémque Alexandro fuisse.

De Friderico Marchione Brandeburgensi.

Par quoque Brandeburgensis Friderici modestia fuit, cū vacante Poloniæ regno in Vladislai morte per legatos ad regnum accersitus, vt pote qui inter eos nutritus plurimū diligebatur, accipere abnuit. Hortatus populos vt Casimirum Lituaniæ ducem defuncti regis fratrem, quia id æquius erat, regem acciperent.

De Alphonso rege Siciliæ.

Hi de quibus scriptum est ambitione abstinuerunt. At Siciliæ rex Alphonsus (vt Architas) furentem in medio cursu iram temperauit: in qua non minus laudis modestia, quàm in frenanda gloriæ cupiditate meretur. Nam cum Pyrrhum pocillatorē suum iussisset Gaspari vni ex eius aula quo cū graues inimicitias Pyrrhus gerebat, patera quam manu ferebat propinare, Pyrrhusq; imperiū geminati non paruisset, haud iniuria Alphōsus ira succensus

Pyrrhum strícto gladio insecutus, vt in eũ sæuiret, statim vt assecutus est, cũ vulnus iã inferre pararet, iræ statim fræna contraxit, abiectoque gladio, præ modestia in Pyrrhum sæuiendi sibi potestatem ademit. Et si neq; vltionis, neque castigationis respectus vllus erat, qui eum mouere deberet.

De Ludouico duodecimo Gallorum rege.

Nullus quoque timor Ludouicum duodecimum Gallorum regem continuit, vt quo die Carolo octauo vxoris suæ fratri in regno successus fuit, ministrorum suorum vni, quæ percharum habebat, morem non gereret. Nam ob rei illicitatem publicari, ac dono sibi dari fortunas petenti Aurelianensis ciuis, qui in Ludouicum ipsum hostili animo semper fuisse putabatur, id quidem negauit, atqui alia maiora pollicitus est. Quid enim ad tantum sublatus regnum iam vereretur, ne inimicum priuatum hominem pro atrocitate suo vlciscereturꝰ Modestiæ igitur sola cura, id non concedendi causa fuit: respõsi enim genus ita esse testatum requit, cum dixit, Iniquum proculdubio videri Gallorum regem, velle Aurelianensis ciuis iniurias vlcisci. Quin illa etiam magis à modestia hoc profectum esse declarauit, quod repente ac præter expectationem in tantam fortunæ euectus, omnium iniuriarum immemor, omnes eos qui Carolo paruerant, locis suis in honore apud se tenuit, ita vt excepta regis persona, quæ mutata erat, nihil in Caroli aula mutatum ex consueta specie videretur, mirumque omnibus esset, Ludouico eos regi stipatores esse, qui olim captiuum ex prælio duxerant, & eidem in honore illos atque, qui vt in custodia tam diu seruaretur, cõsuluerant. Atq; ipsos qui in carcere eum asseruarant, ea vultus lætitia hilaque animis, quibus Carolo operam dederant inferunt quem ante vt hostem captiuum habuerant.

De Ioanne Gualberto equite Florentino.

Si Architæ Tarentino, quod in ira abstinuerit villicum cedere, quia male agros coluerat, si pariter Platoni, quod iratus seruo alteri castigationem mandarit, tantum peperit laudis, quanta Valerius eos magnificis verbis cumulauit, quãtò illis anteponemꝰ, maioribusq; etiã efferemꝰ laudibus modestię plenũ Ioãnis Gualberti Florẽtini equitis facin

Nam

Nam cum ex agro in vrbem magno hominum numero comitante rediret, eiq́ue forte obuius esset is, à quo haud multo antè frater, quem solum habebat, fuerat occisus, neque diuertere posset: Ioannes iam gladium, vt fraternam necẽ vlciscereturstrinxerat, sed cum humi prostratus fraternæ necis auctor, vt sibi ob Christi crucifixi reuerentiam parceretur, oraret, singulari modestia, Ioannes iram compescuit, atque illum gladiumq́ue, quem vlciscenda iniuriæ gratia strinxerat, in templum quod primum offendit deduxit, & crucifixi imagini, quam in eo vidit vtrunque præsentauit. Mira res sed tamen vera narratur, scilicet Christi imaginem cernentibus omnibus qui aderant, demisso capite, aperta signa dedisse, omissæ gratia suæ vltionis, munus acceptum atque gratum habere. Quod factum ita Ioannis quoque animum pupugit, vt relicta patria, relictis fortunis, & seculari vita, princeps condendæ cõgregationis quæ sub Vmbrosæ vallis nomine censetur, perhibeatur fuisse: Imago autem, quæ hoc fecisse dicitur, postea singulari veneratione in sancti Miniati fano, haud longè ab vrbe Florentia asseruata est.

DE IIS QVI CVM INIMICI AVT *etiam hostes essent, non inimicitia modo, sed etiam affinitate se deuinxerunt.*

Cap. II.

HAud incongruè iuxta eos qui moderato animo fuerunt, tanquam ramos in arbore sua, eos ponemus qui ex inimicis amici facti sunt, aut etiam reconciliatam amicitiam affinitate sanxerunt.

De Cn. Pompeio & M. Crasso.

Cum consulatum Cn. Pompeius & M. Crassus parum amico inter se animo gessissent, fertur cõsulatu ad finẽ tendente Sex. Aurelius in Senatu, vbi ambo erant Consules dixisse, in somnis se à Ioue monitum, vt consulibus reuelaret, priusquam consulatu abirent, positis simultatibus, mutuam beneuolentiam redintegrarent. Quo audito Crassus, quanquam natu maior, primus consurgens Pompeio dextram porrexit, haud indecorum sibi ducens, & si senior erat, à se prius Pompeium ad copulandum amorem voca-

ri: cum enim Senatus quanquam in prima adhuc iuuenta magni cognomine honestasset, ac deinde cum per ætatem Senator nõdum esse posset, decretis duobus triumphis insignem reddidisset. Cui contra cum Pompeius mutuũ obtulisset voluntatem conciliatam ea hora amicitiam, quoad vixerunt incolumem seruauerunt.

De Cymone, & Pericle Athenienſibus.

Magnæ inter Cymonem Periclemque Athenienſes amicitiæ fuerunt, adeò vt Periclis opera Cymon in exilium pelleretur, conciliatoque demum inter eos amore Periclis opera, Cymon reſtitutus, claſsi quę in Cyprum mittebatur, præfectus fuit.

De Maſsiniſſa Numidarum rege atque Scipione.

Romanorum ab initio Maſsiniſſa poſtea quàm Numidarum regnum adeptus eſt acerbiſsimus hoſtis, vt omni ope, quantum in eo fuit, aduerſus Scipionem Carthaginenſes iuuit. Sed demum Scipionis virtute allectus ſtudia mutauit, atque à Carthaginenſibus ad Romanos amorem conuertit, vt Maſsiniſſa fideliorem nullum Romani inuenerint. In amore autem Maſsiniſſa dum vixit perſtitit, vt ita eſſe palàm fieret, moriens ſenatum Romanum Scipionemque liberis ſuis tutores reliquit.

De Veſpaſiano & Licinio Mutiano.

Inter Veſpaſianum cum adhuc priuatam ageret vitã Licinium̃que Mutianum, vt inter pares plerunq; ſolet, inimicitiæ haud mediocres erant. Cæterum cum poſtea Vitellius imperium laceraret, Veſpaſiano aduerſus Iudæos bellum gerente, Mutianus qui Aegypto atque Syriæ præerat, primus fuit qui Imperatorem Veſpaſianum ſalutaret, atque Syriacos orientisque exercitus in Veſpaſiani partes traheret. In eoque beneuolentia atque fide dum vixit Mutianus perſtitit. Contra quoque Veſpaſianus Mutiani inſolentiã, vt inter amicos par eſt, pertulit ac texit.

RECENTIORA.

De Alphonſo Caſtulonenſi, alioque Alphonſo Legionenſi regibus.

Non minores quoque inimicitiæ inter duos Alphonſos Caſtulonenſem Legionenſemque reges fuêre, ſed Hele-

nore

noræ Castulonensis reginæ opera finitæ, affinitatem contraxerunt, quod Legionensis Alphonsus alterius Alphonsi gener factus est.

De Veremundo Castulonensi & Garsia Nauarræ regibus.

Graues etiam inimicitias inter se diu gessere Veremundus Castulonēsis Garsiasque temulentus Nauarræ reges. Cæterum cum Sarracenorum armis Veremundus infestaretur, vt primum ab eo ad ferendam opem Garsias vocatus est, positis statim inimicitijs, belli partem susceptit, factique eo bello amici socijque, mutuum dum vixerunt amorem seruauêre.

De Roberto Guiscardo Apuliæ duce et Nicolao secundo Pontifice.

Apuliæ dux Robertus Normandus, quia quædam Eccle siasticæ ditionis loca occupabat, à Nicolao secundo Pontifice iudicatus hostis, factusque extra fidelium numerum, ab eodē Pontifice tandem non ecclesiæ solū restitutus, verum titulo quoq; Apuliæ atq; Calabriæ ducis insignis factus, feodique iure Ecclesiæ addictus, sæpius in bello Nicolao ipsi atque eius successoribus ingentem opem tulit.

De Carolo sexto Gallorum & Richardo Britannorum regibus.

Graues inter se Carolus sextus Gallorum, atq; Richardus secundus Britannorum reges inimicitias ac bella gesserunt, & tamen in colloquium deducti, ita abiêre, vt non inimicitia solū, verum affinitate quoq; Isabella Caroli filia, in matrimonium Richardo collocata, iungerentur.

De Renato Lotharingiæ & Barri duce, atque Antonio Validi montis comite.

Non minus quoque odijs inter se decertauerunt Renatus Andegauensis Barri atq; Lotharingiæ dux, qui postea regni Siciliæ titulum vsurpauit, & Antonius Validi montis comes, adeò vt cum Renatus Validum montem obsideret, ab Antonio ipsius loci comite, Burgūdionibúsq; fusus, Diuionum captus, eo prelio fuerit perductus. Vbi Philippi Burgundiæ ducis opera, ambo positis inimicitijs, ad mutuā beneuolentiam conciliati, affinitatem quoque ducis filia in matrimonium comitis filio locata iunxerunt, auctóq; indies amore cum ducis stirps deficeret, Renatus ex nouo matrimonio natus, materni aui magna ex parte hæres fuit.

De Carolo Aurelianensi, & Philippo Burgundiæ ducibus.

Quam graui cruentoque inter se bello dissiderent duo insignes duces Aurelianensis Carolus, & Burgundus Philippus toti Galliæ his quoq; tẽporibus notum est. Etenim huius belli causa magna eius pars ferro & igne vastata est, magnusq; in eo virorũ numerus occubuit cũ hæc inter ipsos odia arderent. Etenim in Parrhisijs Aurelianensis Caroli pater, patris Philippi ducis Burgundiæ opera cæsus fuerat, & dum Carolus patris mortem vlcisci quærit, Philippi quoque pater interficitur, expleta vtrinque ira ambo mutuam amicitiam affinitatemque inierunt. Philippi Burgũdiæ ducis nepte in matrimoniũ Aurelianẽsi duci locata.

De Ludouico Gallorum rege, atque Edouardo Plantagineto Britanniæ rege.

Aetate quoque nostra hostes inter se fuêre Ludouicus vndecimus Gallorum atque Edouardus Plãtaginetus Britannorum reges. Cum autem Edouardus cum valido exercitu in Galliam traiecisset, priusquam prælium committeretur, in colloquium reges venêre, atque inde conciliata amicitia atque affinitate, ambo retro in patriam cessere. Edouardi filia Ludouici filio, qui penè infans erat, in matrimonium promissa.

De Ludouico Gonzaga Mantuæ principe, & Bernaboue Vicecomite.

Graui olim bello obsedit atque presit vrbem Mantuam Bernabo Vicecomes cum in ea Ludouicus Gonzaga tandem potiretur. Tandemq; inter eos non pax tantum inita, verum affinitas quoque cõciliata, Bernabouis nepte in matrimonium Vgolino Ludouici nepoti locata, accipitris annuo censu constituto, pro vrbe Rhegio, quam is possidere Bernaboui dicebat, à Feltrino patruo armis retenta.

De Galeatio Vicecomite, & Actio Estensi Ferrariæ domino.

Idem inter Galeatium Vicecomitem Matthæi filium, & Actium Estensem Ferrariæ principem ante contigerat. Nam crudelem in modum odia inter ipsos arderent, ad matiq; ambo in agro Cremonensi ad Abduam amnẽ, instructis exercitibus cõueniissent, inita pace atque affinitate amicitias posuerũt. Galeatio in matrimoniũ ab Actio

re Beatrice data, quæ mortuo Nino priore viro Galluræ iudice (ea enim potestas insignis in Gallica erat) Alberti Scoti filio, qui Placentiam obtinebat, promissa fuerat. Itaque cum postea Alberti Scoti opera, vt prælatum sibi Galeatium vlciscereturr, Galeatius cum Matthæo alijsque Vicecomitibus patria pulsus esset, magna fide ab Actio exceptus, eum qui tanto casui necessaria præstaret, promptum habuit.

De Lotho Pisano, & Oberto Spinola.

Diu mutuis grauibusque inter se odijs Genuenses atq; Pisani decertauêre, cum Pisas Vgolinus comes, Genuam autem duo Oberti Auria & Spinola gubernarent. Itaque cum salutis anno ducentesimo atque octuagesimoquarto, supra mille, delera Pisanorum ingenti classe, Lothus Vgolini comitis filius, in prælio captus, quadriennium in Genuensium potestate fuisset, eo tempore Gibellina factio, Pisis Lothi parentem atque fratres obsessos fame confecit. Cæterum cum postea initam Pisani cum Genuensibus pacem violassent, Lothus è carcere mittitur, atque à Genuensibus ciuitate donatus, & Obetti Spinolæ gener factus, ab hostibus salutem honoresque assecutus est, cum à ciuibus suis fratres eius miserum in modum perijssent.

De Sforcia Attendulo, & Pandulfello Alopo.

Fuerunt similiter graues inter Sfortiam Attendulum inimicitiæ, cum Ioannę secundæ Neapoli regnātis copiarum militarium dux esset, & Pandulfellum, ab eadem Ioanna pulsquam pudicitiæ ratio pateretur, amatum. Itaque cum apud reginam plus ob amorem posset Pandulfellus, Neapoli Sfortia custodiri iussus est. Cæterum postea aduentante Iacobo rege communis timor, ex inimicitijs amorē inter vtrunq; peperit, collocataq; Catharina sorore in matrimonium cum Sfortia, Pandulfellus beniuolentiam affinitate confirmauit, vt Sfortia Magnus in Neapolitano regno Conestabilis (ea post regiam maior potestas erat) crearetur.

De Petro Fulgosio Genuensi duce, & Ioanne Philippo Fliſco.

Quæ grauiores cruentæque magis inimicitiæ fuerunt, quàm inter Petrum Fulgosium Genuensem ducem, ac Ioannem

annem Philippum Fliscum? Septennium durauere tam animorum odio, vt nullum Petrus hostem haberet, quem statim Ioannes Philippus Petri iniuriam beniuolentia non compleateretur: tantumque sanguinis atque auri hæc odia exhausere, vt quibus videre ea tempora contigit, horrore penè exanimarentur, & tamen, posteaquam Alphonsi regis potentia, peste insuper conflictatus deserere Petrus principatum coactus fuit, Ioannes Philippus in eum amorem in eo redijt, vt nunquam postea nisi communem mensam lectumque haberent, & tã acriter Ioannes Philippus adeuerauerandam Petri dignitatem decertauit, vt pro ea vitam amiserit.

De Alphonso rege Siciliæ, ac Mediolanensi duce.

Longo tempore Alphonsus quoque Siciliæ rex, & Philippus Mediolanẽsis dux graues inter se inimicitias gesserẽ, & tamen posteaquam apud Caietam captus Alphonsis per Philippum libertatem obtinuit, is inter ambos amor conciliatus est, vt postea non minus laborauit Philippus, ad restituendum in regno Alphonsum, quàm antea vt inde eum pelleret egerat, pariter quoque Alphonsus ab eo tempore, ceu parentem Philippum coluit, hostesque eius amicosque omnes & pecunia & militibus, non aliter quàm si cum Philippo stipendia faceret promptissimè, vt res poscebat, vel offendit vel iuuit.

De Hercule Ferrariensi Duce & Friderico Gonzaga Mantuæ Marchione.

Atroces quoque inimicitias inter se exercuerunt Hercules Estensis ac Fridericus Gonzaga Mantuanus Marchio, propter Nicolai Estensis mortem (quia Ferrariensis ducatus competitor ad eum adnitebatur) ab Hercule occisi. Friderico cum acta affinitate iunctus erat, adeò autem inter ambos exarserunt odia, vt cum vterque cum populo Florentino stipẽdia faceret, in ijsdem castris in Etruria, prælio inter vtriusque milites exorto summam rerũ nisi quod Alphonsus hostis aberat, penè in extremum discrimen adduxerint: & tamen haud multo pòst conciliata inter eos amicitia, Hercules Isabellam filiam Francisco Friderici filio, coniugem dedit.

DE

DE ABSTINENTIA ET CONTI-nentia. Cap. III.

REs iam exigit ad continentiam abstinentiamque tranſeamus, in quibus virtutibus magna ſunt ad humanas cupiditates cohibendas frena. Tanto autem in principibus laudis merentur, quanto quod cum ſola ipſorum voluptas explere appetitum poſsit, miræ magis eiuſmodi virtutes, ſi eas habuerint, videri ſolēt. Quod ſi in virtutis neglectum hæc frena cupiditatibus laxarint principes, eò cæteris perniciosiores ſunt, quantò alios potentia etiam magis antecellunt. Perſæpe enim principum exempla populi ſequuntur: atq; vt vel ſolutis moribus vel frenatis cupiditatibus vixerunt. Quia ita publicos mores vel iuuant vel lædunt, aut laudem aut reprehenſionem merentur.

De Senatu ac populo Romano.

Inter hos primus à nobis ponetur populus Romanus, cuius plerumque geſta omnifariam ſingularem abſtinentiam animique magnitudinem oſtenderunt, eo autem pluris hæc virtus facienda eſt, quo rarior in publicarum rerum adminiſtratione inuenitur, præſertim vbi grauia premunt bella, in quibus perſæpe verecundiam neceſsitas vincit. Præſertim quod vbi plures in commune conſulunt, maior numerus eò plerúmque inclinat, vbi vtilitatis ſpes maior, quam honeſti ratio effulget. Erat Senatus populúsque Romanus, tum longo ac graui Hannibalis bello, tum ijs quoque quibus nunquam ſatis victæ Hiſpaniæ, præterea Galli Græcique exercere vires Romanas non intermittebant, adeò preſſus, vt quanquam animo inuictus viribus tamē defeſſo proximus eſſet. Quo tempore non ſine magna animorum ſollicitudine (neque enim propter hoſtis potentiam quem exitum res habitura eſſet ſatis perſpici poterat) contra Antiochum Syriæ atque Aſiæ regem ſumere arma coactus eſt. Itaque cum Aegypti rex Ptolemæus, præter magnam vim frumenti mille auri, atque totidem argenti pondo ei offerret, Philippus quoque Macedonum rex, milites auxiliares, pecuniam & frumenta, Senatus populúsque Romanus, verbis grauiſsimis cum gratias egiſſet, nulla re accepta à Philippo,

hoc solum accepturum se dixit, Vt Romanis ducibus, adversus Antiochum eam opem, quæ ipsi videretur ferret, ubi re aliqua eis opus esse contingeret. Massiniſſæ quoque regis oratoribus, quæ quingenta frumenti modiorum millia, ducenta ac quinquaginta hordei, præterea equos quingentos, elephantosque viginti offerebant, responsum fuit Senatum populumque Roma. frumentum duntaxat vanale accepturum. At Carthaginenſiũ legatis, post eos de quibus dictum est, cum ingentes commeatus classemque offerrent, atque insuper tributum multorũ annorum, qui nondum lapsi erant (ô animorum ingentium responsum) dici iusserunt. Nihil Senatus ac populus Romanus à Carthaginenſibus, nisi quod facto tenerentur, velle.

De Philopœmene Megalopolitano.

Quantam æstimare debemus Philopœmenis Megalopolitani continentiam fuisse? cum cupientibus Lacedæmonijs aliquo insigni munere, pro acceptis ei beneficijs gratiã referre, oratores qui ad eum cum centum viginti talentis missi erant, perspecta eius vitæ abstinentia, nunquam dandã ei hac pecunia hiscere ausi sunt. Cæterum data Timoleonti, vtpote qui ei familiaris erat, huiusmodi cura, ipse quidem prima aut secunda vice verbum ei facere ausus est. Sed tandẽ rectis verbis cum Lacedæmoniorum animum ostendisset, turbatus est grauiter Philopœmenes, Lacedæmonémque profectus, in Senatu Lacedæmonios grauiter increpuit, quod amicum, quem sine vlla impensa habebant, coëmere pecunia tentarent. His quę ei iusserant offerri non minore molestia se affectum ostendens, quã plerique soleant si eis nihil tribuatur.

De Epaminonda Thebano.

Epaminondæ fama virtutéque motus Artaxerxes Persarum rex, cum sibi eum facere amicum cuperet, hoc munus cum pecunia simul Diomedonti dedit. Qui de hac re Epaminondam compellare non ausus, quinque talenta iuueni cuidam Epaminondæ familiari, vt ipse cum eo hoc munere fungeretur, dedit. Epaminõdas aũt vix auditis primis illi⁹ iuuenis verbis, Diomedõtẽ vocari iussit, dixitq; Secũ pecunia opus nõ esse, quoniam si de bona re apud Thebanos eius

eius opera desideraretur, semper eam sine præmio facturus esset: Quod si mala foret, totius orbis aurum, vt ab ipso obtineretur non effecturum. Quare vehementer territus Diomedontes ab Epaminonda, petijt ab eo, Vt cum præsidio mitteretur. Cui Epaminondas libenter assensus est, ne si forte pecunia erepta foret, suspicionem à se accepte relinqueret. Thebanum quoque iuuenem cui quinque talenta Diomedontes dederat, accepta restituere iussit.

De Phocione Athenienſi.

Insignis quoque abstinentia fuit, responsumque ingenij ac bonitatis plenum, quo Phocion Athenienſis cum Alexandri oratoribus vsus est. Qui cum centum auri talenta ad eum tulissent, priusquã aliquid ab eis diceretur, petijt, Quamobrẽ Athenas ad solum se munus deferrent? qui cũ respondissent, Id ab Alexandro agi, quod solum bonum iustumque Athenis ipsum esse iudicabat, dixit: Sinite eum me esse, videríque quem rex vester iudicat, & aurum vestrũ ad eum referte.

Item de Phocione.

Similem abstinentiam ostendit cum Menylli qui Athenis Antipatri præfectus erat munera respuit, dixit enim, Cum Antipater Alexandro maior non esset, neque honestior dandi causa, nihil sibi cur accipere deberet, videri. Quod cum Menyllus filio ea dare munera vellet, Phocion respondit. Filium si patri similis foret, neque illis, neque alijs muneribus opus habiturum: verum si dissimilis solutos haberet mores, ei neque Antipatri munera, neque longè maiora suffectura. Quamobrem non iniuria Antipater dicere solebat, Se duobus amicis quos Athenis habebat, neque Demadem vnquam explere, neque Phocionẽ vt acciperet, adducere potuisse.

Item de eodem.

Tantò autem ad abnuenda munera promptior, quantò ad accipiẽda multi præsto esse solent, cũ Harpalus ab Alexandro Athenas fugiens, pecunia eum conciliare amicum vellet, spretis septuaginta talentis, quæ ad eum Harpalus miserat, renunciari ei iussit, Nisi pecunia Athenienses corrumpere abstineret, inde ad eum graue malum peruentu-

uenturum fore.

De Agesilao Spartarum rege.

Agesilao Lacedæmoniorum regi, qui in summa rerum inopia versabatur, cum à Tithraustis grandis pecunia oblata esset, si ab eorum damnis abstineret. Respondit, Lacedæmonios longè maius ducere exercitus suos, quàm ducem locupletare.

De eodem.

Difficulter auaritia vincitur, longè difficilius animi libido et Veneris intẽperantia, in solo enim animo auaritia sedem continet, Venus autem & animum & corpus simul occupat: Illa cupiditati laxatis habenis paratur, hæc nobiscum simul oritur, quambrem quantò hostis fortior, atque homini familiarior est, quia difficilius vincitur, tãto etiam pluris facienda victoria est. Hac potitus est Agesilaus, cum Magabatem Persam formosissimum puerum, iuxta Spartarum morem diligeret, nam cum eum Magabates pro Persarum consuetudine deosculari vellet, cubito eum Agesilaus auertit. Quare cum indignatum puerum esse animaduertisset, per iocum astantem quendam monuit, vt iterum ad tentanda oscula puerum impelleret. In quo cum territo fieri puer vellet, ne si Agesilaum inuitaret iterum reijceretur. Respondit Agesilaus, ne vnum quidem se osculum accepturum, licet ditiorem se formosiorémque mortalium omnium facturus esset, atque omnia quæ intueretur in aurum ei conuersurus.

De Antiocho tertio Asiæ rege.

Non minore continentia rex Asiæ Antiochus, Ephesi statim abijt, ne amore captus, cum formosissima virgine, quæ Dianæ sacerdos erat, patrare incœstum cogeretur. Prudenter enim prælio abstinendum, cum eo hoste duxit, qui vix, neque id nisi fugiendo vincitur.

De Iuliano Imperatore.

Continentissimus quoque Iulianus Imperator fuit, qui mortua coniuge Helena quanquam iuuenis admodũ multos annos in cœlibatu, sine vllo Veneris comercio, egisse creditur. Captáque in Persida vrbe Maiozanalcha, in qua formosæ permultæ mulieres erant, non modo nulla abusus est,

est, verum vt continentior esset, ipsarum quoque conspectum deuitauit.

De Ioseph patriarcha.

Alia profecto continentiæ exempla omnia superat, id quod tu Iosephe insignis adolescens egisti. Cum in Aegypto seruus, in prima ætate, cui difficulter resistitur, immoderatos dominæ complexus renuisti: quæ formosa formosum te in tenera ætate deperibat, adeò vt fœminei pudoris oblita, flens oránsque te ad stuprum compellaret. Compescuit enim in te iuuenilem ardorem audaciámque, seruili timori addidit virtus in teneris annis tuis, veluti præcoces fructus, in nouæ arboris ramo præmatura, neque ad scelus descendere passa est, contrà autem libidine incensa mulier paritérque in rabiem ob denegatos complexus versa, cum pro amore odium suscepisset, vt occidereris falsis criminibus enixa est. Quamobrem quantò continentia tua blanditijs malísque propositis grauius oppugnata, in magna te pericula deduxit, tantò maiores ei laudes debentur.

De Cn. Pompeio Magno.

Continentissimum se quoque Pompeius ostendit, cum superato Mithridate rege Ponti, captísque permultis quæ forma insignes erant eius concubinis, rem cum nulla habere voluit. Quin potius cum nobili genere ortas intelligeret, cognatis illæsas restitui iussit. Quanquam iure belli arbitratu suo de eis statuere posset. Hac enim cõtinẽtia quod seipsum superauit, non minus quàm Mithridate deuicto laudis deportauit.

De Valerio Diocletiano Imperatore.

Diocletianus Imperator cum bello vxorem filiásq; Narsei Persarum regis cœpisset, magna earum pudicitiam dilligentia incolumem seruauit. Ea autem continentia nõ minus magnum sibi apud hostes, quàm armis nomẽ peperit. Quæ res Persas mouit, vt quod ante de Rom. imperio occuparent, restituerent, atque in Romanis pluris virtutem, quàm arma facientes, ab eis pacem peterent.

De Monima Milesia.

Quò muliebrem sexum omni iure, præcipuéque in re venerea fragiliorem natura effecit, quàm virilem, eo laudan-

dæ

dæ magis, quæ in eo sexu viros continentia superasse intelliuntur. Inter has enumerari Monima Mileſia debet, quæ quànquam haud magnis natalibus orta esset, cum eam Mithridatis rex Mithridates ingenti pecunia, atque promissis in Venerem sollicitaret, assentiri nunquam voluit, neque eam vxorem atque ad regium soliũ Mithridates duceret. Quippe castum pectus aduersus duos ingentes hostes auaritiam ac Venerem pudicitia protexit. Quæ duo mala non imbecillis solum mulieris animum, sed viros quoque ipsos atque philosophos: sed quid dico? regna ipsúmque terrarum orbem expugnare potuissent.

De Hieronis Syracusani coniuge, itẽ de Bilia Duellij Rom. vxore.

Qua debemus credere continentia fuisse Hieronis Syracusani coniugem? cum quærenti viro, Quod fœtere ei anmam nunquam dixisset, & idcirco ab alijs non sine decore de eo monitus esset. Respondit, Arbitratam se alijs viris idem odoris esse. Quo etiam responsi genere, Bilia cum Duellio viro vsa dicitur, qui primus in vrbe Roma, nauali duxit triumphum.

De Zenobia Palmyrenſium regina.

Zenobia Palmyrenſium regina, præterquam quod ab omni alio Veneris genere se contineret, cubitũ cũ viro non redibat, nisi ex muliebribus signis se grauidam nõ esse animaduerteret. Post mortem autem viri diu bella gerendo, inter milites sanctissimè sine vlla infamia vixit. Grandis profectò res atque idcirco vehementer laudanda, vt ab eo contineret, quod in coniugio permissum erat. Liberáq; inter militares solutis moribus viros viuens, in alicuius infamiæ labem non incurreret. Quam continentiæ laudem cõporibus nostris saeræ virgines tot frænis, tot oculis, murus custoditæ perrarò assequuntur.

De Catone Iuniore.

Quanquã libidini fræna ponere durum videatur, haud expertes tamen laudis cẽseri debent, qui alios quoque humanos affectus, aut ob virtutem solam, aut vt exemplum alijs darent, cohibere potuerunt. Quemadmodum Cato Iunior fecit, qui cum per Libyæ feruidas arenas iter faceret, & propter solis ardores laborémque totus exercitus

siti

siti grauiter laboraret. Porrecta ei galea aquæ plena à milite, quam solam vix inuenerat, vt tolerantiam suam ostenderet, neque fitientibus alijs solus sitim expleret, in exercitus conspectu aquã à galea in terrã effudit, vt qui potu ora militũ explere non poterat, oculis atq; exẽplo suo expleret, idq; assecutus est, vt aqua quę hausta vix vni⁹ idq; fortasse ægrè sitim sedasset, ea sparsa, sitim facili⁹ oẽs perferrẽt.

De Alexandro Magno.

Alexander cum Darium Persarum regem prælio victum persequeretur, grauiter siti vexatus, incidit in quosdam è suis iumenta aquis onusta agentes, è quibus vnus sitienti in galea aquam cũ porrexisset, Alexander priusquã gustaret, perijt, quónam eã ferrent, & respondente eo, Ad filios se ferre, qui etiã si morerentur, diu superuiuẽte Alexandro, copia liberorum ei defutura non esset. Alexander cum iam manu teneret galeam vt biberet, dixit, Nolle se bibendo aliorũ augere sitim, atq; aquã illi à quo acceperat, restituit. Expertus sitim solis ardore, atque animi corporisque labore partam, facilé huius abstinentiæ magnitudinem intelliget. Quod secus in ocio assuetis est, qui cum orientem solem nunquã sobrij viderint, sempérq; eis vino stomachus nauseat, abstinentiæ vires nullas sentire possunt.

De Dauide Iudæorum rege.

Cum Palæstini Dauidem Iudæorum regem obsiderent, isq; orandi gratia in arcẽ conscendisset, hostilẽ exercitum intuitus, arq; ex re vna in aliam, vt humani ingenij moris est, cogitando transiens, aquis Bethleem, quod propè portã erant permultum laudatis, chariores eas si tunc vti posse contingeret, quàm magnam auri vim se habiturum, dixit: Quod cum Eleazarus Iesebes & Semeia viri fortes audacéq; intellexissent, per medios profecti hostes eius aquæ vasculum non sine ingenti periculo attulerunt. Dauid autem quanquam multum eam desiderasset, quia magno periculo allatam sciebat, & propterea humani sanguinis instar eam haberet, potu abstinuit, Deóq; eam pro trium salute, qui ipsam tulerant obtulit.

De Origene Adamantio.

Inter continentię exẽpla à nobis Origenes Adamantius pone-

ponetur, nam præter cõtinuas vigilias, ieiunia, calores, frigora quæ ferebat, nudis pedibus, vna tãtum tunica tectus, cum nec carne nec vino vnquã vesceretur, vitam in grauibus voluntariáque inopia ducens, non satis duxit corpus ab omni venerea labe mundum seruare, vt suspicione quoq; careret, nec minus famam quàm corpus sine labe teneret, secatis genitalibus membris, eunuchum se fecit.

De quodam iuuene Aegyptio.

Etsi Origenis continentia ingens videatur, nullum tamen de se tam grande fecit periculum, quàm iuuenis quidam Aegyptius, quem Hieronymus fidelis testis imperante Valeriano, quia Christianus erat captum scripsit. Et cũ Valerianus facilius rebus venereis ob ætatis incentiua, quàm alijs tormentis à catholica fide se abducturum confideret (etenim omnis venus extra matrimoniũ Christiano hominum interdicta est) in amœnissimis hortis nudum in lectis floribus, atque omni odoramentorũ genere instructo molliter deligasset, lateri eius formosam mulierem ipsam quoque nudam addidit. Quæ frequenti amplexu cum iuuene foueret, suauia quoque ad corrumpendum iuuenis animum immodestissimè impingeret, haud lõgè aberat adolescens, quin in Venerem ipsius soluueretur corpus, carne (quaquam constanter perstaret animus) Veneris tam acres stimulos vix iam ferente. Itaque Iuuenis cum id agnosceret, neque aliud superesset remedium, admirationis plenam laudẽq; super omnia quæ vlli vnquam egerint philosophi dignorem, vt Veneris ardorem, compesceret, viam iniuit: dentibus enim linguam abscidit, eiusque rei dolore affectum totum corpus libidine qua iam mouebatur extinxit, maioribusque viribus huic animi morbo quàm Xenocrates philosophus & ebrius & senex restitit. Nam propter vinum seniumque factus somni quàm Veneris auidior, tuto cum Phryne meretrice Atheniẽsi salua pudicitia cubare potuit.

RECENTIORA.

De Totila Gothorum rege in Italia.

Ingentem animi continentiam Totilas in Italia Ostrogothorum rex ostendit, cum bello aduersus Romanos suscepto, & si eorum rebellione grauiter exacerbatus erat, in

Cam-

Campania Cumas vrbem cœpisset, nam cũ in ea permultas nobili genere mulieres Romanas offendisset, seruata singulari diligentia earum pudicitia, parentibus proprijs queisque eas restituit.

De Henrico primo Imperatore.

Drusi Germanici ornatissimis verbis continentiam Valerius laudauit, quod coniugalem fidem nunquam violasset, quæ res profectò pro merito in ea præsertim ætate que solutos mores habebat, laudari satis non potest. At Henrici primi Imperatoris Kunegundæque Augustæ coniugis virtutem in eo genere, quibus vnquam præconijs satis efferre poterimus? Iuuenes enim principesque atque natione Germani (quæ omnia ad Venerem virentes secum aculeos ferunt) non modo omni alia Venere abstinuerunt, sed inuiolatum quoque virginitatis florem seruauerũt. Quod fortasse apud plerosque fide careret, nisi miraculorum magnitudo (neque enim aut falli, aut fallere diuinum iudiciũ ac testimonium solet) veram de vrriusque virginitate famã esse testarentur. Sed quid illa miramur, cum hac quoq; ætate, in vrbe Bononia, duo ferantur esse nobili genere orti, quibus abundè opes suppetunt, matrimonio in adolescentiæ flore coniuncti, qui iam decimum & octauum annum, in eodem thalamo eodemque lecto virginitatem illæsam custodiunt.

De Almarico Pannonio.

Almaricus quoque Pannonius Stephani filius, qui Christianorum primus apud Pannonas regnauit, nõ minorem continentiæ laudem meruit. Cum iuuenis cum coniuge agens, id est ignem inter nutrimenta ac fomites tenens, nescius Veneris, se incolumi virginitate seruauit.

De Alphonso secundo Legionis Hispaniæ rege qui Castus cognominatus est.

Similis etiam ex parte Alphonsi continentia Legionis regis fuit. Nam non solum omni alia Venere abstinuit, verum etiam cum vxore castitatem seruauit. Amõ Aegyptius adhuc adolescens, à parentibus vxorem ducere coactus, posteaquam cum ipsa lectum inijt, ei persuasit vt incolumem virginitatem seruare vellet, ipsa in hanc sententiam dedu-

cta decem & octo annos cum eo vixit, spretis his commodis ac voluptatibus quas coniugium permittit. Sola enim animi sui constantia libidini fræna posuit, quàm vix fugiendo in paruis momentis nedum in tãta re homines vincere possunt.

De Luchino Viualdo Genuense.

Satis patet, Veneris appetentiam amoremque, & si inter se propinqua sint, ac similitudinẽ habeãt, differre tamẽ, req; ipsa disiungi, etenim exercendę Veneris cupidi homines esse possunt, & tamen non amabunt, quanquam amor quoq; persæpe sine Veneris desiderio sit, notæ quoque amborum vires, cum simul esse contingit, siquidẽ singulis vix aut morte, aut senio, vel etiam impotentia: nonnunquam etiã seruandæ pudicitię proposito resistitur. Quamobrem, si hæc duo separata difficulter vincuntur, de coniunctis longe difficilius victoria parari solet, maioriq́ue laude digni iuuenes sunt, qui ne ab ijs vincantur assequi possunt. Inter hos Luchinum Viualdum Genuẽsem commemorabimus, qui iuuenis in magnis opibus, cum Genuensem fœminam matrimonio locatam deperiret, & ipsa amori assentiri recusaret, non desinebat tamen in amore persistere, itaq; ea casus tulisset, vt propter bella, quibus tunc mare infestum erat, in Sardinia huius mulieris vir caperetur, ipsa quæ ob eam rem in egestatem coniecta, non habebat vnde sibi & liberis alimenta præberet, vltima necessitate premente, cui amoris Luchini ei in mentem veniisset, misit qui eũ ad colloquium inuitarent, profectusque ad eam Luchinus, cum veniisse tempus arbitraretur, vt amata potiri posset, mulier pedibus eius prouoluta, manantibus lachrymis, dixit: Meritem quidem sibi semper fuisse, vt inuiolatam coniugi fidem seruaret, sed extrema inopia pressam victamque parumlorum pietate liberorum, quos fame iam confectos videbat, cogi se vt suam filiorumque vitam eius misericordiæ commendaret. Quibus verbis auditis Luchinus, amore in pietatem virtutemque conuerso, ne manu quidem mulierem contigit, sed statim domum reuersus, omnia vxori communicauit, atque per eam, ne mulieris fama macularetur, pecuniam & cætera ad victum necessaria misit, neque vl-

tra

tra ei in mẽtem venit, vt eam aliter quàm ſororẽ diligeret.

De Sordello Vicecomite Mantuano Goiti accolâ.

Haud diſsimilis Sordelli Mantuani inſignis equitis continẽtia fuit, erga Beatricem Ecelinī Romanenſis ſororem, qui tyrannus late rerum in Taruiſina Marchia potiebatur. Nam ab ea, nec precibus nec lachrymis, neque forma aut amore, quo illa furebat, vinci ſe tulit: quin in ſecretũ quoque locum inuitatus, cum à muliere precibus minæ adderentur, omnia ſpreuit, ne erga eius fratres, à quibus amanter Veronæ exceptus erat, ingratus videretur: tunc quoque cum illa à fratribus profuga in virili veſte, Mantuam eum proſecuta eſt, non ante, quod ab ea optabatur effecit, quàm Ecelinus frater, vt ipſa ei nuberet contentus fuit, cum illius flammis, ac dignitati formæ, ſemper honeſtatem oppo neret, plus veræ laudis ex hoc occulto periculoſóque prælio, quàm tribus & viginti perduellionibus aſſecutus, ex quibus varijs in locis victoriam reportarat.

De Ildegunda virgine Germanica & alijs.

Verè continentem fuiſſe Mantuanum Sordellum dicere debemus, ſed vix, ſemélque tántum continentię ſuæ documentum dedit: At Ildegunda virgo Germanica, in qua ob ſexũ natalémq; ſolum minus viriũ ad cohibendam venerem latere videbatur, non ſemel de ſeſe, ſed longo tempore continentiæ ſuæ periculum fecit, hæc Nuſsię orta, quod oppidum haud longè à Colonia vrbe in Rheni ripa poſitum eſt, multis agitata caſibus, poſt permulta quæ non ſine ingenti admiratione ei acciderant, anno ſalutis centeſimo octuageſimóque octauo ſupra mille, in puerili habitu monaſticam diſciplinam ſubijt, in Abbatia quæ prope Vuormatiam vrbem Schuuabenheim dicitur. In ea diu incognita vixit, cum Ioſephi nomine appellaretur: inter viros ſingulari continentia ac ſanctitate ſemper verſata, vſque ad eam diem qua deceſsit, ne tunc quidem mulier eſſe cognita fuiſſet, niſi dũ lauaretur detecto corpore ſexus patuiſſet. Hoc quoque Euphroſina Alexandrina puella Smaragdi nomine ſexum mentita, item Marina ſub Marini appellatione in monachorum cõuentu egiſſe, à ſacri ſcriptoribus perhibentur.

De Franciſco Sfortia Mediolanenſi duce.

Franciſcus Sfortia princeps illuſtriſsimus, qui multarū virtutum ætate noſtra ſingulare exemplum fuit. Cum Florentini populi copiarum dux eſſet, vi capto Caſanoua oppido: quidam milites inſigni forma puellam captiuam ducebant clamantem, vt ad primarium ducem deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Franciſco Sfortia, Quamobrem ad ſe venire cupijſſet? reſpondit vt eius voluntati obſequeretur, modo incolumem eam à militum iniuria ſeruaret. Cum forma inſignis videretur, & ætatis flos ipſe eſſet, parum ſe erraturum Frāciſcus putauit ſi volente ea potiretur. Itaque in lectum eam noctu ſecum adhibuit: & cū appropinquare atque eam complecti vellet, puella lachrymarum plena ad virginis Dei matris imaginem conuerſa (quam lecto è more affixam Franciſcus ſingulari veneratione colebat) rogauit, Vt per illius quæ in tabella erat venerationem, item per famam quæ de ipſius bonitate apud omnes erat, ne eam virginitatis honore priuaret, ſed marito intactam potius reſtitueret, qui cū alijs captiuis in vinculis cuſtodiebatur. Adeò ingens Frāciſci continētia fuit, vt quanquam & formoſam, & puellam in bello captā, nudam, propè ſe in lecto, ſentiret, pudicitiæ eius cōſpecto ſtudio, ſtatim lecto proſiluerit, manéq; accerſito ad ſe viro eā publicè reſtituerit, adiurans nihil cum ea ſibi fuiſſe. Scipionem in pari facto non ſolum imitatus eſt, ſed etiam quod in ætatem minus bene moratam peruenijſſet, iudicio meo ſuperauit. Præſertim cum illud accedat quod cum nobili orta genere eſſet, quæ ad Scipionem perducta fuit, Scipioque in vrbe libera viueret, fortaſſe ex violata mulieris pudicitia cenſuræ iudicium expectare potuiſſet. At in Franciſco nihil prorſus erat, quod eum ab explenda cupiditate, ſi abeſſet naturę bonitas, ob vllam metus ſuſpicionem continere deberet.

De Pambo monacho.

A Veneris continentia iam ad auri abſtinentiam tranſeundum eſt. In qua re non minus auari quā in venere libidinoſi laborant, ex eorum numero qui propter virtutem Deúmque auro ipſo opibúſque abſtinuerunt, qui numerum

ſatis lat
ſcribem
ſportell
parto pa
nata, q
pondo d
ſit mona
rum ino
ſterio re
bius abſ

Inexp
quibuſd
opibus
pletandi
nentiam
ad Petri
cum dua
ſent, fre
tuna, ſed
que ipſa
ci Clem
bonis au
ſpondit:
quod ſui
debere e
mnes eis
trimonio
virginun
quoq; è
tere coēg
rimum l
limi fort
filijs, ve
ſimè don
principa
valeant i
rarum o

satis latè patet, tribus tantum contenti erimus. Primum scribemus Pambum Aegyptium monachum. Huic cum sportellas texeret, vt iuxta monachorū morem labore suo parto pane vesceretur, Meliana Romæ patricio stemmate nata, quæ tunc in Aegypto agebat, quadringenta argenti pondo dedit, quā pecuniam cū Pambus vix aspexisset, iussit monachum propè se stantem vicinis monasterijs, quorum inopia nota esset diuidere, nihilque pro ipsius monasterio retinere. Neque enim minus quàm Curius aut Fabius abstinens fuit, vtroque quidem longè pauperior erat.

De Clemente quarto Pontifice.

Inexplebilis habendi sitis immensaq; cupiditas quæ in quibusdā sacerdotibus nostri tēporis visa est, ecclesiasticis opibus quę Dei atq; pauperū sunt, filios in immēsum locupletandi, difficiliorē mirāq; magis Clementis quarti abstinentiam faciet. Is in agro Narbonensi ortus, iureconsultus, ad Petri apostoli solium conscendit, ad eum iam Pontificē cum duæ filiæ quas ante ex matrimonio susceperat venissent, fretæ illius opera se matrimonia non ex pristina fortuna, sed ex Pontificatus magnitudine consequuturas, neque ipsarum, neque aliorum cognatorum precibus adduci Clemens vnquam potuit, vt rem vllam ex Pontificatus bonis aut redditibus daret, quorum postulatis semper respondit: Pontificibus Rom. filios non esse, neque eis licere quod suū nō esset, propinquis dare. Et propterea cōtentas debere esse, si fortunas quas ante Pontificatum habebat, omnes eis reliquisset: quibus opibus cum conditionē in matrimonio ex sententia sua non inuenirent, ambæ sacrarum virginum pudicitiam matrimonio præposuerunt. Nepotē quoq; è tribus Canonicatibus quos habebat duos dimittere coēgit. Rara profecto abstinentia, sed tamen quæ plurimum laudetur haud indigna. Filiarū lachrymis tam sublimi fortuna id non impartiri, quod permulti non modo filijs, verū cynœdis quoq; ac meretricibus mimisq; largissimè donant. Nam filijs non thesauri solum dantur, verum principatus quoque ac regna designantur, & vt ea assequi valeant ipsi, qui à Deo pacis custodes relicti sunt, bello terrarum orbem inflammare non verentur. Nec verò sacerdo

tia tantum singulariter filiorum aut nepotum vni construntur, sed cum Cardinalatus honore quod permultorum Episcoporum esse deberet certatim vni accumulantur.

De Tamburlano Tartarorum, qui Scythæ dicti sunt, ac Persarum rege.

Insigne quoque exemplum abstinentiæ Persarum & penè totius orientis rex Tamburlanus ostendit. Nam quidam tempore cum iter per Syriam faceret, obtulit se ei amator, qui tunc in ingens vas aureæ monetæ arando impegerat. Cum autem omnes qui cum rege erant, regis aurum illud esse dicerent, quoniam inuenti qui occultantur thesauri fisci putantur. Iussit rex agricolam ad se monetam deferre, qui iam omni spe retinendi inuenti auri decidera... Inspecta moneta rex, ab astantibus petijt, Putarétne patris sui imaginem esse, quam pecunia impressam habebat. Cui cum respondissent, Romanorum principum effigies esse, Rex dixit: Si ergo hæc pecunia maiorum meorum fuit, aratori eam relinquamus ad quem Deus eam detulit. Abstinentia profectò singularis & quæ in permultis principum nostrorum optanda sit. Neque enim contenti sunt inuentos sibi rapere thesauros, verum quotidie illa quæ rapiunt, quæ priuatorum multo labore ac sanguine parata ad coniuges liberosque eorum alendos necessaria sunt.

De Genuensibus.

Adeò priscæ Romanorum abstinentiæ, de qua antea inter vetera exempla mentio facta fuit, perfimilis vna etiam olim Genua vrbs mihi patria vsa est, vt me admoneant, hic inter recentia eius facere mentionem omittam. Anno salutis ducentesimo quinquagesimo octauo supra millesimum in Syria propter priuatas contentiones, quibus nulla aderbita fuerant remedia, inter Genuenses Venetosque grauis bellum ortũ esset, non sine Genuensium detrimento, quo eodem tempore Pisani quoque hostes erant, Lucenses ciuitas, insignes oratores Genuam misit, qui marcharum (pondus id genus est) auri duo milia Genuensibus dono offerrent. Rogantes ne munus Genuenses, sed animos mitium munus inspicerent, eoque interim auro vterentur Genuenses, dum Lucenses aliam quoque pecuniam paratam

Sum

Summa ea minimè in tanta rerum necessitate contemnenda erat, & tamen ingenti Genuenses animo, veluti palma quæ contra onus nititur, hilari vultu Lucensium tunc acceptum munus postridie integrum oratoribus restituerũt, atque vt ad grauiores casus Lucenses eam pecuniam seruare vellent, hortati sunt.

De Alphonso Seniore Siciliæ rege.

Nullius virtutis memorabile exemplum proponitur, in quo Alphonsus Senior Siciliæ rex partes suas sibi non vendicet. Is cum Iacobi Candolæ copias quæ ex parte Vulturnum amnem traiecerant, reiecisset: illicq; inclinato iam sole cõsistere decreuit, vt prohibere Candolam posset, si iterũ traijcere exercitum tentare vellet. Sed quod repentè illuc Alphõsus iuerat, sub dio manere in armis exercitum nulla ad vescendum re parata oportuit. Alphonso autẽ cum miles panem cum raphano & paruo caseo in tali casu munus ingens misisset, laudato militis animo, munus accipere recusauit, dicens: Parum conuenire vt ieiuno exercitu, ex vlla re vesceretur.

Priscæ abstinentiæ cũ ea quæ recentium temporũ est comparatio.

Non sine magna laude admirationeq; Diogenem philosophum Valerius scribit austerè, & in magna rerum tenuitate vixisse, alij quoque scriptores aliorum temporum philosophos, penè ad iactantiam abstinentię modestiæq; preconijs efferunt. Quod autem eiusmodi homines nacti sunt singulari eloquentia præditos laudatores, qui exculto dicendi genere eos illustrarent, idcircò posteris digni de quibus scriberetur visi sunt, his scriptoribus quia recentior ętas caruit, sepulto cum plerisque alijs bonis etiam literarũ cultu, quanquam singulis philosophis, qui continentiæ famã assecuti sunt, innumerabiles habuerimus mares fœminasque, qui eos non illo tantum virtutis genere, quibus illi laudantur, sed permultis alijs lõgè vicerint, tamẽ quia qui scribendo memoriam eorũ, in tanto tẽporis cursu seruaret, nullũ habuerunt, in obliuione latẽt. A priscis scriptoribus Xenocrates Sophoclesque laudãtur, itẽ Socrates ac Plato, continentiæque eorum magnitudo carminibus decantatur, & tñ pleriq; vxorẽ duxerũt, ac pleraq; alia fortunæ bo

na possederunt, qui etsi in delitijs nõ vixerũt, rerũ tñ necẽ sariarũ cõmodis nõ caruerũt. Nos aũt silentio Ioannẽ Baptistã præterimus, similiter Ioannẽ Euangelistã, Iacobumque domini fratrẽ, cæterosq; apostolos, vt alios omittã innitos, qui in summa inopia austeritateq; vitã traxerũt, qui nedũ se ab illicita venere cõrinuerũt, sed virginitatis quoque candorem illæsum seruarunt: Catharinæ quoq; ac Luciæ, itẽ Margaritæ, Euphrosinæ & Agnetis, atq; aliarũ innumerabiliũ virginum vita, quid aliud quam perpetuum atq; ingens aduersus vicia mundumq; certamen fuit? Paulus primus heremita caryotis & aqua tantum vixit, & foliis palmarum folijs corpus à nuditate defendit. Antonius hordeaceo pane, neq; eo nisi quarto quoq; die vescebatur. Philtrio bis tantũ in hebdomadẽ, pulte atq; aqua alebatur, eadẽ abstinẽtia nõ ipse solũ, sed infinitus penè numerus, his bis radicibusq; crudis ceu feræ per siluas nutriti, omni mundana cupiditate superata, assiduè cũ vitijs atq; aduersus carnẽ præliantes cœlestes potiusquam humanos possederunt animos. Dominico, Francisco, Benedicto atq; Hieronymo & Origeni, non satis erat omni veneris commertio abstinere, vt ex animis omnes quoque radices euellerent, vnde veneris aliqua posset oriri cogitatio, præter vitæ in cibis austeritatem, nudis pedibus frigora caloresque ferendo, in vltima rerum inopia quam sponte subibant, per nines per saxa spinasque domitis laceratisque corporibus omnẽ Veneris scintillam prorsus extinxerunt. Sed hos transeamus, apud quem veterum scriptorum, vnquã inter philosophos austeritatis genus aliquod lectum fuit illis Aegyptijs simile? aut etiam permultis, quæ ætate nostra medijs parietibus incluſæ mulieres vitam agunt? Itaque si tẽporibus nostris id facundiæ inueniretur, quod veteres habuerunt, qui dicendo recentiorum hominum virtutem atque abstinentiam illustrarent, proculdubiò veluti solis iubar minorum stellas, ita priscorum philosophorum laudem recentiorum virtus offuscaret. Quin potius crebra nostrorum exempla admirationem sui videntur sustulisse: vt ætatis creatas esse, magis quã virtutis calcare omnia vitæ cõmoda, & voluptatem ponere in contẽptu voluptatũ. Quæ res scriptoribus

tibus laboré ademit tanquã ſuperuacuum, quoniã per ſe lucem eſſet adepta publicã, & aliunde non exigeret teſtimonium, cum ſit teſtatiſsima, ac iam in hæreditatem multis quaſi per manum tradita. Huius rei nõ leue argumentum, ex ijs paucis accipi poteſt, quæ ante diximus, quibus nemo philoſophorum veterum alicuius ſani hominis iudicio cõparandus videbitur, quæ pauca nos ne volumen in immensum creſceret delegimus, omiſsis tanquam rem notiſsimã, multis virginibus viriſque ſacris, quos ætas noſtra tulit, qui vt his conferri non poſsint, de quibus diximus, philoſophos tamen longe ſuperare inueniuntur.

DE PAVPERTATE. Cap. IIII.

NEmo negauerit inopiam voluntariã, matrẽ plurimarũ eſſe virtutum, ſicuti ex aduerſo palam eſt ex opibus rerumque affluentia ingentia mala oriri. Quemadmodum autem grauis paupertas eſt ijs, qui in eam inuiti inciderunt, ita lætam fœlicemque eam ducunt, qui abiecta opũ cupiditate libenter eam complectuntur. Ita verũ eſſe Chriſtus redemptor noſter, qui ſola ſapientia fuit nobis oſtendit, in ſeipſo enim exemplum nobis propoſuit, quę ad virtutem recta nos via ducere poſſet. Nam cum hortaretur vt opes deuitarentur, palam fecit voluntariam paupertatem multis virtutibus ſolidum eſſe fundamentum. Fieri enim non poteſt, vt cũ ea ſimul ambitio, venus atq; auaritia maneant, quæ tria ceu peſtis humanas inficiunt, atque prorſus obruũt mentes: adeò autẽ Chriſtus inopiæ ſtudioſus fuit, vt diceret, Aues feras q; nidos & foueas habere in quas ſe reciperent, ſolũ autẽ hominis filium nihil habere, quod ſuũ eſſet, vbi reclinare caput poſſet. Hanc autem doctrinam diſcipulis cũ reliquiſſet, quanquã à nouis Chriſtianis ad eos ingentes theſauri in communẽ vſum deferrentur, tamẽ paupertatem ſecuti, datorũ bonorũ non poſſeſſores, ſed diſpenſatores eſſe maluerunt. Quamobrem de hac vera pauperie quæ longè arctior quàm illius vnquam Romani fuit, quædam dicturus ex innumerabilibus quæ volenti occurrent, pauca recentiorum hominum exempla minus vulgata attingere decretum eſt, ſi prius nonnulla quæ priſcorum hominum fuerunt, poſuerimus,

De Lysandro Lacedæmonio.

Primus inter eos à nobis scribetur Lysander Lacedæmonius, qui inter multorum exercitum Spartanorũ dux fuit, & Athenas vrbem potentissimam Lacedæmonijs parere coëgit. Is moriens nullam argenti drachmã reliquit, quin cũ eius generi, non inuenirent vnde vxores dotem assequerentur, dimittere eas decreuerant, nisi magistratus vt eas retinerent, proposita graui pœna coëgisset.

De Epaminonda Thebano.

Similiter Thebanus ciuis Epaminondas, cuius virtute egregijsque facinoribus nullus audiendo satis expleri posset, in tanta rerum inopia decessit, vt domi eius vnum tantum ferreum spiculum, neque præterea alia res vlla necessaria sit inuenta. Itaque cum è suo nihil haberet, vnde funus duceretur, publica impensa tumulatus est.

De Aristide Athenienſi.

Aristides Atheniẽsis, qui domi forisq; Athenienſem Rẽpub. diu ex sententia sua rexit, adeò rerum omnium inops mortuus est, vt cum non inueniretur è suo vnde in sepulturã impensa fieret, de publico elatus sit. Ex ijs intueri satis potest Athenas Thebasq; ac Spartã fœlices fuisse, ingentibusq; victorijs potitas, dum hac continentia ciues rectores habuerunt. Contráq; in seruitutem redactas euersasq; fuisse, cum plusquam virtuti auro (quod ferro nocentius est metallum) operam dederunt. Nam ferrum & corpora & domos tollit, aurum autem præter corpora domósque, cum eis famam quoque & Deum ipsum adimit, cum virtutem pellat, & secum vitia trahat.

De M. Valerio Leuino.

Leuinus quem Romani consulem habuerũt, & qui Corintho vrbe armis potitus est, cuius spolijs non vrbs Roma solum, sed penè tota Italia exornata fuit, tam pauca de Corinthi atque aliarum vrbium quas deuicit præda sibi retinuit, vt à Senatu cum ipse non haberet, filia eius de publico dotem acceperit.

RECENTIORA.

De Philippo Balearium regis filio.

Temporibus nostris Philippus, Balearium regis filius, multo-

multorum sacerdotiorum, quę possidebat cura depositą, eò se volens redegit, vt vno adiutore contentus viueret, atque ex inopia eam voluptatem capiens, quam alij ex magnarum opum vsu consequuntur, ab eo tempore victum mendicauit.

De Alexio Romano patricio.

Quam fuit paupertatis studiosus atque cultor Alexius quoque Romanus patricius, Euphemiani viri ditissimi filius? qui vt expeditius virtutem Deúmque coleret, atq; assequeretur patria parentibúsq; relictis, opes ceu pestē deuitauit. Romam postea reuersus, in patris domum incognitus, sub mendici specie se recepit. In tantáque rerum tenuitate, quod vitæ supererat egit, vt vix nuditate vilibus pannis tecta, sub scalis haud secus ac canis ageret, Diogene ipso inopiæ magnitudine superato.

De Antonio Aegyptio.

Nónne paupertatis amator Antonius Aegyptius fuit, qui à patre in magnis opibus relictus, bona, quæ acceperat pro Christi nomine, dispersit, monachorúmq; multorum rector, in tanta rerū inopia decessit, vt testamēto nihil præter melotem palliúmq; Athanasio, Serapioni alterā melotem, & discipulis qui eum sepeliuerunt cilitium reliquerit.

De Palæstino Hilarione.

Non minus quàm Antonius opum spretor fuit Hilario, neque plura moriens testamento reliquit. Discipulis enim Euangeliorum librum quem ipse scripserat cum pallio trito & cuculla nihilo meliore reliquit. O verè cœlestes animos, qui ea spreuistis quæ tantoperè alij appetunt! Quibus si alij mortales essent similes, plus pacis & fœlicitatis orbis haberet, iterúmque aurea rediret ætas, quam auri nimium studiosi pepulerunt.

De Elizabetha Andreæ secundi Pannoniæ regis filia.

Elizabetha Andreæ secundi Pannoniæ regis filia, atque vxor Ludouici Turingiæ Lantgrauij (id in Germania dignitatis nomen est) post viri mortem à populis ceu prodiga principatu deiecta est (omnia enim quæ habebat pauperibus impartiebatur) itaque exul ad tantam rerum inopiā redacta fuit, vt veste vario pāno sarcta tegeretur, colóq; ac lana

lana victum pararet, spretis omnibus, quæ post illum casum ei à patre alijsque propinquis offerebantur, atque Cornelia pauperior facta est, quæ si maluisset, longè ditior esse poterat.

De Alexandro & Mechtilde Scotiæ regis filijs.

Par penè fuit Alexandri Scotiæ regis filijs inopiæ studiũ atque amor, qui sororis Mechtildis hortatu à patris regno atque opibus ceu à peste in Galliam simul cum ea profugit. Illic ouium religiosi conuentus pastor factus, omnem vitam egit, nullisq; ad mortem notus.

DE PVDORE. Cap. V.

PVdor vtile verumque ad omnia vitia frænũ, atque insolentiæ iactantiæque acerbus hostis, qui vera ratione honorem famamque, & ex aduerso infamię dedecus atque tenebras metitur, cogit me, ne eius mentionẽ filendo præteream. Primordiaque exemplorum in ea à populo Roma. sumam, quemadmodum ipse quoque in reliquo terrarũ orbe primas partes obtinuit.

De Populo Romano.

Appius Claudius Sabinus acerbus atque perpetuus insolentiæ Rom. Pont. hostis, cũ seipsum occidere maluisset, quã à tribunis citatus adesse. A propinquis in forum delatus, vt iuxta veterem morem honoraretur funus, sepultura honore à tribunis prohibebatur. Cum autẽ suppudaret populũ Rom. vt tanti ciuis corpus, cuius virtute atque victorijs imperij fines aucti erãt, funeris honore fraudaretur, voluit vt contra Tribunorũ decretũ, sicuti virtuti eius parerat, honorificè efferretur. Frequẽsq; nõ minus prõptè funus celebrauit, quã ante dum viueret accusationi eius affuerat.

Iterum de populo Romano.

Cum Romam Paulus Aemilius parta de Persæ victoria redijsset, quia parũ largè præmia militibus diuiserat, in comitijs vbi de eius triumpho agebatur, ita aduersum habuit populum, vt à prima tribu, idque Sergij Galbæ opera, honor ille ei negaretur. Quã rẽ cũ M. Seruilius animaduertisset virtutis Paulíq; amicus, in eminentẽ locũ consendit, atq; inde cum virtutem Pauli, réscq; ab eo gestas cõmemorasset, veluti indignabũdus addidit, Velle se ex eminenti lo-

tiloco conſpicere, cui tã à recto ſenſu mens auerſa eſſet, vt ſuffragio ſuo Pauli virtuti atque victorijs debitum negaret honorem. Hac Seruilij oratione cum totus populus pudore ſuffuſus eſſet, nihil prorſus in contrarium luctatus, omnibus ſuffragijs triumphum, ira, honeſto pudori cedente, Paulo Aemilio decreuit.

De Aemylio conſule, ac Cornelio Lentulo.

Deletis Cannenſi prælio Romanis exercitibus, vbi pluſquam arma Romanos fuga defendit, inter eos qui prælio viui exceſsêre, Cornelius Lentulus, Aemylium conſulem vulnere confectũ, extra viã perſpexit. Qui quanquã hoſtes inſequerentur, plus pudore quã mortis metu motus, propè Aemyliũ ab equo deſcendit, atq; eũ Aemylio obtulit, obteſtatus multis verbis, Ne morte ſua grauiorẽ populo Rom. eam cladem facere vellet. Etenim ſe iuuenẽ aiebat corporis robore adiutũ, pedibus ſalutem inuenturum, quod ſi alterutri moriendum eſset, referre ad reipublicæ ſalutem, vt ipſe potius quàm conſul moreretur. O contentionem verè Romanis animis dignã: puduit Aemyliũ alterius ciuis mortem ſuam ſeruare vitã, prorſúſq; recuſans equum, Iuuenem, vt in tutũ ſe locũ reciperet, hortatus, mandata magni momenti, quæ ad Senatum populúmq; Roma. perferret, dedit, nec multo pòſt ab hoſtibus oppreſsus fuit.

De Romano equite.

Reginus à triumuiris proſcriptus atq; hoſtis iudicatus erat, capitale autẽ ſine vlla veniæ ſpe habebatur, ſi quis proſcriptum hoſpitio iuuaret, aut cum poſset non caperet, & contra proſcriptorum percuſsori ingens præmium propoſitum. Mutato habitu, is igitur fugam moliens, aſinum frondoſis faſcibus onuſtum agebat, iámque ad vrbis portas vt egrederetur peruenerat, cum illic à milite cognitus eſt, qui aliàs ſub eo militauerat. In eum nõ modo militem puduit manus inijcere, verum vt ducem ſuum ſicuti olim fuerat, ſalutauit, fugiendíque inde viam dedit. Plus enim apud militem ſanctus pudor, quàm mortis metus aut præmiorum ſpes valuit.

De Octauio Conſule.

Pudorẽ quoq; non ſine magna laude, ciuili bello Octauius

uius consul ostendit. Nã ei cum suaderetur vt seruos ad pi leum vocaret, armarétque, quod ciues quibus seruiebant, eos liberaturi erant, & illis in bello aduersus Marium vc retur, respondit, Nunquam ipsius animum laturum esse, vt seruos ea ciuitate donaret, à qua C. Marium depulisset, qui à Teutonis Cimbrísque eam liberauerat. O pudorem sanctissimum, cui inter arma ciuiliáque bella locus patuit, vbi nec fidei nec pietati locus esse solet: sed in omnẽ crudelitatis perfidiæ iræ atque auaritiæ genus fræna laxantur. Quid enim præstare tibi magis potuit consul Romanus, cum maiorem tui quàm propriæ necessitatis rationem habere voluit?

De Panthite Lacedæmonio.

Quantæ sint veri pudoris vires, Panthites quoque Lacedæmonius ostẽdit. Is cũ in trecentorum numero esset, qui cũ Leonida aduersus Persas Thermopylarũ saltum infecerant, à Leonida in Thessaliam cum literis missus, cum aliis qui in Thermopylis pro patria pugnando occubuerant, esse non potuit. Cum postea eum cæteri ciues despectui haberent, arbitrati non in Thessaliam à Leonida missum, sed præ ignauia ex prælio fugisse, quanquam & verè & honestè excusari posset, tamen præ pudore, cum dedecus sustinere non posset, vltro se ipsum suspendit.

De Vxore Panthei Lacedæmonij.

Coluisse se pudorem, non sine magna laude ostendit Pánthei Lacedæmonij vxor. Nam virum secuta in Aegyptum, quo is cum Cleomene se receperat. Post viri mortem, cum Ptolemæus ipsam quoque cum cæteris Lacedæmonijs mulieribus, quę illic erant, occidi iussisset, prius quàm occideretur, vestem diligenter pedibus obuoluit, omnémque aliã corporis partem texit, nudo iugulo relicto: vt honestè cadens pudorem, quem per omnem vitam seruauerat, inuiolatum relinqueret.

De Olympia Alexandri Magni matre.

Olympia quoque Alexandri Magni mater, cũ eam Cassander interimi iussisset, diligenter cauit, ne cadẽs in morte aliquam corporis partem detegeret, quæ celãda pro matronali pudore videretur.

R E-

RECENTIORA.

De Alexandrina virgine Aegyptia.

Inter recentia pudoris exempla orationem Alexandrina virgo Aegyptia auſpicabitur, quemadmodũ in externis apud Valerium Spurina inchoauit: nam cum aſpectu decoro eſſet, veteri tumulo ſe incluſit, illícq; duodecim cõtinuos egit annos per paruum foramen cibo cæteríſq; neceſſarijs acceptis, rogata autem quamobrem his tenebris ſe damnaſſet, reſpondit, Cognouiſſe ſe, ſui amore iuuenem exarſiſſe, & ne ei vltra aut alteri huiuſmodi flammis animum incenderet, tumuli carcerem pro remedio delegiſſe: quæ tantò Spurinæ pudorem ſuperauit, quantò ipſius ſexus fragilior erat, duodecímque annos in tumulo perſeuerauit, vix autem temporis momentum Spurina dum faciei decorem deformauit, doloris moleſtiam ſenſit.

De Abbate & monachis in Ptolomaïde.

Fortaſſe Spurinæ facto ſimilius videbitur, quod Abbas mulier, cum virginibus ſuis in Ptolomaide (quæ nunc Acris aut Acra dicitur) egit: cũ ſalutis anno ducenteſimo nonageſimo primo ſupra mille, vrbe à Saracenis capta, cum plus veneris vim ſacræ mulieres quã mortẽ vererẽtur, ipſæ ſibi naſos deſecuerũt, arbitratæ fieri poſſe, vt hac deformitate ab iniuria tutæ forẽt, ídq; eas minimè fefellit, nã vt ita affectas Saraceni pſpexerũt, nulla re dicta, oẽs interemerũt.

De Michaële Imperatore Conſtantinopolitano.

A fœmineo pudore, ad virilem tranſeundum eſt, atque in eo rariora tantum attingemus. Michaël Conſtantinopolitanus Imperator, cum in bello victor ſemper extitiſſet, quia contigit, vt ſemel prælio à Bulgaris (qui veteri nomine inter Scythas cenſentur eſſe) vinceretur, præ pudore imperium depoſuit, & quod vitæ ſuperfuit, religioſè ſemper in ſolitudine tranſegit.

De Almanſore Arabum rege in Hiſpania.

Mirus quõque Almanſoris pudor fuit, qui Arabũ in Hiſpania agentiũ rex erat. Nam cũ ante de Chriſtianis victoriam ſemper reportaſſet, poſtremo à Garſia Caſtulonenſi comite (nondũ enim comitatus in regiũ nomẽ tranſierat) atq; Veremundo Legionis Hiſpaniẽſis rege bello ſuperatus,

tus, conſpectu Arabum atque alloquio humano omníque cibo abſtinuit, atque ita citò confectus eſt.

De Gotifredo Bollionio Lotharingiæ duce.

Hoc pudore ne afficeretur Gotifredus Bollionius, dum Imperatoris iudicio, cum agnato quodam ſuo de Lotharingij ducatus parte, quam ille petebat prælio decertaret, vſque ad capulum enſem confregerat. Quod cõſpicati principes qui aſtabant, cum ne vinceretur, metuerent, compoſitionis mentionem intulerunt. Cæterum ipſe obaudiens omnibus viribus nixus, ita capulo hoſtem contudit, vt attonitum humi proſterneret. Itaque ipſe ex equo delapſus hoſti ademit gladium, principéſque compellans, à quibus ad res componendas fracto gladio inuitabantur, dixit, Tunc cum prælio hoſtem viciſſet, poſſet ſine dedecore ad pactiſcendum deſcendere.

De ipſo quoque iam Hieroſolymarum rege.

Modeſtiæ laudiſque immenſæ plenus is pudor fuit, quo idem Gotifredus vſus eſt, cum à toto exercitu qui ad Hieroſolymitanam expeditionem profectus erat, rex ſalutatus fuit: aureo enim diademate recuſauit ornari, quod iniquum eſſe diceret, Seruum mortalémque hominem ac peccatorem, auro gemmíſque confectam coronam eo in loco geſtare, vbi Chriſtus Dei filius, qui cœlum & terram condidit, vt à nobis culpam auferret, acutiſsimis ſpinis ad contumeliam confectum diadema tulit.

De Ioanne Altauilla.

Quibus eloquentiæ viribus ſatis ex merito pudor poteſt, qui in Ioanne Altauilla perſpectus eſt, Cum Ferdinandus iunior rex Neapolitanus, apud Seminariam vicum in Lucania, à Berardo Stuardo Albigniaci domino, qui Caroli octaui Gallorum regis Vicarius, inferiorem illius regni partem regebat, prælio ſuperatus eſt, nam fugienti Ferdinando ita laſſo equo, vt vltra eum vix ferret, Ioánes Altauilla, vt eum conſpexit, ſuum integris viribus obtulit, quæ cum Ferdinandus præ pudore recuſaret, enixè monuit Ioannes, vt acciperet, quod ſibi ſimiles permulti eſſent, cæterum ipſi qui cum eo eſſent regem ſolum ipſum Ferdinandum haberent. Itaque Ferdinandus acce-

pto

pto equo, haud longè illinc profectus erat, cum aduenientes Galli Ioannem interemerunt. O singularem virtutẽ pudoremque silentio nunquam prætereundum, quibus enim laudibus Ioannes satis efferri poterit? quod in ipso fuga & quasi præsentis mortis terrore omnibus attonitis, pudori tantũ apud se locũ relinqueret? Spernendus quoq; is pudor non est, quem fugiens Ferdinandus ostendit, cum tam periculoso tempore equum statim non accepit, sed aliquantisper vitæ pudorem præposuit.

DE CONIVGALI CHARITATE.

Caput VI.

FAteor minores meas in scribendo vires esse, quàm vt ex merito coniugalis amoris laudes prosequi possim, & pro rei dignitate ipsius magnitudinem referre. Quis enim non eximius tantæ rei copiam dicendi parem afferat? & tamen quia ordo ita exigit quædam ea de re exempla scribemus. Nam quę nos inculto stilo non assequemur, rei ipsius excellentia per se in lucem proferet.

De Cyanippo Thessalo, & Aemylio Sybaritide.

Ardens Cyanippi Thessali & Aemylij Sybaritani amor fuit, vterque enim venationis studiosus, quanquam diuersis locis temporibusque, eundem tamen incurrit casum fatumque atque ex eo argumentũ ingens mutui amoris ostẽditur. Nam cum eos nimium suspicioſæ cõiuges vsque in ipsas syluas secutæ essent, atque illic inter prunos dumetaque laterent, ad easque propter frondium motum ceu ad feras excitati canes accurrissent, prius canum dentibus dilaniatæ occisæque fuerunt, quàm earum mulieres atque multo minus coniuges esse vidissent. Cum autem amborum erga vxores mutuus esset amor, doloris vterque impatiens sibiipsi manu sua mortem consciuit. Cum tanti amoris in maritis perrara sint exempla, de vxorũ charitate scribemus.

De Pantheæ vxore Abradatæ.

Immensus Pantheæ erga Abradatam virum amor fuit. Nam cum is in Cyri exercitu aduersus Babylonios militaret, cæsus in prælio ab hostibus, postea quàm ab vxore iuxta gẽtis morem deploratus ornatusq; fuit, neq; aliud

iam funeri, nisi vt sepeliretur supereſſet, ſupra mortui viri corpus ſe peremit.

De Phila Demetrij regis coniuge.

Philæ erga Demetrium regem virũ ſuum inſignis amor, animi quoq; magnitudinem coniunctam habuit. Nam cum eum accepiſſet prælio victum in Caſſandriam amiſsis regnis ſe recepiſſe, neq; ferre poſſet regno priuatum videre, quem regem victorijs inſignem amaſſet, ingenti cõpulſa amore, veneno ſe ipſam extinxit.

De Ligarij Romani coniuge.

Durante triumuirorum lege, qua par pœna proſcriptis propoſita erat, atque ijs qui proſcriptos recepiſſent, cuius metu permulti viros, fratres, parentes & filios prodiderunt. Ligarius proſcriptorum vnus fuit, quem diu coniunx eius, ac ſerua ſola, ſecretum Romæ tenuerunt, verum tandem à ſerua deductus ab ijs qui eiuſmodi curam gerebant, interemptus fuit. Vxor autem amore ſtimulata, virum cum adduceretur, obſeruatis veſtigijs ſecuta, cædis eius miniſtros orabat, vt ſe quoque perderent, quod ipſa etiã per legem mori debeat, quia proſcriptum virum domi tenuerat. Inter has voces vſque ad triumuiros peruenit, cæterum cũ audire eã nemo vellet, domum reuerſa, cibo abſtinuit, atq; in magno mœrore, & fame & lachrymis ſimul cõfecta eſt.

De Paulina vxore Senecæ.

Cum Senecæ, Nero, generis mortis arbitrium obtuliſſet, ipſeq; deſectis venis delegiſſet, vt in balneo cum ſanguine ſimul etiã vitam effunderet. Paulina eius vxor, cõiugali amore cõpulſa (quanquam Seneca repugnaret) mori tamen ipſa quoq; decreuerat, vt nõ minus in morte quam dũ vixerat viro fidiſsima comes eſſet. Cęterũ cum rem Nero pręſciuiſſet, miſit qui ſanguinem ſiſterent, atq; eã in vita retinerent. Itaq; cum iam multũ eſſet ſanguinis effuſum, pallida ſemper manſit, atq; in vultu pudici amoris ſui ſigna ſemper retinuit.

De Triaria L. Vitellij coniuge.

Triaria L. Vitellij coniunx, Auli Vitellij imperatoris fratria, non ſecus atque Mithridatem Hipſicratea virũ armata ciuili bello, quod aduerſus Veſpaſianum Vitelliani geſſe-

gesserunt, secuta est. Ac nocte qua vir Terracinam magno militum numero egressus est, ipsa inter strictos gladios audèdo augendoq;, dum hinc illincque manu sua hostes obtruncat, nulli se comilitonum virtute inferiorē ostendit. Adeò audaci animo muliebre pectus maritalis amoris flamma repleuerat.

De Annia Romana.

Hæc coniugalis flamma Annię Romanæ prudentiam inspirauit, cum hortaretur, vt vidua iuenis formosaq; iterū nuberet, respondit, Nolle, si enim bonum coniugē, vt primum habere contigisset, perpetua, ne eum amitteret molestia, torqueri: quod si contra in malum incidisset virum, nimium graue semper habituram illud malum, quod nulla necessitate cogente, sibi ipsa peperisset.

De Valeria Romana.

Persimile quoque Valeria maior Messalarum fratrum sotor, quanquàm alijs verbis responsum fertur in pari causa dedisse: dixit enim, Seruiū, qui eius vir fuerat, etsi alijs mortuus videretur, apud se tamen adhuc viuere.

De Vxore Stratonis Sydoniæ principis.

Magnum quoque viri coniugalis amoris experimentum illud fuit, quod Stratonis Sydoniæ principis vxor edidit. cum vrbe à Persis obsessa verita esset, ne in hostium potestatem vir veniret, id autem etiam morte, si fieri posset, deuitare decreuerat. Itaque cum iam accepisset hostes vrbem ingressos esse, atque haud longè abesse, vt viro eius potirentur, adempto ei gladio, manu sua ipsum occidit, corpusque eius quantum pro tempore potuit, decenter exornauit. Cui postea super incumbens, ipsa gladio se ipsam traiecit, vt eadem in morte viro qua viuens charitate comes esset. Vna enim re simul & coniugalis charitatis, & animi sui magnitudinem, atque insuper honoris quoque curam, cum ne viui hostium manibus indigna paterentur prouidit, palam testata est.

De Piscatoris vxore.

Nō minus etiā magnum coniugalis amoris illud signum fuit, quod Plinius in epistola narrat, in Piscatoris coniuge, quæ cum viro insulam Larij lacus incolebat. Nam

cum piscator læsa haberet pudibunda ægritudine, quæ molestiæ plena curari posse non videbatur, vxor cum diù à viro quem ægritudinis subpudebat hoc petijsset, tandem impetrauit, vt morbi locum inspicere posset, pollicita, Se libere quid de morbo sentiret postea detecturam, perspectum locum vt curari non posse animaduertit, amoris animique simul plena ex fide omnia quæ sentiebat viro narrauit, Hortataq; ne semper in tanto cruciatu vitã ageret, vt cũ vita morbi quoq; dolorem finire vellet. Cũ ipse ei annuisset, arctissimis vinculis se cum viro simul collocauit, atq; ita de rupe ambo in lacum præcipites missi simul interierunt.

De Arria Romani senatoris coniuge.

Ingentem erga virum Pætum amorem Arria ostendit. Nam cũ Pætus in Scriboniana coniuratione nominatus, atque in Illyrico captus Romam perferretur, ipsa precibus, lachrymis atque muneribus diù contendit, vt simul duceretur, nam Pæto in naui operam suam præstare cupiebat. Quod cum frustra tentasset parua celoce nauem qua Pætus vehebatur ad vrbem vsque secuta est, vbi à propinquis diligenter custodita, quod nimio amore ne se occideret verebantur, cum aliam rationem nullam inuenisset, erecta, impetu facto, caput in murum impegit, & cũ inde ab astantibus reuocata quod optabat non effecisset, gladio pectus transegit, atque non minus animo fortis quàm amoris plena eductum gladium, intrepida viro porrexit. Affirmans vulnus quod fecerat nihil dolere, vt exemplo ipse quoq; animaretur, atq; in hæc verba dum virum hortatur, moribunda corruit.

RECENTIORA.

De Pandoëri Persæ coniuge.

Non est ætas nostra insignibus exemplis coniugalis amoris fraudata, & ob id vnum Arriæ Romanæ persimile scribemus. A Iacobo Persarum rege, qui Vsson Cassani filius fuit rebellauerat, militarium ducum vnus, nomine Pandoerus, hic formosissimam habebat coniugem, quę sextum decimum non excedebat annum, à qua ardenter diligebatur. Ab ea diù rogatus Pandoerus, ne cum hoste confligeret, cũ assentiri coniugi nollet, petijt vxor, vt ante

ante prælium saltem eam occideret, ne post eum viueret. Id quoque cum negasset, prælium inijt, in quo victus occisusque fuit, & vxor eius ab hostibus capta, militarium ducum vni à rege data est. Cum is eam in matrimonium ducere vellet, ipsa diù restitit, & cum ad extremum vim parari cerneret, sumpto in ea re ad deliberandum tempore, in parua schedula cum scripsisset, nunquàm ferent homines Pandoeri vxorem diù post eum vixisse, gladio se traiecit, virum moriēs secuta, posteaquàm aduersante fato viuum non potuerat.

De Cecilia Barbadica Veneta.

Idem fecit temporibus nostris Cecilia Barbadica Veneta, quæ mortuo viro Philippo Vendramino, in tam pertinaci se dolore immersit, vt nec monitis, nec precibus propinquorum ad vescēdum aliquo modo impelli posset, nullo igitur vnquàm responso dato, mortua est. Nunc etiā ad virorum amorem transeamus.

De Dominico Catalusio Lesbio principe.

Singulari etiam memoria dignus est amor, quem Dominicus Catalusius, qui Lesbi rerum potiebatur, erga vxorē ostendit. Quæ cum in lepram incidisset, vir minimè veritus à contagione infici posse, aut aspectus horrore auerti (etenim illuuies magis, quàm viuum corpus videri poterat) neque tetro odore quem vlcera mittebant, nunquàm aut mensa aut lecto communi eam prohibuit. Coniugalis enim charitas apud eum contagionis timorem, tetrumq; conspectum odoremque in securitatem ac voluptatem verterat, quod eam iuxta Dei verbum eandem carnem secum esse arbitrabatur.

De Neapolitani regni quodam accola.

Resistere nequeo, quin agricola Lentiscolensi in Neapolitano regno ortus, humili fortuna se quoque magnis viris, vbi de coniugali charitate agitur, inserat. Is cum iuxta mare agrum coleret, vxorque ab eo aliquanti sper disiuncta, à piratis Mauris, qui in littus prædatum descenderant, capta esset, statim vt vxorem non apparere, trirememque piraticam haud longe anchoras iecisse conspexit, arbitratus id quod erat, in ea vxorem esse ad triremē statim

adnatauit, atq; eius gubernatore vocato, dixit, Se idcirco veniſse, quod ſequi vxorem ſtatuerat, Minimè barbarie illa territus, nationis fideique Chriſtianæ inimica, neque ingenti miſeria, qua remigio addicti laborant: omnium horũ immemorem coniugalis amor eum fecerat. Quam rem, cũ Mauri non ſine ingenti admiratione audiuiſſent, permultos enim eius regionis accolas viderant, prius perpeti mortem, quam illam miſeriam, malle, atque eam poſtea per ordinem Tunetenſi regi narraſſent, tanta hominis charitate motus rex, & virum & vxorem liberos eſse iuſsit, atque inter regiæ cuſtodiæ milites, virum adoptauit.

DE AMICITIA Cap. VII.

QVàm venerabile ſanctumq; amicitiæ nomen, resq; ipſa ſit, & quanti verus amicus fieri debeat, permultis experimentis cognoſci poteſt. Verum quam rara & ſæpe non intellecta ſit, ſola aduerſæ fortunæ facies ostendit, nam quemadmodum igne aurum excoquitur, & per eũ quod reprobum eſt detegitur, & purum perfectius fit, ita ſæuis temporibus amicitia quæ vera eſt declaratur, cuius in eo vis præcipua eſt, vt vera niſi inter bonos eſse nõ poſſit. Nam in alijs rem nomenq; permutat, quemadmodum multis exẽplis oſtendetur.

De Epaminondą & Pelopida Thebanis.

Adeò inter Epaminondam atque Pelopidam Thebanos arcta fuit amicitiæ neceſsitudo, vt cũ ambo in eo prælio eſſent apud Mantineam quod Lacedæmonij Thebani ſociique eorum aduerſus Arcades commiſerunt, & iam inclinante Thebana acie humi vulneribus confoſsus Pelopidas iaceret, quanquam omnes mortuum putarent eſse, Epaminondas tamen, vt erat pectore brachioque ſaucius, deſerere eum noluit, donec à Lacedæmonijs lata ope, vna cum Pelopida tutũ ſe in locum recepit. Quantum igitur credendũ eſt Epaminondã adnixurum fuiſse, ſi Pelopidam viuũ credidiſſet, cum pro defuncto corpore tanta fide amore q; non ſine vitæ diſcrimine ſaucius depugnauit

De Lucilio & Bruto ciuibus Romanis.

Quod pro Pelopida Epaminondas fecit, ob id fortaſſe mirum minus videri poteſt, quod in prælio fortes viri hono-

honoris & gloriæ gratia maximis se periculis obijciunt, neq; in eis tã certa mors est, vt euadendi quoq; spes aliqua non supersit. Itaq; pluris illud faciẽdum videtur, quod Lucilius vt Brutum à morte redimeret in se suscepit, vltimo enim prælio quod in Philippicis campis cõmissum fuit, Brutum fugientem barbari equites Antoniani grauiter insequebantur, quod conspicatus Lucilius dum Brutũ se fingit esse, insequẽtes tam diù remoratus est, vt Brutus ab eis longè abesset. Capto igitur Lucilio, Antonius ad quem is perducebatur, obuiam se læticiæ plenus Brutum esse arbitratus præbebat, cũ autem Antonio Lucilius iã ita propinquus esset, vt inuicem audiri possent, magna voce exclamauit. Antoni ne vnquàm Brutũ viuum vinctũ expecta, ego cum hos Brutum insequi equites cernerem, Brutũ me finxi, vt is fugiendi tẽpus haberet, & ita ad te perductus sum, eo animo, vt quæcunque in me statueris perferam. Qua re attonitus Antonius tantæ amicitiæ reuerentia Lucilium seruauit, atque in amicorum numero habuit.

De Caleno Romano & Varrone philosopho.

Quo tempore Triumuirorum proscriptio durabat proposita ijs graui pœna, qui proscriptos re aliqua iuuissent, aut non accusasent. Contraque propositis ijs qui accusasent ingentibus præmijs, cum inter proscriptos Varro philosophus esset, Caleni peramicus, eum domi suę Calenus aliquod tempus cœlauit. In quam domum cum persępe Antonius spaciatum se conferret, nunquam territus est, aut animum mutauit Calenus. Etsi assiduè vel animaduerti, vel præmia dari prout edictum, aut violassent homines, aut ei paruissent, cernebat.

De Augusto & Arrio philosopho.

Ingens amicitiæ exemplum Augustus ostendit, cum deuicta Cleopatra, in Aegypto Alexandriam vrbem cœpit, Alexandrino enim populo qui in theatro conuenerat tribus de causis ignosci à se dixit. Primam affirmans vrbis esse pulchritudinem: secundam autem Alexandri amorem, qui eius vrbis conditor fuerat: tertiam verò suum esse in Arriũ philosophũ amorem, quẽ amicum habebat. Manu eum designans vt à populo cognosceretur: neque

enim in eũ minus humane ſe geſsit, quam erga Epheſtionem Alexander, id quod Valerius magni ſe facere oſtẽdit.

De Demetrio Antigoni regis Aſiæ filio & Mithridate.

Res illa quoq;, qua Demetrius erga Mithridatem amicũ & comitem vſus eſt, non mediocris amicitiæ argumentum fuit. Nam cum à patre Antigono accepiſset, ſe ſomnijs monitum, ſtatuiſſe Mithridatem occidere, quanquàm iureiurando pater eum aſtrinxiſset, ne cui eam rem aperiret, pluris amicitiam quàm ſacramenti religionem, aut paternum imperium fecit. Spaciatum enim è more cum Mithridate profectus, aliquantiſperq; ab alijs ſecedens, haſta quam manu tenebat in terra deſcripſit. Fuge Mithridates, quam rem is, vt prudẽs cum vidiſſet, nocte proxima profugit in Cappadociam, vbi ipſe poſteriq; eius poſtea diu regnarunt.

De Ionatha Sauli Iudæorum regis filio.

Haud diſsimili ratione in amicitia Sauli Iudæorum regis filius Ionathas erga Dauidem amicum & comitem vſus eſt. Nam cũ reſciuiſſet iureiurando adactus patri ſtatutũ eſse Dauidem occidere, haſta in harena ſcripſit vt fugeret, & ſi norat non obſcurè, Dauidem idcirco patri Saulo ſuſpectum eſse, quod Dauid ad Iudæorum regnum aſpirabat. Etenim regni reſpectus apud eum amicitiæ ceſsit.

De quodam miniſtro Sauli Iudæorum regis.

De Saulo nuper facta mentio me monet, ne præterea vnam rem, quam veri amoris teſtimonium miniſtrorum vnus erga Saulum geſsit, eo prælio quo victus Saul interijt. Nam cum ab hoſtibus circundatum ſe Saul videret, atque vulneribus confectum, ne viuus in eorum poteſtatem veniret, miniſtrum qui propè aſtabat magnis precibus oraſſet, vt eum interimeret. Quod cũ miniſter ob pietatem in dominum recuſaſſet, Saul vt id ipſe ageret, tẽtauit, ſed propter vulnera deficientibus viribus cũ ipſe nõ poſſet, id ab alio petere coactus eſt. Quod cũ impetraſſet, idq; miniſter qui operam ſuam in eo negarat vidiſſet, in ſeipſum manũ conuertit, quàm domino præſtare noluerat: & qui domino mortem inferre noluit, vt amorem fidemq; ſuã teſtaretur, mortis eius comes vltrò eſse voluit.

De Publio Catieno Philotimo.

Et

Et gratum, & amicum Publius Catienus Philotimus erga patronum suum se ostendit, à quo bonorũ omniũ hęres relictus erat, Viuum enim se rogo iniecit, in quo patroni corpus iuxta priscorum morem ardebat: cum eoq; ita emori voluit, vt quorum animos singulari amicitia vita cõiunxerat, corpora in more non disiungerentur

De quibusdam equitibus M. Ottonis Imperatoris.

Exempli magna similitudo temporum ordinem peruertens, cogit ne præclarum amicitiæ facinus, quorundã M. Ottonis militum pręteream. Hi postea quàm Ottonẽ mortuum viderunt, facie eius item manibus pedibusque deosculatis, seipsos supra illius corpus interemerunt. O inæstimabiles amicitiæ vires, quæ alios fine vlla commodi spe ad vitam relinquendam cogat, cuius seruandæ gratia tantis laboribus ac curis homines conficiuntur, quod eam viuentium pars maior rebus omnibus anteponit.

Dn M. Vlpio Traiano imperatore & Surra.

Quicunque diligenter veterum recentiumq; principum suspiciones, atque multorum in eo numero mortes inspexerit, quas aut propinqui, aut qui putabantur amici procurarunt, proculdubio neque sine admiratione iudicabit, quã alte cum adhuc priuatam vterque vitam ageret, inter M. Vlpium Traianum imperatorem ac Surram amicitia radices iecerat. Nam cum mane Traiano significatum esset, Surram in ipsum conspirare, vespere eius diei non inuitatus ad eum Traianus cum duobus solis comitibus cœnatum se contulit, radiq; ab eius tonsore voluit, atq; oculos ab eius medico inspici. Eidem postea cum denuò de cõspiratione affirmaretur, ridẽs respondit, Se nullo modo vt crederet, adduci posse, quod eo die periculum ipsius rei fecerat, ita vt Surra si voluisset id de quo insimulabatur agere posset, Itaq; in amicitia firmus perstitit, nec multo post tribunatum Surræ detulit, & cũ vt mos erat ei ensem traderet, eumq; nõ vagina tectũ, sed strictum porrigeret, Surræ dixit, Vt acciperet ensem, si bene imperium regeret, tuendi eius gratia: occidendi autem, si male imperaret.

De Diocletiano & Maximiniano Herculeo imperatore.

Experimẽta nõ rara solum verum penè vnica verè amicitiæ

citię ea fuerũt, quæ inter se Diocletian⁹ & Herculeius Cæsares ediderũt. Diocletianus enim solus in augustali solio Herculeium, neque eum nationis suæ virum imperij participem elegit, ad quemlocum eorum nullus qui ante ipsum imperarunt, præter admodum paucos, neq; fratres, neq; filios vnquàm vocarant, & ij quidem qui vocasse inueniuntur, ex toto vocatos sibi non æquarunt, hi autem in eo cõcordes semper vixerunt, quod non modo in alijs hominũ gradibus, sed in ipsis quoque filijs cum parentibus discordiam serere, ac cruentos edere effectus consueuit. Herculeius autẽ iam imperij dulcedinẽ expertus (ó inæstimabilis amicitiæ vires) sola comitis admiratione motus, ex tãto fastigio ad priuatã fortunã reuersus, in eo comiti quietiã sẽsus, in quo ne filio quidẽ postea qui Romæ ei in parte, nec Cõstantino genero qui similiter in Gallia successerant, necum vitæ quidẽ discrimine ac morte assentiri voluit. Plus enim Diocletianã amicitiam vir alioquin ferus atq; armis assuetus, quàm Romanum imperiũ, aut imperandi cupidinem, rem in humanis rebus potentissimam, aut denique vitam ipsam fecit. Ex quibus rebus haud falso iudicari potest, hanc firmiorem earũ omnium amicitiã fuisse, de quibus vnquam scriptũ sciatur. Nã cũ propter priuatas opes quæ interdum pusillæ quoq; sunt, non lites solum inter se serere inueniantur, etiã arctissimi propinquitatis gradus, verum ad cædes quoque ipsas prorumpere, hi duo, imperium quo maiorem potioremq; orbis terrarum partem continuit, per concordiã possederunt, in cuius primordijs ob vnam paruamq; Romam, imperij cupidine gemini fratres, fraterno se sanguine macularunt.

RECENTIORA.

De quodam equite Garsiæ Nauarrien sis regis.

Positis quorundam veterum de amicitia exemplis manum ad recentiora extensuri, duobus, sed ijs quidem insignibus contenti erimus. Cum in Hispania inter se bello decertarent Ferdinandus Legionensis atque Garsias Nauarrienses reges, Garsias quod superbus audaxq; nimiũ sæuè regni sui proceres habebat, in magno eorum odio versabatur, idq; cũ animaduerteret vn⁹ militũ eius qui puerũ

Garsiam

Garsiam aluerat, arbitratus si prælium cõmitteretur, Garsiam à suis desertum iri, vt qui ex fide eum diligeret, re detecta quam intellexerat Garsiæ suasit, vt prælio abstineret. Cæterũ Garsias immodici spiritus, amicorũ equè atq; inimicorũ contẽptor decertare prelio cũ hoste decreuit, quã rẽ cõspicatus is, qui vt dictũ est cõtra suaserat, in hęc verba prorupit: Quantũ aduertere possũ tibi statutũ esse video, vt omninò moriaris, cui rei posteaquã aliud afferre opis nequeo, id saltẽ enitar, ne te vel mortuum vel victum videam. Itaque galeam atque toracem exutus, ac solo gladio hastaq; armatus, in hostiũ aciẽ ingẽti animo irrupit. Vbi ipse haud multò post cæsus, & Garsias à suis vt ipse monuerat desertus fuit.

De Sanctulo sacerdote Nursino.

Sanctius quàm Damon Pythiasq; Pythagoræi amicitiæ vinculum Sanctulus sacerdos Nursinus in Diacono ostendit. Captus enim à Lõgobardis Diaconus, haud paruo discrimine versabatur, pro quo penes Longobardos adeò Sanctuli efficax opera fuit, vt pro ipso vadem se præbente, ea nocte custodiendus ei Diaconus daretur. Acceptum autem apud se Sanctulus, vt fugeret hortatus est. Diaconi autem tanta erat bonitas, vt vix Sanctulus id ab eo magnis precibus impetraret. Itaque cum postea dies illuxisset, captiuusque non appareret, indignati Longobardi, comprehendi Sanctulum iusserunt, vt capite mulctarent, à quo mortis genere ob id solum seruatus est, quod dum id ageretur, Lõgobardi miraculo territi, à cæde eius abstinuerunt.

DE LIBERALITATE Cap. VIII.

POst amicitiam cuius sanctitas inter mortales omnia superat, quid conuenientius scribi à nobis potest quã de liberalitate? quę non tam in munerum magnitudine, quàm in dandi modo rationeque consistit. Etenim si mensura desit quæ ei debetur, interdum in prodigalitatis viciũ transit. Idcirco eum tantum liberalem vocabimus, qui iuxta fortunæ suæ vires erga bonos propter honestas tantũ causas largum se præbet. Hinc auaritia inde prodigalitate deuitata. Nã si horum alteri adhæserit, de insigni virtute in pernicioſum vicium corruet.

DE

De Alexandro Magno.

Graui iniuria affici videretur Alexander cognomento Magnus, cũ omnes liberalitate anteceſſerit, ſi alteri in huius virtutis commemoratione primæ partes darẽtur. Quãobrem ne eum honore ſuo fraudemus, ab vno ipſius liberalitatis genere ſermonem ordiemur. Eum Perillus rogarat, vt ſe ad parandam filiæ dotem iuuaret, cui cum Alexander quinquaginta dari talenta iuſsiſſet, & Perillus decem ſibi ſatis eſſe dixiſſet, Alexander reſpondit, Quãquàm tibi qui ea accepturus es decem ſatis ſint, mihi à quo dantur ea nõ ſufficiunt. Magno enim liberaliq́ue animo nõ tam honeſti amici neceſsitatem, quàm fortunæ ſuæ vires metiri voluit.

De eodem.

Cum idem diſpenſatori mandaſſet, vt Anaxarcho philoſopho daret quãtum popoſciſſet, petijſſet autẽ poſtea centum talenta, veritus diſpenſator, tantã ſummam dare, niſi id ante regi ſignificaſſet, & propterea ei Anaxarchi poſtulatum declaraſſet, reſpondit Alexander, Anaxarchum noſſe eum ſe habere amicum, qui hanc ſummam & longè etiã maiorem dare & poſſet & vellet.

De eodem.

Nequeo in his quæ ad liberalitatẽ pertinẽt ab Alexandri exẽplis ſecedere, adeo ingens ſcribendi eorum numerus ſe offert, & tamẽ vt alijs quoq; locus detur, vnũ adhuc poſuiſſe contenti erimus. Superato Dario cum in itinere videret Alexander Macedonem agaſonem, qui mulũ defeſsum auro onuſtũ agebat, à mulo in humeros ſuos ſarcinã trãſtuliſſe, verentem quia Alexãdri aurum illud erat, ne eo amiſſo ipſe quoq; vitã perderet, & tamẽ ipſum quoque agaſonẽ ſub onere, quod ingẽs erat deficiente, vltra progredi nõ poſſe. Agaſoni vicinior factus, dixit. Vt tibi hic labor minus grauis ſit, in tabernaculum tuũ hoc aurũ deferes, quia iam hac hora tuũ eſse iubeo. O liberalitatẽ immẽſam, pluris quàm auri vim tantam agaſonem facere.

De Ptolemæo Philadelpho Aegypti rege.

Non tantorum populorum rex, ſed tamen non minus liberalis fuit Ptolemæus Philadelphus Aegyptius rex. Nã quod Iudæorum legem in Græciam ex Hebraica lingua tranſ-

transferri, per Eleazarum sacerdotum principem curauerat, vt huius operæ gratiam interpreti referret, vltra ingentem vim auri dono Hierosolymorum templo datam, Iudæorum quoque gẽtis captiuos omnes per totam Aegyptũ conquisitos, sub prioribus regibus bello captos (quanquã centum milium numerum æquarent) pecunia sua à dominis omnes redemit, ac libertate donauit, vt sine populorũ iactura (quod ab omnibus regibus fit) ipsius liberalitas exerceretur. Magnum profecto liberalitatis argumentum, & Ptolemæo rege dignum, & si tanta res in longè quoque potentiore plusquam ingens videri debuit.

De Demetrio rege.

Si tanto opere Valerius Flaminij liberalitatem laudauit quod à Philippi armis liberata Græcia vno edicto omnibus Græciæ vrbibus cum consul esset, & non dominus, veterem libertatẽ restituit, quantò magis Antigonus & post eum Demetrius filius efferendi laudibus sunt? qui sæua Cassandri tyrannide liberatis Athenis, quanquam ab Athenienſi populo inuitati Athenas inire, tamen nunquam voluerũt priusquàm in potestatem redactis omnib. munitis locis, eos populo Athenienſi restituerunt, affirmãtes se Athenas nisi liberas non ingressuros. Cum autem non deesset qui Demetrium monerẽt, vt sibi Athenas retineret, respondit. Semper putasse beneuolentiã verum firmũque regnorum fundamẽtum. O rem vocemq; tãto dignam rege, & quę omnia de liberalitate scripta exempla superat. Nam si alij pecuniam profuderunt, vidimus ea sæpè homines vsos, vt principatus regnaq; vel pararent vel parta augerẽt, ac cõfirmarent. Verum potẽtissima eademq; clarissima vrbe cũ potireris Demetri, retinereq; eã posses, libera faciẽdo & populi arbitrio remittẽdo, lõgè omniũ, q. liberalitate insigne nomẽ adepti sunt, largitatẽ excessisse videreris.

De Platæenſi populo.

Persæpe non minus odij atque bellorum inter vicinas vrbes de finibus oritur, quàm inter magnos reges propter regna, ipsa prælia seruntur. Idcirco insignis ducenda est liberalitas, qua Platæenſis populus magna agri sui parte Athenienſibus data vsus est. Nã bello quod toti Græciæ

Xerxes

Xerxes intulerat, eum Aristidi qui Græcorum omnium nomine cõsuluerat Delphicum respondisset oraculum, Vt in sacris Eleusinæ Cereri campis dimicarent. Neque alibi locus esset vllus Cereri Eleusinæ, nisi in Athenien. agro sacer, nemini dubium erat quin iuxta oraculum in Athenien. agrum redeundum foret, quod si fieret gerendi belli rationibus vehementer id aduersari putabatur. Itaq; cum consilio incerti omnes manerent, dicerentq; aut oraculo aut militarib. cõsilijs, in quib. communis salutis spes posita erat, deesse oportere. Platæenses qui cæteris populis viciniores Athenis erant, in quorum agro Græcorum tũc castra erant: ne ab eo loco exercitus cederet, qui rebus fœliciter gerendis opportunus videbatur, & vt simul oraculo satisfieret, quod agri inter vrbem suam Athenasq; possidebãt Athenien. donarũt. In quo cum & Græcorũ castris, & ad pugnandũ satis esset spacij, idq; dono Athenien. esset factum, & propterea Eleusinæ Cereri sacrũ dici iam deberet, egerunt Platæenses, vt cum oraculo militare quoque consilium cõgrueret, atque ita penes Græcos eius prælij victoria iam maneret. Huius rei gratia Alexander non liberalis solum ipse, verum etiam liberalium amator & studiosus cum Platæarum vrbem muro nudatam ostendisset, pecunia sua muro sepsit in liberalitatis prẽmiũ, quo Platæenses vniuersam affecerant Græciam.

De Troœzenijs.

Eodẽ bello magnã liberalitatẽ Troœzenij ostenderũt, cũ monitis oraculo Athenien. vt cõmunem salutẽ muris ligneis tuerẽtur, iuxta Themistoclis sapiens consiliũ, omnes qui arma ferre poterant, relicta vrbe naues cõscenderũt, mulieribus. senibusq; cũ omni imbelli ætate Troœzenã missis: qui à Troœzenio populo letæ omnes susceptι, gratui necessariarum omniũ rerum impensa adiuti sunt, publico cõfecto decreto, vt Athenien. fructus omnibus in locis qui eis viderentur, sine precio sumere liceret.

De Maßilien. sibus.

Haud dissimili liberalitate erga Romanos vsi sunt Massilienses, cum audita clade qua Romanos Galli affecerant, publico funere mortuos Romanos prosecuti, aurũ quoq;

Rom.

Rom. populo miserunt, vt facilius se à Gallis redimerent, quod cũ Massilienses egerint, nõdum aliqua societate aut fœdere Romanis coniuncti, proculdubio & amoris & liberalitatis laudes ferre maiores debent.

De Neapolitanis.

Non minus etiam Neapolitani populi erga Romanos commemoranda liberalitas est, cum durante adhuc Annibalis bello, Mar. Attilio. & Gemino Seruilio Musitano consulibus Romam quadraginta aureas pateras magni ponderis per legatos munus populo Rom. miserunt, omnesq; alias fortunas suas obtulerunt. Cæterũ nõ minor populi Romani grauitas atq; abstinentia fuit, qui minima lãce ex munere accepta, alias ingẽtibus actis gratijs restituit, quanquàm diuturno bello impensarumque magnitudine pressus, in magna necessitate coniectus esset.

De Pythio Lydo.

Digna quæ commemoretur liberalitatis contentio est, quàm inter se Xerxes Persarum rex ac Pythius Lydus exercuerunt. Quo tempore Xerxes in Græciam cum decies centum milium & septingentis milibus hominum proficiscebatur, quem Pythius Lydus diem integram, impensa sua cum toto exercitu aluit. Et præterea regi ipsi ingentem pecuniam obtulit, quam rem superbus rex miratus, quæ Lydij Pythij conditio esset, interrogauit: atque vbi accepit virum priuatum quidem, sed in magnis opibus esse, & alias Dario patri eius vitẽ plaranumque auream dono dedisse, præter cœnam qua totum eius exercitum exceperat, conuersus ad Lydum Xerxes petijt, quantam haberet pecuniam. Cui cum Lydus respõdisset duo milia habere argenti talenta, aureaque darica quadringenta milia, septemque tantum huic deesse numero milliaque libenter omnia ei dono dabat, quod ad bellum proficiscenti magno thesauro opus esse duceret. Xerxes admiratione captus respondit: Magno mihi dedecori foret, vt tu qui me cum innumero exercitu tam large hospitaliterq; accepisti, insup hospitalitati pecuniã quoq; addere: verũ ne te lateat penes gratũ liberalitatẽ tuã collocatã esse, tibi ipsi retinebis quę mihi obtulisti. vt numer⁹

qua-

quadringentorũ milium Daricorũ impleatur, volo ſeptem milia quæ deeſse dixiſti ex theſauris meis capias, & tu perge liberalitatẽ exercere, quoniã ipſius te nunquã pœnitebit

De Cymone Athenienſi.

Cymon Athenienſis bello aduerſus Barbaros geſto partis immenſis opibus, agros ſuos ſæpibus ac muris nudauit, vt omnibus integrum eſset, quod volebant ex eis capere: cuicunque inopi, qui in eius domum diuertiſset aſſiduè potus cibusque dabatur, & cum è domo in publicum egrederetur, magno nobilium iuuenum numero ſeptus erat, qui pulchris nouisque veſtibus amicti, ſi in probos viros, cæterum tritis veſtibus tectos incidiſsẽt, cum eis veſtes ſuas commutabant. Iidem per vicos euntes ſecreto ſaculos pecunia plenos geſtabant, egentibusq; omnibus nũmos impartiebant, modo hi non indigni hac ope viderentur. Hoc modo cum benè partis opibus Cymon vteretur, Leontinus Gorgias Cymonem dixit opes paraſse, vt vteretur, vſumq; eſse, vt ex eis ſibi honorem pararet.

De T. Pomponio Attico Patricio Romano.

Vera Põponij Attici patricij Romani liberalitas fuit, qui Bruto Caſsioque in bello aduerſus Aug. cõferre cum reliquis patricijs nihil voluit. Verùm poſteaquàm Roma pulſus fuit Brutus, dono miſit ei ſeſtertiorum centum milia, & totidem in Epiro præberi ei curauit. Contra penè omnium conſuetudinem Brutum dum fœlix fuit nihil iuuit, verùm poſteaquã pulſus aduerſa laborare fortuna cœpit, largè opem tulit.

De Tullo Hoſtilio rege Romano.

Tullus Hoſtilius è ſeptem Romanis regibus vnus, quos agrorum cæteri reges in vſum ſuũ ſeruabant, publicè pauperibus diuiſit, multorum regum moribus diſsimilis, qui quod pauperum eſt ſibi vſurpare conſueuerunt.

De Porſenna Ethruſcorum rege.

Quàm multi reges fuerunt, qui de ſuo populis ſuis largirentur? ſed qui hoſtibus dono darent rariſsimè inuenti ſunt. Huis liberalitatis Porſenna Ethruſcorum rex exemplum fuit. Nam cum inita cum Romanis pace, caſtra ab vrbe Roma moueret, militibus imperauit, ne præ-

ter

ter arma aliquid secum ferrent: verum omnia alia in tabernaculis relinquerent, quod ea Romanis dono dabat.

De T. Vespasiano Imperatore.

Ne inter liberalitatis exempla Iulium Cæsarem aut Augustum commemorem, id me retinet, quod quamuis ingentia dederint, id egerunt vel ambitione moti, vel vt muneribus occupata plebis mente, facilius publicam libertatem perderent. Neque enim vera dici liberalitas debet illa, quæ alijs rapta suis largitur, aut vt immensa parentur mediocria donat. Nam congiaria, publicæ cœnæ, aut ludi quos alij Imperatores ediderunt, quanquam magnò constarēt, tamen si immensis principum ipsorum opibus collata essent, aut minimæ res aut certè non grandes iudicarentur, vt Aureliani factum testari potest, qui sine precio, Romę toti populo, panem, oleum, & suillam carnē diuisit. Hos igitur omnes omittimus, vt Titum Vespasianum Imperatorem commemoremus, qui meo quidem iudicio liberalitate alios antecessisse videtur. Nam pecunia sua incendia restituit, & quæ in vrbe Roma, & quæ in Veseuo eius temporibus facta fuerunt, idque non parandi imperij gratia egit, quod rebus pacatis sine hoste impetrabat. Sed quia liberali benignoq; ingenio ad iuuandum humanum genus inuitabatur: semel quoque in cœna questus est, Diem illā se perdidisse: quia nulli ea die beneficium contulerat.

De Nerua Cocceio Imperatore.

Conferre me ad recentiorum qui liberales fuerunt exempla parantem, senior Cocceius Nerua, in hac postrema parte, inter priscos liberalitate insignes se mihi obtulit. Nam commemorauit se decrepita penè ætate (quæ auri solet auidior esse) his mensibus, quibus imperauit egenorū vsum decies ac quinquies centum milium aureorum nummum summam dispensasse, prefectis senatoribus, vt agros ad eorum sustentationem coēmerent, atque ijs diuiderent, quos ob inopiam ope dignos animaduerterent. In quos vsus ipsa quoque aurea vasa aliáque Imperatoria ornamenta adhibuit, vir profectò principatu dignus, & qui populorum non dominum, sed patrem se exhiberet ostendens.

RECENTIORA.

De Pipino Gallorum rege.

Cum recentiora tempora, non minus insignes liberalitate viros, quam prisca tulerint, ingratus mihi viderer, nisi de eis pro ingenij mei captu scriberē, principiūq; à Pipino ordirer Gallorū rege, in quo inter permultas virtutes liberalitas plurimū enituit. Is Gregorij tertij Pontificis precibus, bis in Italiā cum ingenti exercitu impensa grandi pecunia descendit, aduersus Longobardos, quibus cum Rauennam Exarchatumq; ademisset (hæc enim Longobardorum dignitas erat) atq; in ea Aemiliæ viæ pars (sub Romandiolæ nomine) designata, Ferrariaq; continebatur, ité quicquid inter Ariminū Placentiāq; cōprehensum est spreto magno auri pondere, quod Constātinus Imperator offerebat, si ei cuius ea loca ante fuerant restituerentur, Pontifici atque catholicæ ecclesiæ omnia dono dare maluit.

De Carolo Magno Gallorum rege.

Non minus liberalem se, quàm Pipinus pater, Carolus Magnus ostendit, qui vt Adrianum Pontificem aduersus Desiderij Longobardorum regis arma tueretur, bis in Italiam descendit, domitaque Longobardorum rabie, dono data à Pipino patre confirmauit, eisque Parmam, Mantuam ac Lucam, & cum eis haud contemnendam Ethruriæ partem addidit, quæ omnia si voluisset, retinere sibi poterat.

De Richardo Britanniæ rege.

Quanquam Richardi Britannici regis munus, ijs quæ Pipinus Carolusq; dederunt æquari non posit, animo tamē haud minus liberalis esse visus est. Nam cum mirè apparato conuiuio animaduertisset, duos ex equitibus suis attentius quædam mirari vasa aurea, & vnà sermones serere, ad eos accessit, petijtq; quibus de rebus vna loquerentur, qui cum respondissent, Inter se locutos, quod satis se opulentos fore putarent contentiq; viderentur, si duo tantum ex eorum vasorū numero haberent: subridēs rex dixit, Ne ob id contenti esse desinerent, se enim ea ipsa hora dono vasa dare, quæ in ipsorum manu poni iussit. Verum quod sculpturæ in eis excellens erat opus, neque sine tantæ artis in-

iuria deleri posse videbantur, in medio cõuiuio inspici eorum pondus iussit, & pro vasis duodecim aureorum nummum milia (tanti enim esse censebantur) ambobus repræsentauit.

De eodem.

Natalitijs Christi Saluatoris diebus, cum idem rex auro gemmisque sacram ædem, quam in palatio habebat pro more exornasset, atque Aquensis episcopus Bonifacij Pontificis legatus, mane in ea sacrificium peregisset, dum is pontificias exueret vestes, ex aræ ornamentis nihil mouerit rex iussit, apprehensóque postea humanè per manum legato, cum ad aram accessisset, dixit. Aequum non videri, ea die Pontificium legatum in aliena veste ornamentísque sacrificare, & propterea quæcunque tunc in ea æde essent, ei dono se dare.

De Serapione Aegyptio monacho.

Exempli similitudo annectere Paulino Serapionem Aegyptium monachum cogit, qui inopibus cum vestes ac denique Euangeliorum librum, quem solum habebat dedisset, incidit in mulierem viduam, quæ fame cum liberis paruis grauiter laborabat, cum nihil ei superesset, quod vltra donaret, precio libertatem suam vendidit, atque illud viduæ mulieri dedit.

De Martino Turonensi Episcopo.

Martini Turonensis episcopi adeò in pauperes omnes quos norat liberalitas & prompta & ingẽs fuit, vt cum in iuuenta militaret, & vrbis Ambianorũ portã egressus, adhuc cathecumenus in nudum mendicãtem incidisset, quia alterius rei quam daret facultas nulla erat, stricto gladio, chlamydẽ qua erat amictus diuisit, atque altera parte nudi corpus, vt poterat contexit. Episcopus postea factus, non contentus in egenos dispensare annuos possessionum reditus, non dimidias, vt ante in chlamyde egerat opes, sed totas vix trita sibi relicta veste dedit.

De Apollinari Alexandrino patriarcha.

A sacerdotali solio, ita virtus omnis iam aliquod tempus, ppter quorundã malos mores exulare videtur, vt rarior phœnice sit, si quis in eo ordine liberalitate insignis in-

ueniatur: cum autem inuenire quempiam contingit, eò enixius quò rarior est laudari meretur. Inter hos cũ Alexãdrinus patriarcha Apollinaris locum sibi pepererit, miram hac in parte eius liberalitatem scribemus. Fuit enim eius temporibus Alexandrinus ciuis Macharius nomine, qui in magnis opibus à patre relictus, paruo tẽpore iuuentæ mala secutus, omnibus consumptis ad inopiam redactus est, quæ idcirco ei infestior erat, quod mendicitatem erubescebat. Hoc cum Apollinaris resciisset, arbitratus id quod erat sanctum Macharium vt aliquid eleẽmosynæ nomine acciperet, præ pudore nunquam adductum iri, nouum inuentũ vt eum iuuaret, excogitauit. Finxit enim in antiquis Alexandrinæ ecclesiæ scripturis vetus instrumentum esse inuentum, quo ostendebatur superioribus temporibus Alexandrinam ecclesiam contracto nexu quinquaginta auri libras annuas eius patri debuisse, atque ea arte instrumentũ erat confectum, vt quamuis tunc patriarchæ opera factum esset, multorum annorum senium præ se ferret. De huius instrumenti inuentione, cum palàm Patriarcha fecisset, idque se præ animi conscientia reuelare Machario velle dixisset, ad se eum accersiuit, orauítque vt re inuenta, quam nullus ita fore sperabat, vellet, vnius anni pensione contẽtus pro reliqua summa ecclesiam liberare. Hoc contentus cùm esset Macharius, repræsentari & quinquaginta auri libras iussit. Huius enim inuenti modestia & Macharij pudorem, & suam largitionem texit, ea ad dandum industria vsus, qua plerique honore Apollinari similes, in extorquẽda ab alijs per iniuriam pecunia dies ac noctes vtuntur.

De Archebio Aegyptio monacho atque heremita.

Si duo de quibus diximus Pontifices, pecuniam vestésque donarunt, & si in eo genere liberalitatis laude fraudãdi non videntur, nihilominus ob largitionem eis nihil defuit: & idcircò in hoc virtutis genere, Archebius Aegyptius monachus, eis est anteferendus: qui cum eremum in Aegypto incoleret, cellulam quam sibi iam quinquagenarius ipse ædificauerat, Ioãni Cassiano monacho, qui illuc ab extera regione se contulerat, cũ omni suppellectile dono dedit, sub eo nomine, quod cuicunque monacho deinde contigisset

tigisset illuc venire, eam daturus esset. Cæterũ vt cella Cas siano cesſit, ſtatim aliam ædificare cœpit, quam ſimiliter aduentanti peregrino monacho dedit, tertioque idem repetijt. Tecum igitur reputa lector, quid inopi heremitæ, hæc totiens danti remanere poterat, & comparatum ei Macedonem Alexandrum auarum iudicabis.

De Alexandro V. Pontifice.

Adeò liberalis Pontifex Alexander quintus fuit, multis in virtute præditos homines, inſigniaque opera impeſis, vt perſæpe amicis familiariter narrare ſoleret: ſe olim ditẽ Epiſcopum fuiſſe (Nouarienſi enim eccleſia potitus erat) poſtea Cardinalem factum eguiſſe, atque deinde Pontificatu ornatum, ad mendicitatem penè redactum eſſe. O fœlicem virum qui virtute fortunaque inter mortales tã ſublimem nactus honorem, eò bene vti quod perrarò contingit, ſciuiſti. Cum amicos atque bonam famam opibus vtiliores honeſtioresque, atque minus animi laboribus obnoxios, quàm aurum in quo omnia in contrarium inueniuntur, eſſe duxiſti.

De Luciano Auria Genuenſi ciue.

Illud quoque, quod admodum generoſo animo Lucianus Auria egit, cum Genuenſi claſsi præfectus aduerſus Venetos, in Illyrico bellum gereret, minimè prætereundũ eſt. Nam cum à Genua ſtipendiũ non mitteretur, & iam claſſis rerum omnium inopia laboraret, quanquam ipſe, neque rem propriam gereret, neq; piraticam exercere vellet, vt ex rapto vndequaque claſſem aleret, eo quoque quod poſtremum relinqui videbatur, & ſi iuſtè poterat vti noluit, vt imperfecto bello cum claſſe domum rediret. Ingentis igitur animi vir, ac verè liberalis, impenſa omni pecunia, quàm è ſuo habebat, argenteaque ſupellectile inter naues diuiſa, vt ea ſe nauales ſocij ſuſtentarent. Cum eorum vnus pecuniam peteret, neque iam vltra quod daret aliquid ſuperesſet, à Baltheo ornamentum argenteum quod pendebat, abſcidit, atque ei dedit: quod nõ precij gratia, verum propter rem ipſam (plura enim daturus videbatur ſi plura habuiſſet) magni eſt faciendum.

De Alphonſo ſeniore Siciliæ rege.

Sine se liberalibus viris finem imponi Alphonsus senior Siciliæ rex queritur, cum sui temporis liberales principes antecesserit, cuius liberaliter gesta, si complecti omnia voluero, hac re sola volumen complebitur. Itaque vnū tantum ipsius factum commemorasse contenti erimus. Gestare in digitis annulos ingentis precij Alphonsus consueuerat, & ne lauandis manibus gemmis officeretur, loturus annulis digitos exuebat, seruandosq; ministris qui opportunius se offerrent dare solebat. Cuidam igitur semel cum annulos tradidisset, qui oblitum regem arbitrabatur, & propterea in vsum suum eos verterat, Alphonsus rem dissimulauit, atq; pro eis alios induit annulos, consuetumque morem seruauit. Itaq; post aliquot dies loturo Alphōso cū idē astaret, qui primos habuerat & non restituerat, manū porrexit tanquam à rege annulos, vt olim egerat accepturus, Alphonsus autem retracta ad se manu in aurem submissa voce ei dixit: Hos obseruandos tibi annulos dabo, si prius alios quos dedi, restitueris. Liberali profectò rege humanoque atque animo ingenti prædito digna vox, quæ maiori laude quàm styli mei vires ferent efferenda videatur. Sed cum Alphonso, Francisci Sfortij, Borsij Estensis, ac Nicolai quinti ingentes liberalitates vna ac eadem ætas admirata est. De Sixto IIII. versiculus ille notissimus est. MITRA CAVE, INSTITVIT DICERE, SVM QVOD ERAM.

DE BONITATE ATQVE CLEMENTIA, LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

HVmanitas atque Clementia, quæ mortale hominum genus magna in parte à feris distinguit, in omni hominum ordine laudem suam meretur. Sed in regibus atque alijs qui rerum potiuntur eò clarior atque excellentior est, quò etiam pluribus prodesse potest. Idem enim iræ atque crudelitati eorum contingit, quæ plus virium minusque ad compescendum fræni habens, plus etiam quàm priuatorũ iracundia perniciei malorũq; solet afferre. Hæc clementiæ atq; humanitatis insignis virtus Cæsarẽ, deinde Augustũ ac postea Antoninos Piũ ac Philosophũ, plus quã alia prę clarè ab eis gesta, quæ proculdubiò ingentia fuerũt, vt pro numinibus colerẽtur, effecit. Huius principes omnes cultores esse eamq; amplecti oporteret. Nullis enim exercitibus, nullo munimenti genere coguntur populi, vt principum ac regum dicta magis ex animo audiant, aut libentius eos colant. Neque verò ipsorum corporibus fidelior sanctiorque custodia, quàm hæc humanitas clementiaque inuenitur. Hoc priscis, hoc recentioribus temporibus exempla, quæ vndequaque se offerunt testari possunt. Nam qui clementes fuêre maxima ex parte vsque ad seros annos tutò vixerunt, contrà autem qui superbia crudelitateque inuisos se fecerunt, aut à populis suis cæsi, superbiæ ac crudelitatis pœnas luerunt. Itaque cum satis ex merito hæc laudari virtus nequeat, stylum ad commemoranda quæ in ea excellenter gesta fuerunt, conuertemus.

De Furio Camillo.

Et humanum & clementem profectò multum se Furius Camillus ostendit, cum capta Veientium vrbe, ab arce conspicaretur, à Romano exercitu eam diripi, nam quanquam sciret Veientes populo Rom. graues fuisse hostes, tamen ex his humanos repensans casus, lachrymas continere non potuit.

De Cn. Pompeio.

Aduersus hostem populo Romano non minus grauem humanitate singulari Cn. Pompeius vsus est. Audita enim Mithridatis morte, qui desperatis rebus sibijpsi vim intulerat, quanquam sciret eum obstinato nimis animo contra populũ Rom. gessisse bellũ, permultaq́ue eum hominũ milia, per id tẽpus inermia, sine causa crudelẽ in modũ occidisse, tamen plus miserando eius casum motus militarĩq; disciplina, quæ sine modestia nomine suo indigna est, quã his quæ permulta hostiliter Mithridates gesserat, inhonoratum relinquere corpus eius noluit, sed iussit vt regia põpa in regum sepulchris conderetur.

De Augusto.

Humanum persæpè Augustus se ostendit, sed tum maximè, cum deambularet cum Diomede liberto suo. Effractis enim caueis aper proruperat, rectaq́ue ad Augustum tendere videbatur, itaq; libertus in quo formidinis quàm prudentię plus erat, apprehenso Augusto se post eum texit. Ea re (periculi enim permultum habuit, & fortasse haud paucos ad vlciscendum libertum impulisset) Augustus neq; iræ, neque commoti animi aliqua signa ostendit, prudenter enim aduertit eos qui pusillo corde sunt, vbi de vita agitur omnis rationis iudicium amittere.

Item de Augusto.

Adeò autem clementi ingenio Augustus fuit, vt sibi similes amicos omnes optaret. Id patuit cum eo apud Pollionem cœnante, seruus cristallinum vas confregisset, nã domini iussu murenarum pabulo damnatus in viuarium perferebatur, qui cum ducentium manus effugisset, se Augusti pedibus prouoluit, id vnum petens, vt alio mortis genere periret. Augustus vt mortis causam genusq́; intellexit, solui seruũ iussit, virgulaq́; omnia Pollionis cristallina per-

fregit, viuariaq; euertit. Se enim causam dixit adimere Pol lioni velle, ne in animi perturbationem incideret, aut ob eiusmodi causam in posterum seruum aliquem tam crudeliter perderet, qui cuiuscunque esset generis, in hoc ipso quod homo erat, pluris quàm omnia, quæ terrarum orbis haberet vasa, faciendus erat.

De eodem.

Neq; verò qui in aliena iniuria quanquã parua flecti se ad humanitatem ostendit, in ijs quæ contrà se ipsum patrari inuenerat, & si grauia erant inclementem se præbuit. Nam cum post triumuiratum, apud eum Cinna, Cn. Pompeij nepos accusaretur, in Gallia insidias eius vitæ terendisse, vxoris Liuiæ quæ haud imprudens fuit suasu, Cinnã solum in cubiculum acciuit, eiq; omnia patefecit, quæ de hac re acceperat. Quare Cinna perterritus, cũ neque deprecaretur crimen, neq; negaret, Augustus humanissimè omne odium remisit, atque in sequentem annum Consulẽ designatum in familiarium amicorum numero habuit. O diuinam prorsus clementiã, ei qui vitæ insidias tetẽdisset honores illos impartiri, qui vix illis præstandi essent, qui periculo pro tuenda dantis salute vitam obiecissent.

Item de Augusto.

Cum idem pari clementia obtrectatorum malignitatem perferret, atque eius patientiam Tyberius carperet, hortatus vt ex eis aliquot vlcisceretur, respondit, Satis sibi esse ne quis eum plus quàm dicto lædere posset.

De Artaxerxe primo Persarum rege.

Exempli similitudo præteriri non patitur, quod Persarum rex Artaxerxes Alcidi Samsoni, à quo vbique carpi solebat, dixit, nam cum aliter vlciscì hominem pro maledictis nollet, ei iussit renunciari, Licere ipsi regem arbitratu suo criminari, sed similiter regi quoque integrum esse, & dicere & statuere in eum quæ ipsi collibuisset. Eodẽ enim verbo & eo quidem humano Alcidis temeritatem, & potẽtiam atque clementiam suam ostendit.

De Philippo Macedonum rege.

Eadem humanitate vsus est Philippus rex erga Nicanorem Macedonem, qui omnibus in locis quantum poterat

Philippum criminabatur. Nam cum Sinycithus alique Philippi amici suaderent, vt in eum rex animaduerteret. Recusauit illud Philippus, dicens: Haud malum esse virum Nicanorem sibi persuasum esse, cum igitur inopiam eius nosset, dono ei pecuniam misit, post quòd factum, cum à Sinycitho moneretur Nicanorem non criminari vt ante, sed regem laudibus efferre, Philippus Sinycitho fertur dixisse: Nunquid non vides in manu nostra esse, vt quæ volumus à populis de nobis audiamus.

De Agrippa Iudæorum rege.

Cum in Cæsarea moraretur Agrippa Iudeorum rex, rescijt Hierosolymis se publicè à Simone Iudæo criminatum, tanquam Iudaicæ legis esset euersor. Itaque cum Simonem in theatrum spectante populo vocasset, assidereq; sibi hominem iussisset, interrogauit, In quo Iudaicam legem violaret? & vt id palàm loqueretur monuit. Simon regis iram veritus, se ad eius abiecit pedes veniámque errori petijt, eum igitur supplicem manu sua rex sustulit, neq; veniam modo pro crimine petenti dedit, verum muneribus quoque affectum domum remisit. Sapiens profectò ne cui clemens Agrippæ factum, quo enim pacto melius & sibi bonitatis nomen comparare, & detrectatorem à maledicentia reuocare potuit? Sed non ita omnes se principes gerũt, adeò enim in deterius labuntur res, vt eos plerunque grauiter vlciscãtur, qui ius fieri petunt, & illatas iniurias queruntur. Quod fortasse tõtingit, quia iuxta vetus adagium: Nemo acrius quàm si verum obijciatur solet commoueri, & quod etiam superius commemoratorum regum virtus innocénsque vita freta animi conscientia eiusmodi maledicentia nihil mouebatur.

De Augusto.

Augusti humanitas ingens iterum me ad eius exempla reuocat, cogítque, vt præter ea quæ ante de ipso scripsimus humanitatem quoque ostendamus, qua Alexandriæ M. Antonium hostẽ prosecutus est. Nã cum gladiũ vidisset quo seipsum Antonius peremerat, secessit, lachrymísq; acceptis ex eius morte dolorem expressit, atque regio honore ipsum Cleopatrámque simul tumulari iussit. De

De M. Aurelio Claudio secundo Imperatore.

Humanum quoque se præstitit Claudius secundus Imperator erga Aureolum tyrannũ, qui in Illyrico augustalẽ dignitatem noménque vsurpauerat. In prælio enim cæsum, sepulchri honore dignatus est, iuxta pontem quem ab ipso Aureolum nuncupauit: epigrammáque addidit, quo ostendebat cupere vt adhuc viueret, modo id aduersus rẽpub. non esset. Quàm humanum igitur aduersum amicos credere debemus fuisse, qui hosti mortuo hunc rerum verborúmque honorem tribuerit.

De Dario Persarum rege.

Persarum rex Darius cum ei caput Hystiæi Mylesij quẽ hostem iudicauerat allatum esset, non quemadmodũ principum fortasse permulti agerent, ad alios terrendos siue etiam insolentia elatus contumelia aut dedecore affecit, sed statim lauari & honorificè sepeliri iussit.

De Cleomene Lacedæmonio rege.

Lacedæmoniæ rex Cleomenes, cum Achæorum exercitum superasset, magnúmq; hostium numerum interemisset, omnia ad sepulturam petita corpora libenter concessit. Inter alia autẽ cum inuẽtum Lydiadis corpus esset, qui olim Megalopoli tyrannidem exercuerat, & sponte sua liberatis Megalopolitanis ad priuatam vitam redierat, purpurea veste tectum, corona quoque exornauit, magnóque apparatu à suis vsque ad Megalopolis portas deferri iussit, ne is patriæ sepulturæ honore careret, qui illi libertatem donarat.

De Dromichete Getarum rege.

Ea humanitatis signa, quibus in mortuos vti homines solent, quia periculo carere videntur, fortasse plus ad iactãtiam accedere quã ad clementiam videntur. Sed quæ viuis bellóq; superatis hostibus tribuuntur, iracundia & ea quæ victorias sequi solet insolentia deuicta, futurorum quoque periculorum aut etiam eorum quæ iam præterita sunt spreto respectu, non possunt nisi vera atque ingẽtia dici. Quẽadmodum Dromichetes Getarum rex egit, quo tempore regem Lysimachũ qui nulla lacessitus iniuria vltrò arma intulerat, prælio deuictũ cœpit. Nam quanquã barbarus, ferox

ferox & inops, magnas in eum irarũ ansas haberet, tamen deposita illati belli iracundia, familiariter (vt alij ostentare opes solent) ipse suam populorũq; suorum pauperiẽ ostendit, atque ea se valde contentum viuere affirmans, ipsum liberauit, & ex rerum copia quã habebat muneribus affecit. Datæ quoq; libertati ac muneribus, consiliũ addidit, ne in posterum cum his bellum Lysimachus gereret, quibus deuictis nihil esset fortunarũ quod lucri facere posset, quin potius eiusmodi hominibus amicis vteretur. Eodem enim facto audacem se, prudentemque ac humanitatis cultorem, sed auaritiæ quoque atque superbiæ non minus, quàm hostium domitorem esse ostendit.

De Vespasiano Imperatore.

Vespasianus quoq; Augustus, humanitate clemẽtiaq; singulari vsus est. Nã quanquã Vitellius Sabinum eius fratrẽ occiderat, & filium vt occideret acerbè persecutus erat: tamen postea quã vrbem attigit, Vitellij filiam, magna cum ingentique collata dote ac muneribus nuptui dedit.

De Tito Imperatore.

Patris humanitatẽ imitatus est filius Titus, ad se enim accersitis duobus patricij ordinis viris, qui affectare imperium dicebantur, modestè eos coarguit. Docens fato imperia & non ingenio, aut vlla alia industria dari, quod si quis cuperẽt, eos id vt peterẽt hortabatur, quia libenter assentirus esset: ambos quoq; cœnæ secũ adhibuit, idq;, qui alterius eorũ matri renunciarent, celeriter misit. Ne cum detectam coniurationem intelligeret, verita filij vitam in discrimine versari, sibi ipsi mortem conscisceret. Postero quoque die in theatro assidere sibi vtrunq; iussit, & vt ipse oblata gladiatorum tela inspexit, ea vtrisq; inspicienda porrexit. Itaq; cũ hac ingenti humanitate amandũ se omnibus præberet, minimè mirum videri debet, si is populi Romani iudicio, humani generis deliciæ appellaretur.

De Cocceio Nerua Imperatore.

Par quoque clementiæ erga Crassum Calphurnium Imperatoris Neruæ exemplum fuit, cum eius vitæ insidias retendisset, clementia verè Dei potiusquã hominum, vt tam sublimi fortunæ gradu collocatus tantæ iniuriæ veniam dare,

daret, & munere suo fruendam ei relinqueret vitam, qui ipsi per insidias salutem eripere tentasset.

De M. Antonino philosopho Imperatore.

Omnes clemẽtia atq; humanitate M. Antoninus philosophus Imperator lõge superauit, id inter cætera in Ausidio Casio eiusq; familia cũ ab eo in Aegypto rebellasset, clarè ostensum est. Nã cũ Senatus acerbè Aufidiũ propinquosq; eius persequeretur, Antoninus pro eis tanquã amici forent, deprecatorẽ se semper exhibuit, in quo quoniam perdifficilè mihi foret verbis meis eã partẽ orationis expri mere, quã ad senatum habuit, hìc eã vt apertius eius bonitas agnoscatur, totidem verbis ponemus. Quod autem ad Casianam rebellionem pertinet, obtestor vos Patres conscripti, vt deposita cẽsuræ vestræ seueritate, vestram meãque clementiã seruetis. Neq; per senatũ aliquis occidatur, nec similiter in senatorẽ animaduertatur, nullius patricij sanguis effundatur, relegati redeant, & exulibus bona sua restituãtur, atq; vtinã multos qui interẽpti fuerũt, ad vitã reuocare posſem. Nunquã in Imperatore proprij doloris vltionẽ probaui, quæ quanquã persæpè iustissima sit, plerig; tamẽ semper acerba videtur, quamobrẽ Aufidij Cassij liberis generoq; eius atq; vxori veniam dabitis. Sed quid veniam dico? quandoquidem nullus eorum errauit. Viuant igitur sciantq; tutos se sub Marco viuere. Viuant in sui patrimonij parte, vestibus, auro atq; argento vtantur: neq; opulenti modo, verumetiam tuti fint, tutò se ac liberè ad omnia conferre loca possint, vt per totum terrarum orbem in populorũ conspectum vestræ meæq; clemẽtiæ, verũ atque certissimum exemplum præ se ferant. Neq; tamẽ hæc Patres conscripti magna est clemẽtia, vt rebellium liberis atque vxoribus ignoscatur, peto igitur, vt omnes senatores equitesq; Romanos, qui insimulati sunt, mortis pœna exilióq;, itẽ formidine, odio, infamia, iniuriáq; liberetis. Date hoc præsentibus meis temporibus, vt in his coniurationibus, quæ ad tyrannidem initæ sunt, eorum tantum, qui in tumultu ipso cæsi sunt, mors asseratur, neque vltra pœna progrediatur. Hæc oratio adeò Senatui populóq; Romano placuit, vt Marci clementiam miris laudibus efferrent.

De

De Pertinace Imperatore.

Simili clementia Pertinax Imperator erga Falconẽ imperium affectantem vsus est, cuius vitæ fortunísque vim vllam inferri nunquam voluit.

De Flauio Iuliano Imperatore.

Insignis quoque clementia Iuliani Imperatoris illa fuit, quam Antiochiæ ostendit, cum à collitigatoribus apud eũ accusatus esset Talasius, qui sub Constantino ministerii secretis fuerat, nam cum Galli Cæsaris qui Iuliani frater fuerat, mortis conscius fuisse diceretur, faceto verbo respondit, Aequũ esse, cũ hac in maiori re ipsius, quàm collitigantium cum Talasio iniuria esset, sibi quoque prius satisfieret, & cũ hoc dixisset, prefecto imperauit, ne in Talasi causa aliud ageretur, nisi prius secum in gratiã eũ redijsse intellexisset. Ita enim cauere voluit, vt non modo ipsius malevolentia Talasius non læderetur, verum ne ipsius quidem odij opinio apud alios aliquo modo detrimentum afferret.

De Pisistrato Athenienſi tyranno.

A tot humanis clementibúsque Romanorum principũ exemplis ad quædam Græca ac Barbara transibimus. Pisistrati Athenienſis tyranni vxorem publicè conuitio iuuenes quidam incesserant, qui cum postridie errorem suum agnouissent, & præ formidine profusis lachrymis veniam à Pisistrato peterent, ipse nequaquam ad iram aut vltionẽ animo permotus, respondit, In posterum modestiores estote: quanquam vxor mea, sicut vos arbitramini, hesterna die domum egressa non fuerit. Verbo in quo non minus prudentiæ quàm humanitatis fuit, iuuenum errorem, & illatã vxori dedecus texit.

De Mithridate Pontirege.

Humanum generosumque Mithridatis regis factum quo vsus est cum Thoridoracem Galatam, qui in ipsum conspirauerat occidi iussisset. Nam verentibus omnibus eum sepelire, adolescentula insignis, quæ eum deperibat, vt sepeliret corpus exornauit Cum autem ab ea Mithridates (deducta enim ad ipsum fuerat) intellexisset, amore captam illud egisse, non modò eius quem amauerat corpus illi ad sepulturam concesit, verùm vt funus quoque exornaret

naret pecuniam impendit. Longè enim pluris hoc veri amoris humaniq́ue ingenij signum in puella, quàm illatam sibi à Thoridorace iniuriam fecit.

De Iazate Adiabenorum rege.

Parthorum rex Artabanus, principum regni sui coniuratione pressus, minimè se in eo posse tutò manere arbitrabatur, & cum vires vt principes ad officium cogeret ei deesset, ad Iazatem Adiabenorum regem, & si ei notus non erat, conferre se decreuit. Itaque dum ad eum tendit, incidit in ipsum per regnum obequitãtem, vt eum vidit, ab equo statim descendit, expositoq́ue casu suo, rogauit vt ope se ad repetendum regnum iuuaret. Cum Iazates eum agnouisset, ipse quoque in terram ab equo descendit, coactumq́ue Artabanum in equum conscendere, pedibus eum prosequi volebat, quod ętas ipsius prę̃teritaq́ue fortuna plusquã præsens necessitas apud se valeret. Deductum igitur in regnum amice Artabanum solatus est, & ceu parentem semper in honore habuit. Sumptis denique armis in regnum quoque restituit.

De Pericle Athenienſi.

Periclis quoque Athenienſis humanitas ac clemẽtia insignis fuit, qui cum longo tempore Athenas arbitratu suo in multis ciuium contentionibus rexisset, & iam haud longè abesset, vt moreretur, nec vires modò, verumetiam sensus penè eum defecissent, contigit vt inter amicos qui in lecto iacenti astabant, de eius victorijs atque eloquentia, quæ in eo mira fuit, mentio haberetur, eamq́; ceu admiratione capti laudibus efferrent. Hæc autem cum ipse audiret, apertis oculis aliquantisper nixus vt loqueretur, Mirari se, dixit, quod victorias eloquentiámque in eo laudarẽt, quod earum rerum partem fortuna sibi vendicabat, si ipsos quidem potius laudare debere, quod cum longo tempore Athenas rexisset, nemo ipsius causa lugubrem vestem vnquam induerat. Sed cũ de priscis satis multa scripserimus, tempus est, vt iam ad recentiora transeamus.

RECENTIORA.

De Totila Gothorum rege.

Cum Totilas in Italia Gothorũ rex vrbem Romã recepisset

pisset, quæ in primo Bellisarij aduentu à Gothis ad eum defecerat, accusata est Rusticiana primi Theodorici, qui Gothos in Italiam traxerat, statuas euertisse. Quâ ob causam cum iratus in Rusticianâ animaduertere Totilas decreuisset, posteaquam Boëtij coniugem & Symmachi sororem amborum fortuna virtutéque insignium virorũ fuisse intellexit, qui falsis criminum suspicionibus à Theodorico interfecti fuerant, adeò apud ferum barbarúmq; regem ratio valuit, ob iustum mulieris nobilissimæ dolorem, vt ira qua percitus erat, in clementiam verteret.

De Iustiniano primo Imperatore.

Si laudandus Totilas est, quod Rusticianæ clementer crimen remisit, quod ipsa iusto compulsa dolore incurrit, longè magis laudanda videtur clementia, qua Iustinianus in Vitigem Gothorum regem po. Roma acerbum hostem, vsus est, cum à Bellisario captiuus Constantinopolim missus fuit, quoniam non vt hostem captiuumque, sed vt amicum habuit. Patricia enim dignitate decoratum, magnæ eum prouinciæ Persis finitimæ præfecit, vbi honoris & opum plenus aliquod tempus vixit.

De Iuniperthо, Ariperti filio Longobardorum rege.

Gratam profectò in Iuniperthi animo Ariperti Longobardorum regis filij clementia sedem inuenit, cum prælio victum Alchuinum Longobardum, qui Tridenti ducalem honorem gerebat, (nam ab ipso atque ab eius patre rebellauerat) quanquam illud pater grauiter ferret, non liberauit modò, verumetiam, ne sine principatu viueret, pro Tridento Brixiam dedit.

De Roderico Viuario qui Cid nuncupatus est, Hispano equite.

Rodericus Viuarius Hispanus, & humanitate & animo excellens, coacta satis grandi manu, ex amicorum propinquorumq; numero, præter eos quos ipse pecunia sua conducere potuerat, vt Mauris qui Hispaniæ partem Bæticam occupabant, bellum inferret, dum ad Mauros tendit, & ij finib⁹ regni Petri Aragonij regis appropinquasset, à Petro armis ac bello petitus est. Dũ ingenti animo illatam vim à se propulsat, in prælio regem cœpit, ab eoque, quanquam ob acceptã iniuriam, haud iniquè id posset, neq; regni partem,

tem neque pecuniam vllam exegit, sed liberè cum dimisisset, ad Mauros vt cœperat iter continuauit.

De Ferdinando Legionis Hispanienſi rege.

Penè eadem clementia cum Alphonſo Luſitaniæ rege Ferdinandus Legionenſis rex vſus eſt, nam cum eius arma repelleret (multa enim de ipſius regno occupauerat) in prælio captum, atque effracta coxa debilitatum, præter quàm quod curari diligenter iuſsit, menſæ quoque honorem ei ſemper communem fecit, ac coxa liberatum, nulla prorſus earum rerum, quas offerebat accepta, ijs duntaxat quæ occupauerat receptis dimiſit. Clementia profecto etiam Cn. Pompeio ac Paulo Aemylio, qua in Tigranem alter, alter autem erga regem Perſam vſus eſt, præferenda.

De Alphonſo vndecimo Caſtulonenſi rege.

Non hominis aut etiam regis fuiſſe, ſed prorſus diuina putari clementia debet, qua Caſtulonenſis rex vſus eſt, cũ Algeziram vrbem à Muris poſſeſſam obſideret, ad eum enim Maurus quidam, ceu Scęuola vt ipſum interimeret profectus, cum captus eſſet atque habita diſquiſitione fateretur eius rei gratia iuiſſe, vt pro patria dijsque ſuis vitã offerret, nouis amictũ veſtibus, data inſuper pecunia, multis contra ſuadentibus, cum præſidio incolumem ad Belmarin regem miſit, cui Maurus ille parebat. Is autem quanquàm barbarus non minus tamen Alphonſo humanus, diu acerba voce increpitũ, quod tanti animi regem occidere tentaſſet, ſtatim ne pœnam euaderet, interfici iuſsit.

De Sixto ſecundo Pontifice.

Inter tot regum clementiæ inſignia exempla haud indecorè ſe Sixti ſecundi Pontificis virtus offert, qui apud Valentinianum iuniorem imperatorem & Placidiam eius matrem, à Baſſo patricio maximis criminibus accuſatus, poſteaquàm innocentiam ſuam purgauit, multis precibus lachrymisque egit, ne Baſſus in exilium mitteretur. In quo cum fruſtra laboraſſet, & poſt aliquod tempus Baſsi mortui corpus Romam deportatum eſſet, Sixtus non modò honoris gratia funeri & ſepulturæ voluit intereſſe, ſed manibus quoque ſuis eum tumulauit, ſe eius verè eſſe imitatorẽ docens, dum honorem pro iniuria accepta retulit, cuius

vicarium se gerebat.

De Lamba Auria Genuensi.

Humanitas quoq; insignis, in Lambæ Auriæ facto fuit, qui sub Admirati nomine (dignitas enim ea est maritima) cum præfectus ingenti Genuensium classi, maiorem Venetorum vicisset, dum captiuas triremes cæsosque quin in mare è more proijciebantur recenset, vt Andreæ Danduli, qui Venetæ classi primarius dux præfuerat, corpus inuenit, non tulit, vt cum alijs in mare gregatim proijceretur, sed ad Curzulam delatum, insigni funere tumulauit, ipseq; cū nauium præfectis omnibus, adesse voluit. quod eò magis etiam mirandum fuit, quia ipse in eo prælio, filium amiserat, quam gregatim proijci cum alijs iussit.

De Ferdinando Consallo Castulonensi comite.

Quanta Ferdinandi quoque Consalli Castulonensis comitis humanitas fuit? Nam cum decertaret cum Pictonum ac Tolosanorum comitibus, qui Nauarrensibus, quibuscū ipse graue bellum gerebat, auxilio venerant, manu sua obtruncato Tolosano comite, posteaquàm ei arma atque alia spolia detraxit, ne minor in eo humanitas quā bellica virtus appareret, occisi corpus aureo panno texit, & Tolosanis qui eo bello capti erant, redeundi ad suos potestate facta, collataq; in viaticum pecunia dedit. Nulla re ab eis exacta, nisi vt iurarēt principis sui corpus, quod eis tradebat, se Tolosam cum toto comitatu perlaturos.

De Hugutione Fagiola Pisarum ac Lucæ principe.

Similiter Hugutio Fagiola cognomento egit, qui Pisis ac Lucæ rerum potiebatur, cum oppidum Montemcatinum obsidione premeret, atque inde eum pellere Roberti Gallorum regis Florentinorum fœderati ac Florentinę copiæ tentarent, nam quanquam in eo prælio filium Francisicum, insignem virtute iuuenem, Hugutio amisisset, tamen deletis hostium copijs, dum mortuos recensetet, inuentis corporibus Petri, qui Tempestatæ cognomentum ferebat, Roberti regis fratris, & Caroli eiusdem regis nepotis, ea cū filio Pisas detulit, magnoq; pro eorum fortuna funere tumulauit, plus enim mortuorum dignitati, quā proprio dolori, vir ingentis animi, indulgere voluit.

DE

De Thuriſmundo Gepidarum rege.

Si erga mortuos ij de quibus ſcriptum eſt, clementes ſe præbuerunt, quanquàm ex eo non paruam laudem meriti ſunt, non videtur tamen eorum tanti facienda virtus, quanti eorum, qui in pari cauſa, non minus humanè erga viuentes egerunt, quod aduerſus eos vltio atque ira explere magis dolorem poſſe, haud æquè læſo honore videtur: quemadmodum Thuriſmundo Gepidarum regi contigit. Nam cum ad eum ſe recepiſſet Alboinus Audonis Longobardorum regis filius, vt ipſius manu equeſtrem honorem atque ornamenta acciperet, quæ barbarorum more, fas accipere niſi regis, & eius quidem externi manu non erat, eum & dignitate militari, & muneribus menſæq; honore, dum manſit apud eum proſequutus eſt. Neque vero eum latebat Alboini manu, in prælio Thuriſmundum filium, eodem quo ipſe erat nomine interfectum, acerbiſsimis enim verbis in ſuos inuectus eſt, qui eum interimere volebant.

De Thoma Fulgoſo Genuæ duce.

Cum longè pluſquàm alia moueãt domeſtica exempla, præclarum aui tui Petre, cui volumen inſcripſi, cuius refers nomen, facinus tibi commemorabo, vt cum eius tibi referre nomen contingat, virtutum quoque imitator exiſtas. Hoſtes vrbem Genuam irruperant, quos cum virtute nouaque arte auus tuus profligaſſet, atque inter captiuos Raphael Adurnus, cum filio qui aduerſę factionis princeps erat, item Orlandus Fliſcus Ioannis Philippi frater numerarentur, cum quibus erat Ludouicus quoq; Fulgoſus, cũ multis eius factionis viris, verentibus omnibus, ne quid durius in eorum vitã ſtatueretur, auus tuus vt erat armatus, omnes data dextera bono eſſe animo iuſsit, atq; omnes aut equis aut pecunia donatos, eadem ipſa hora liberauit. Qui quanquam prudenti vir ingenio præditus, non ignorarer, ſublatis ex aduerſa factione principibus, quietius ſe in poſterum regnaturum, tamen clementiæ nomen, magna ſua laude ſecuritati ſuæ anteponendum duxit.

De Alphonſo Aragonio Siciliæ rege.

Aui tui facta mentione, Alphonſi regis humanitatem ne præteream me admonet. Nã cum vrbem Gaietã obſideret,

Gaietani, vt in eiusmodi casibus nonnunquàm fieri contingit, commeatibus parcere cupientes, imbellem ætatem inermibus exegerant, qui senum mulierum atque puerorum numerus, cum ab hoste minis saxisque ad vrbem repelleretur, neque eos Gaietani recipere vellent, inter duos hostes miseri mortales constituti, planctu & lachrymis omnia replebant. Quam rem posteaquàm Alphonso exploratores retulerunt, omnibus qui in exercitu erant suadētibus, vt hæc ætas in vrbem repelleretur, quoniam non ipsorum culpa, sed Gaietanorum obstinatione, quorum sanguis ipsi erāt, in eam necessitatem compulsi essent. Ipse insigni rex pietate, contrà omnium sententiam recipere eos constituit. Affirmans malle se regno depelli, quàm tot præsertim innocentium hominum, cum seruare eos posset, mortis attulisse causam videri. Itaque ad se vocatos, omnes cum ante vnde alerentur, dedisset, quò vellent se recipiendi potestatem fecit.

De Saladino.

Rei similitudo hic me cogit inter Alphonsi exempla, memorabile humanitatis facinus interserere, quo captis Hierosolymis Saladinus vsus est. Nam cum eius pedibus Christianorum militum, qui in prælio occiderant lachrymis oppletæ vxores obuoluerentur, petentes vt pacto promissa pecunia, nihil prorsus habentibus remitteretur, non blando solùm alloquio lenire earum dolorem nixus est, verùm & pactam remisit pecuniam. Et præterea tam largè e suo eas donauit, vt haberent, quomodo se in Christianæ ditionis loca recipere possent. Tecum lector considera, quàm auarè crudeliterque in Christianos aduersæ religionis populi bella gerere soleant, item alia ex parte in eos multorum Christianæ religionis populorū feroces animos quot partim religionis diuersitas, partim etiam armorum ipsorum atque diuturni belli consuetudo alit, & ita facilius quanti hæc Saladini humanitas sit facienda cognoscetis. Nunc ad Alphonsum redeamus.

Item de Alphonso.

Mos erat Alphonso quocunque in loco Eucharistiā ferri perspexisset, relicto equo quo ferebatur, pedibus eam prosequi,

sequi, in locum quo perferebatur. Dum hoc peragit, conti
git semel in vetulę domum ingredi sanguinis fluxu laborā
tis. Cum autem certior factus esset eiusmodi morbo pluri-
mum Iaspidem conferre, misit statim, qui vnum quem ha-
bebat perferret, ipseque mulieris manui eum inseruit. Bre-
ui autem liberata anus, cum post aliquot tempus ad Al-
phonsum venisset, gratias pro accepto beneficio actura, ex
cusauit se quod iaspidem nō retulisset, ne ei daretur vitio,
quia sinistro casu eum amiserat, cum autem qui astabant
grauiter eam increpassent, subridens Alphonsus, Mater, in
quit, mea, hij qui valetudinis suæ nullam rationem habēt,
mirantur, si tu vt valere possis iaspidem retinuisti. O hu-
manitatem insignem, regem clarissimum, cum vetula tam
humanè vrbaneq; se gerere.

Iterum de eodem.

Vt Macedonem rex Philippus erga Nicanorem, ita Al-
phonsus erga Ioannem fortem militem suum humanè se
gessit. Nam regi Ioannes infestus factus, propter cuiusdā
arcis præfecturam, quam ademerat, omnem Italiam perer
rabat, vt vbi eius hostes inuenisset, illic eius nomini detra-
heret, tandem egestate premente ad Alphonsum redire co-
actus est. Rex autem longè in seruanda humanitate, quàm
Ioannes in perdenda diligentior, non modo nulla ex par-
te Ioannis maledicentiam vlcisci cogitauit, sed data pecu-
nia, eius necessitatem subleuauit.

De eodem.

Exigua illius fortuna qui Alphonsum maledicentia lęse
rat, fortasse eum mouit, ne dignum duceret, quem pro illa
ta iniuria vlcisceretur: & propterea eius clementiam mino
rem, quam re ipsa fuit videri facit. Sed quid in eam dici po
terit, qua vsus est erga Antonium Caudolam Andegauen-
sis factionis fautorem, atque ipsius Alphonsi pertinacem
hostem? cum postremus omnium Neapoli, vrbe iam capta,
in bello adhuc contra Alphonsum perstaret. Eo enim præ
lio victor Alphonsus, cum locis omnibus quæ is possede-
bat potitus esset, non modò non induxit in animum, ali-
quid in eum grauiter statuere, sed etiam paternum ei prin-
cipatum reliquit, atque ex bonis quæ mouebantur, quæ

permulta esse videbat, quanquã longo bello exhaustus esset, & propter odium Antonius videretur venia indignus esse, nihil prorsus præter cristallinum calicem, quo biberet accepit.

De Philippo Maria Mediolanensi duce.

Mirùm profecto videri non debet, si Alphonsus tanta clementia præditus, hoc ab immortali Deo assecutus fuit, vt pari insignes bonitate hostes haberet. Aequũ enim fuit vt humani ingenij bonitatisque sue, ceu optima ex arbore non insuauem fructum colligeret, neq; iracundum atque superbum supercilium subiret, qui se tam humanè gerebat, quemadmodum ei contigit, cum apud Gaietam nauali prælio victus, in Philippi Mediolanensis ducis potestatẽ venit. Etenim non ceu captiuus ab eo habitus est, sed festis, ludis, conuiuijsq; honoratus, sine precio dimissus est qui se ingenti pondere libenter redemisset.

De Renato Lotharingiæ duce.

Postremum tantorum humanitatis & clementiæ exemplorum locum, ceu in principum agmine claudet Renatus Lotharingię dux. Qui principatu suo omnibus incensis, à Carolo postremo Burgundiæ duce pulsus, postea Heluetiorum fœderatorũ ope adiutus, eum ipsum, à quo tam multa tulerat prælio vicit & interemit. Is haud paruo labore Caroli corpus in conferta cæsorũ multitudine inuentum, non vt fortasse se aliquis ad explendam irã lania uit, aut aliquo ludibrio habuit. sed ceu prudenti animo insigniq; virtute princeps, ad Nanceium oppidum, in sancti Georgij fanum detulit, cum omni aula sua eum honoris gratia atratis vestibus prosecutus, tanto sacerdotum facique numero adhibito, quantus tunc inueniri potuit. Signa enim doloris omnia edidit, dum hostem grauissimũ efferret, qui in ipsum omnesq; alios superbus atque immanis fuerat, non aliter ac si verum parentem suum extulisset.

DE GRATIS Cap. II.

HVmanitati atque clementiæ haud aliter quam matri non iniuria se gratitudo coniungit, in omni amicitia ad eam seruandam vinculum maximè necessarium, Huius gratitudinis præclara facinora eò excellentiora vi-

debun-

debuntur, quo illa quæ per ingratitudinem fiunt, detestabilia magis & pernicioſa ſunt: quæ ſi cum gratitudine conferantur, tenebris ipſis collatum lumen clariſſimum videbitur.

De Celtis Hiſpanienſibus.

Celtæ qui in Hiſpania degunt, ſe erga gentis ſuæ fœminas gratos oſtenderunt, ciuili bello quo inter ſe decertabant. Memores enim earum oratione lachrymisq; ſe depoſitis ſimultatibus in gratiã redijſſe, ſtatuerunt vt in poſterum omnibus conſilijs ſuis fœminæ intereſſent, & quicquid inter eos contentionis oriretur, fœminarũ iudicio dirimeretur. Inter fœdera quoq; quæ cum Hannibale inierunt, ſcribi voluerũt, vt ſi Celtæ cuipiam, Carthaginenſes iniuriã in Hiſpania feciſſent, ea res à Carthaginẽſibus diiudicaretur, contrà autẽ ſi Carthaginenſem Celta læſiſſet, iudicium penes Celticas fœminas foret. Hoc enim honore fœminarum ſuarum prudentiam proſequi voluerunt.

De Syracuſanis.

Non minor Syracuſanorum quoq; erga Timoleontem Corinthium gratitudo fuit, cuius opera Dionyſij ſecundi tyrannide liberati fuerunt. Nã cũ poſtea Syracuſis quod ſupererat ætatis peregiſſet (etenim vſque ad vltimam decrepitam viuere ei contigit) nihil quod publicam rem attingeret, per id tempus Syracuſani decreuerunt, niſi prius in conſilium perlato Timoleonte eius ſententiam perqui ſiuiſſent, à qua diſcedere nefas erat. Cũ autem Timoleon deceſsit, candidatus populus Syracuſanus, coronatusque eum extulit, laudes eius in magna lachrymarum vi decantans, publico edicto declarata funeris impenſa, vt quãti ea cõſtitiſſet omnes intelligerent, in medio foro ſepultus eſt, ſepulchri area magna porticu circumſepta, quæ è Timoleontis nomine vocata eſt, in quo loco quotannis ludi in Timoleontis memoriam edebantur.

De Platæenſibus.

Platæenſes in agro ſuo, quod in eo commiſſum à Græcis aduerſus Perſas prælium fuerat, quotannis in Græcorum memoriam, qui illic pro cõmuni libertate occubuerant, ſolenni pompa ſacra peragebant.

De Sicyonijs.

Grati quoque Sicyonij erga Aratum fuerunt, qui eos tyrannide liberarat. Defunctum enim extra Sicyonis fines, coronatus populus ingenti pompa decantatis in eius laudem carminibus Sicyonem intulit, miriq́ue operis & impensæ sepulchro, ab ipsius appellato nomine eum honorauit. Quotannisq́; illic diem Arati natalem sacrificijs ludisq́ue apparatis celebrauit. Et si quem eius gentis illic esse cõtingeret, eo die, vt honoris gratia alios anteiret cogebat.

De Alcibiade Athenienſi.

Facetè se in eum Alcibiades gratum ostendit, qui eius amore captus, omnibus quæ habebat diuenditis, munus et centum stateres tulerat. Nam posteaquam simul cœnarunt, Alcibiades restituto munere monuit, vt postridie mane eum in foro conueniret. Vbi cum Athenienſium vectigalia sub hasta auctionarentur, quæ dam conducere quotannis consueuerat, ea conditione vt presentis anni vectigalis solutio in sequentem transferat annum, amicum monuit, vt summã quæ oblata erat augeret, quod cum esset actum, publicanorumq́; societas id ægrè ferens à magistratu peteret, vt qui summam auxerat ad satisdãdum cogeretur, audita re, qui auxerat fugam meditabatur. Sed Alcibiades eum retinuit, atq; pro eo spopondit. Publicani autem ne in maius summa augeretur, hunc Alcibiadis opera retraxerunt, datoq; talento, vt ab auctione desineret impetrarunt. Alcibiades igitur pulchrè erga amicum & amatorem gratus, plus quàm ipse daturus fuisset, vt per se assequeretur, effecit, atq; vt gratus esset in amicum, plus ingenio vsus est quàm pro se ipso fecisset.

De Athenienſibus.

Superius facta de Athenienſibus mentio exigit, vt illud quoq; addamus, quod erga Aristidis liberos gratè ipsorum ciuitas egit. Eorum enim memor quæ Aristides pro Athenienſium salute Persarum bello egerat, honestè dotatas à publico Aristidis filias, ex publico palatio ad maritorum ædes deduxit. Lysimachoq́; filio cẽtum agenti minas, & totidẽ agri iugera, quadragintaq́; drachmas in singulos dies vnde viueret, contulit.

DE

De Artaxerxe Persarum rege.

Artaxerxi Xerxis filio Persarum regi cum per regnum obequitaret, è more munera populi offerebant. Rusticus autem quidam transeunte eò rege, habere se nihil quod daret cernens, statim ad proximum amnem se contulit, vnde impletis aqua manibus ambabus alios qui cum muneribus antecesserant currendo consecutus, regi aquam obtulit. Eo amoris argumento motus rex, mille daricos, & cum eis cantharum aureum rustico, quia gratitudine vinci se nolebat, dono dedit.

De eodem.

Eadem etiam gratitudine vsus est, cum inopem militem ditauit, quod ei ex vtre aquæ potum præbuerat, quo die aduersus Cyrum fratrem decertauit, & prelio defessus, magno animi corporisq; æstu torquebatur.

De Demetrio Asiæ atque Ptolemæo Aegypti regibus.

Gratis se animis esse mutuo Demetrius Asiæ atque Ptolemæus Aegypti reges ostenderunt, & si inter se bella gererent. Nam cum Demetrium Ptolemæus prælio victum etiam impedimentis spoliasset, regium tentorium, cum alijs opibus, captiuisq; charioribus Demetrio remisit, dicens: Inter ipsos de gloria non de opibus certamen esse. Ei Demetrius cum gratias egisset, dixit; Deum se magnopere orare, vt citò parem ei referre gratiã pro accepto munere posset. Nec multo post, cum aduersus Demetrium Ptolemæus Cilem copiarum suarum ducem misisset, Demetrius prælio victum, atq; captum Ptolemæo cum omni aliorum captiuorum manu dono remisit.

De Philippo Macedonum rege.

Macedonum rex Philippus, cum subhastationis quorundam captiuorum spectator esset, veste supra genua collecta sedebat. Cum autem captiuorum vnus rogaret, vt eũ liberare Philippus vellet, quia amici eius fuerat filius, petijt Philippus, Vt nomen exprimeret, cui cum captiuus ipsi soli id se dicturum respondisset, vicinior factus hoc vnũ dixit: Vestem rex quam supra genua collegisti, demitte, neque enim ita sedẽdo decorẽ seruas. Quo verbo audito Philippus, statim vestem demisit, & vt amicæ admonitionis

gratus esset captiuum statim vt amicum liberauit.

De Iosue Iudæorum iudice.

Cum Iosue Iudeorum iudex (ea enim suprema dignitas erat) vrbem Hiericontem in potestatem redegisset, & ita à Deo iussus, non vrbem solum euertisset, sed accolas quoq; omnes peremisset, non Raab Cananeam tamen fœminam solam, verum oēs quoq; alios quos ipsa domi receperat, incolumes seruauit. Missos enim à Iosue exploratores quos Hiericontis rex vt perderet insectabatur, domi Cananea texerat, ita vt regis iram euaderent. Neque vero Iosue satis duxit Cananeam seruare, agros quoque vnde viueret ac pecuniam largè dedit. Quanquàm à Deo iussus erat omnes quos in Hiericonte inuenisset, occidere, neque enim crimen à se admitti arbitratus est, si vt in tali re gratus esset diuinum imperium transgressus videretur, in quo non peccasse eum res ipsa ostendit. Siquidem Deus qui violantis suæ transgressores grauiter castigare solebat, in Iosue nihil animaduertit.

De Agrippa Iudæorum rege.

Factam de Iudæis mentionem, haud iniuria Agrippæ regis gratitudo sequetur, qui in priuata fortuna, cum Romæ esset, & eum propter falsas suspiciones Tiberius cathenis ante palatium ad arborem vinciri iussisset, vt indè in carcerem duceretur, in eo loco propter solis ardorem animique molestiam magna siti torquebatur. Et cum prætereuntem Thaumastem vidisset Caij seruum, aquæ pragelidæ vas ferentem orauit, vt bibere se sineret, quod ille cum amanter fecisset, dixit Agrippa, se pro ipsa re gratiam aliquando ei relaturum. Haud multo post igitur Tiberio Caius in principatu successit, à quo Agrippa, qui in eius contemptum captus fuerat, liberatus, atque in Iudæa rex constitutus fuit, qui tunc à Caio impetrauit, vt eius precibus Thaumastes liberaretur. Itaque postea suorum numero acceptum regni procuratorem fecit, moriensque testamento cauit, vt vxor ac liberi, eodem apud se loco Thaumastem retinerent. Quæ res exemplo satis esse potest, omnibus inseruiendum, quantum fieri potest: semper esse præsertim his qui magno orti sanguine, aduersa fortuna premi con-

miconſpiciuntur. Perſepè enim contingit, vt ob paruam rem gratiæ, cum magno fœnore referantur.

De Romano ſenatu.

Quæ de gratitudine exempla hactenus à nobis poſita ſunt, à Græcis aut Barbaris ſumpſimus. Itaq; iam tempus exigit, vt de Romanis dicamus, atq; ab eorum ſenatu ordientes ipſius in Horatium Coclitem declaremus gratitudinem. Nam cum vnus irruentibus ad vrbem Ethruſcis Porſennæq; ipſi obſtitiſſet, dum Sublicius pons reſcinderetur, Ponteque effracto incolumis poſtea armatus q; ad ſuos Tyberim tranaſſet, Senatus decreto, Romani omnes vnius diei cibaria domum Horatio pertulerunt, & inſuper dono ei Senatus dedit, quantum agri vno die circumarare poſſet. Gratitudinis profectò honor ingens ea ætate, quæ licet opum indiga eſſet, (quas qui contempſit his non videtur indigere) caſtos tamen, quod maius erat habebat mores, in qua pro ſola gloria, ampliandisq; finibus dimicabatur. Itaq; minimè mirum fuit, ſi poſtea pro tam grata gente, plurimi ſe periculis ac morti obiecerunt.

Di eodem.

Non minus etiá ſe gratos præſtiterũt Romani aduerſus Latinos, quos cũ paulo ante hoſtes eſſent, in amicitiá ac ſocietatẽ receperũt. Nam cũ Volſcorum legatos ad ſe miſſos vt à Romanorum ſocietate auerterentur Latini cœpiſſent, ac cathenis vinctos Romam miſiſſent, opem in eo bello, & ſi minimè requiſiti fuerãt, offerentes, Romani ſex hominum milia Latini nominis, quos captiuos habebant, carcere liberarũt, omnes q; nouis amictos veſtibus, domũ, opeq; offerebatur, ad grauiores caſus reſeruata, remiſerunt.

De Largio ciue Romano.

A publicis ad priuatorum exempla tranſeuntes, non minore dignum laude hoc quod ſequitur ponemus. Cum Largius ciuis Romanus, in triumuirali proſcriptione nominatus eſſet, fortè inuentus à militibus qui eam prouinciam obeuntes, alium inſequebantur, præ miſericordia ab eis dimiſſus eſt, qui cum nondum ab eis longe abiiſſet, animaduertit ab alijs militib⁹, qui proſcriptos ipſi quoque diſquirebant ſe detectum. Cum autẽ videret ſe nullo modo

modo eorum posse manus euadere, in ea animi perturbatione, in qua de salutis periculo torquebatur, memor accepti à prioribus militibus officij, qui eum dimiserant, sanguine suo, posteaquàm aliter non poterat gratum se eis præstare voluit. Itaque ad eos reuersus, dixit: Velle se, vt ad ipsos potius capitis sui præmium perueniret, quia quantum in eis fuerat eum liberarant, quàm ad illos qui sine vlla misericordiæ specie ipsum insectabantur. O sæuam nimium fortunam, cur hunc potissimum inter trium uiros non creasti, vt ab eo triumuirorum ipsorum quum exilio multaretur? Ita enim tantæ gratitudini conuenire videbatur fore.

De Alexandro Magno.

Adeò insignis quibusdam gratitudinis virtus visa est, vt ea non tantum erga homines, sed in bruta quoque animalia vterentur, quemadmodum Alexander erga Bucephalum equum suũ egit, ipsius nominis vrbe, eo in loco condita, vbi sub eo confossus fuit, eum conspicuo quoque sepulchro decorauit. Quod non leuitate compulsus egit, sicut permulti principes, qui peruersè omnia agentes, in aues atque alia animalia hac pietate vtuntur, prærerita sine vllo honore amicorum memoria. Nam vt hic in equum gratus fuit, ita erga amicorum permultos, inter eos qui grati fuerunt, primos honores primasque partes voluit.

De Athenienſibus.

Vt Alexander erga Bucephalum grato se animo præstitit, ita Athenienses cum mulis, qui magno labore ad Hecatompylon ferenda materia opus fecerant. Ab eo enim tempore, omni labore immunes fecerunt, permittẽtes vt soluti passim vbi vellent depascerentur.

De Xantippo Athenienſi.

Non minus erga canem suum Xantippus Atheniensis gratus extitit, quia maria pernatans, vsque in Salaminam eum secutus fuerat, quo tempore adueniente in Græciam Xerxe, maior Græciæ pars in eam se insulam recepit. Nam ne tanto amori ingratus foret, mortuo cane, in Salaminæ arce sepulchrum ei condidit, quod diu Cynotaphium appellarunt.

DE

De populo Romano.

Neque verò singulares tantum inuenti sunt homines, vel priuati vel principes, qui erga irrationalia quoque animalia animi gratitudinẽ exercent: sed ipsum quoq; populũ Romanum non puduit, perpetuo gratitudinis honore, anseres prosequi, quod dormientibus vigilibus, cum Galli iã in summum Capitolium perrepsissent, clangore Roman. milites excitarunt. Statuit enim vt in eo loco in posterũ, magnus anserum numerus, publica impensa aleretur, ad eamque rem, Censores inter tot publica onera publicanos primò obligarent, ne autem minus se seuerum quàm gratũ populus idẽ præberet, ipso die, quo hoc contigerat, in loco designato, quotannis aliquot viuos canes suspẽdebant. Quod ipsi quibus maximè inuigilandum fuerat, anseribus vigilantibus, dormiuerant.

De eodem.

Imperante Tiberio Cæsare, Populus Rom. coruum sepeliuit, ferentibus feretrum duobus Aethiopibus seruis, præcinẽte tibicine ac musicis, cum prius eum qui coruum occiderat, lapidibus obruissent. Hoc autẽ egit, quia hęc auis, nominatim mane Drusum ac Germanicũ Cæsares, ac multos præterea alios, postremoq; totũ Populum salutabat. Huius igitur honoris vltionisq; exẽplo, paret quantũ laudis gratitudo mereatur, quæ in homines exercetur, cũ erga irrationale animal, victor gentiũ Populus, ea vti voluerit.

De cane T. Sabini.

Cum de hominum in bestias gratitudine scripserimus, haùd ab re fuerit, etiam brutorum in homines ostensam declarare, vt homines qui ingratitudine laborant, tãtò plus pudeat, cum sibi cui ratione vti concessum est, videant id deesse, quod in brutis, quæ ratione carent, permulti scripto res fuisse tradiderunt, & quotidie aliquo exemplo perspici potest. Primus autem à nobis ponetur T. Sabini canis, quoniam eius fides mira fuit, is enim dominum in carcere nũquam deseruit, eoque postea ad scalas Gemonias deducto, in gementium morem latrando semper domino astitit, mirantibusq; hominibus, panem qui oblatus erat, non mãducans, ori domini admouebat, qui posteaquàm in Tyberim

rim proiectus fuit, in amnem secutus dominum, vt poterat ex aqua caput eius eleuabat, quem viuere adhuc arbitrabatur, quibus enim potuit modis gratias referre enixus est, quod ab eo enutritus & dilectus esset.

De Cane Iasonis Lycij.

Iasonis Lycij canis, posteaquàm dominum suum conspexit mortuum esse, omni cibo abstinuit, ne ei superuiueret, à quo dũ viueret singulariter amatus fuerat. Eo enim modo, quo ipsum natura permisit, gratum se in dominum pro illius in se beneuolẽtia testari voluit. Cuius exemplo ostenditur, qnàm sceleratè faciant ij, qui illos, qui bene de ipsis meriti sunt, male habent, aut etiam perdunt.

De canibus Lysimachi regis & Hieronis.

Non minus etiam se gratos ostendere Duridis canes in regem Lysimachum, & Pyrrhi in Hieronem. Nam cum dominis perchari fuissent, vt eorum amori responderent, in ipsorum dominorum rogos se iniecerunt. Vt dominos in morte non desererent, à quibus cum viuerent nunquàm discedebant.

De alio cane.

Scribit Ambrosius in Hexęmero canem domini corpus noctu à milite in Antiochia occisi, semper custodiuisse, iuxta vt poterat gementem. Ad quem spectandum, quia res mira videbatur, cum postridie multi conuenissent, atq; in eis is esset, qui eam cædem patrarat, quia ignotum sęcę de noctu peracta arbitrabatur, à cane dentibus comprehensus, cũ insuper latratu vrgeretur, & ipse prę animi conscientia plurimum perturbaretur, suspicionem perpetratæ cædis fecit, itaq; captus, à magistratu confessione criminis ex torta, mulctatus est.

De equo Antiochi.

In omni animantium genere homini exempla ostenduntur, vt ipse quoque ad eam virtutem ardentius accendi possit. In equum Antiochi regis, Centaretus Galata, cum regem in prælio occidisset, conscendit, quo facto, visus est equus sentire tergo suo domini hostem infidere, itaque dentibus apprehenso freno, ita vt nulla iam ratione habenis regi posset, ad altissimum saxũ citato cursu contẽdit, atq;

ab

ab eo, se, insidentemq; simul hostem, præcipitauit, sua domini sui mortem vltus.

De Aquila & Virgine quadam Sestia.

In vrbe Sesto, nutrita à virgine aquila, vt educationis gratiam referret, aues quas captabat, ad virginem deferebat, & cum postea virgo decessisset, eodem rogo quo illa ardebat, vltro in eum deuolans, cum virgine combusta est.

De Aspide atque Aegyptio.

Aspis in Aegypto, in domo pauperis enutrita, illic peperit, & cum vnius filiorum morsu interemptum hospitis filiũ vidisset, hæc serpens filios suos omnes occidit, neque vltra in ea domo conspecta est. O admiranda Dei virtus. Aspis fera hospitem suum gratam se, etiam filiorum morte ostendere voluit, & homo qui rationale animal est, aspide persæpe longe crudelior, hominem & hospitem perdet!

De Panthera.

Feritate insigni inter bruta omnes pantheram putant, & tamen à Demetrio physico traditum est, cum in fossam pantheræ catuli cecidissent, matrem in celebrẽ viam profectã, cum hominem conspicata esset, qui Philenis philosophi parens fuit, leniter vt poterat mordicus apprehẽsa eius veste, ad locũ in quẽ catuli conciderant deduxisse. Et quãquam vir ille haud leui timore tenebatur, tamen qui aliter non poterat ad locum peruenisse, vbi statim causam agnouit, quæ feram vt eum illuc deduceret, impulerat. Itaq; ei catulos ab fossa eduxit, cuius meriti vt gratiã referret, per totum illud iter hominem prosecuta, ab alijs eum feris hostibusq; defendit.

De Elephanto.

Cum Pyrrhus vrbẽ Argos irrupisset, elephas inter alios vnus Victoris cognomẽto, in vrbis porta, magistrũ à quo regebatur mortuũ præsensit, cuius rei dolore percitus, sine discrimine amicos hostesq; vrgendo inter hostes progressus prius nõ destitit, quam magistri corpus adinuenit. Captũ autem proboscide ac dentibus retro in tutũ ab hoste locũ retulit. Et militẽ non pudebit in hostiũ potestate interdũ domini corpus deserere, cum belua ingenio fera, tanto labore periculoq; suo magistrum redimere voluerit?

DE

Appion Polyhistor Græcus, vir doctissimus scribit, quem admodum A. Gellius in noctibus suis refert, mirum in modum leonem quendam gratum extitisse erga seruum, nomine Androdum, quem ipse ad bestias damnatum vidisse affirmat. Is Androdus cum leone in theatro positus, quia morti dãnatus erat, præ timore penè exanimis iacebat, cui leo appropinquans, magna totius populi admiratione, manus & crura lambere & cauda quantum poterat blandiri cœpit, quare miser Androdus resumpto animo, cũ ex hoc leonẽ agnouisset, ipse quoq; leoni cœpit blandiri. Itaque cum admiratione capti omnes essent, à Cæsare vt Androdo ignosceretur, petierunt. Annuit Cesar deductumque ad se Androdum rogauit: Quæ huius rei causa fuisset cui Androdus in hec verba respondit. Gubernante Africam domino meo, nimijs verberibus ab eo profugere coactus, in Africæ deserta me contuli, ibique forte in quoddam antrum me recepi, haùd multo post leo quoque in eandem speluncã venit, qui querula voce pede se debilitatum ostẽdebat, vnde perterritus penè concidi. Sed tandem à leone conspectus, qui pede sublato, querulus ad me venit, & si vehementer terrore mouebar, cum alia mihi consulere ratione non possem, necessitatem in qua constitutus eram in virtutem audaciamque conuerti. Manu feræ pedem apprehendi, atque conspicatus in eo confixam grandem spinam, vt melius potui à pede euulsi. Itaque ab eo die fera ex vena rione sua partem meliorẽ mihi semper impartita est. Ego autem triennium cum ea moratus, non alio cibo, nisi quẽ leo afferebat vixi, eum in sole quia ignis copia nulla erat, decoquens, Sed cũ hæc vita grauis mihi videretur, profectò in venationem leone, spelunca egressus, haud longè abij, cũ captus ad dominũ quem ante habebam perductus fui, qui me ad bestias damnauit: & nunc ab hoc leone agnitus, ex signis eum ipsum esse aduerto, quo cum in antro vt dictum est triennium vixi. His auditis populus Romanus, à Cæsare serui liberationem impetrauit, & simul vt cum libertate leo quoq; ei munus daretur. Quem seruus dum per orbem ductaret, lucri ad vitam sustinendam adiutorem habuit.

habuit. Huius leonis exemplum adducere nos facilius in sententiam potest, vt credamus sanctum Hieronymum ad onera ferenda parentem habuisse leonem, quem pede debilitatum veluti hic, de quo diximus ipse curauerat. Item vt Machario Aegyptio heremitæ, leæna cuius catulos oculis captos, cæcitatis damno liberarat, quemadmodum Ruffinus scripsit, pecudum ferarúmque aliarum, vt inde indumẽta conficeret, pelles detulisse.

RECENTIORA.

De Flauio Valerio Martiano Imperatore.

Ad recentiora gratitudinis exempla transituri Flauium Valerium Martianum, primum citabimus. Nam cum adhuc in priuata fortuna eques, in Lycia à Taciano & Iulio fratribus apud quos hospitio susceptus erat, grauiter laborans, ingentia beneficia, accepisset, & inde profecturus, mutua quoq; pecunia adiutus esset (hæc enim reuerentia in eũ moti præstiterant quod dormienti, per ætatem in agro, aquilam in aëre leniter se mouentem, patentibus alis solem auertere viderant) vt ad imperium euectus est, omnibus postpositis, Lycios ipsos fratres vocari iussit, alterosq; Illyrico, altero Constantinopoli præfecto, datis alijs quoque muneribus, non vt plerique solent in tam sublimem euectus gradum, beneficiorum, quæ in parua fortuna acceperat oblitum se ostendit. Præclaro enim exemplo, per cũ omnibus in mentem reuocatur, persæpè collata etiam in humilis fortunæ homines beneficia, ob fortunæ varietatẽ plurimum gratiæ beneficiorum authoribus conferre.

De Admirato Turcarum, natione Arabe.

Non minor quoque gratitudo fuit, Admirati Turcarum Arabis, nam cum Balduinus Hierosolymarum rex eũ in Arabia prælio fudisset, & captam coniugem, cum alijs multis (quia vicino partu grauiter habentem, ne grauitas læderetur vir in itinere reliquerat) in optimo lecto tentorijs circumclusit, seruis quoque atque omnia alia re necessaria adiutam, insuper pro stragula veste, cuius eo in loco copia nulla erat, chlamyde sua cooperuit, atque Admirato eã illæso pudore restituit. Itaque contigit postea Balduino, vt à Turcis acie victus, in vrbem Rhamam immunitam se

reciperet, ad eum ergo idem Admiratus noctu profectus, plus accepti beneficij, quàm ob religionis aduersitatem odij, aut etiam prædæ quam sperare posset memor, periculi magnitudinem quæ eminebat, aperuit. Ostendit enim postridie mane Turcas impetum facere in eum constituisse, à quo periculo, si se sequeretur incolumem seruaturum eum obtulit, cui cum oblatis vsurum se Balduinus respondisset, fidem gratitudinemque simul pro ijs quæ ante ipse præstiterat, in Turca expertus est.

De Genuensibus.

Prætereunda non est ingens gratitudo, qua Genuenses Petrũ Fulgosiũ proauum tuum prosequuti fuerunt, cũ Genuensis classis Admiratus, aduersus Cyprios inde parta victoria, atq; in potestatẽ redacta vrbe Famaugusta in patriã redijt. Nã præter prædę partẽ, quæ ei ceu Admirato publico decreto obuenerat, decẽ quoq; aureorũ nummum milia ciuitas addidit, cũ immunitate, qua ipse ac liberi fruerẽtur. Decreto quoq; edito, vt in posterum quotannis, omnes vrbani magistratus, in gratam victoriæ memoriam, religioni Minorum pallium perferrent, & qui ex Petri recta linea perferendo muneri interessent, omnes, post principem ciuitatis, eo die anteirent. Mirum autem videri non debet, si posteaquam esse desiuerunt, qui tam gratè magnorum facinorum authores prosequerentur, perrari quoque inueniãtur, qui ingentes victorias parere & sciant & velint.

De Foroliuiensibus.

Insignis quoq; Foroliuiensis populi erga Franciscũ Sfortiã gratitudo fuit, cũ Eugenij quarti Pontificis copiarum dux, in insidias quas Sigismũdo Malatestæ Foroliuienses tetenderãt, ipse incautus incidit. Nã cũ in ipsius populi manu esset, vt sine ipsorum discrimine caperetur, nõ vt hostilium copiarum ducẽ toruè conspexerunt, sed ceu amico dextera data, omnia amoris signa cum eo ediderunt. Cuius rei causa fuit, quod iussus arma Foroliuiensibus inferre, id quanquam Apostolici legati repugnarent, nisi indicto ante bello agere noluit, villarumq; incendio abstinuit. Quod magno documento esse potest, etiam hosti fidem seruandã esse, & damna nisi necessariò populis inferri non debere.

DE

DE INGRATIS. Cap. III.

De Leonida erga Agidem.

VT contentiones quibus Lacedæmoniorum ciuitas laborabat, cõponerẽtur, vtile putauerunt ciues, vt Leonidas vnus Lacedæmoniorum regũ (duo enim semper regnabant) in exilium mitteretur. Cũ autem Agesilaus in regno suffectus, vt Leonidas occideretur operam daret, Agides alter rex obstitit, nec minus quàm pro salute sua totis animi ac corporis viribus in eo contendit. Verum postea, vt nonnunquam fortuna fert, quæ loco stare nescit, Leonidas in pristinam fortunam restitutus, omnium ab Agide acceptorum meritorum, ita se immemorem præstitit, vt non prima solum suffragia de Agide regni honore deijciẽdo tulerit, verum crudelem quoque in modum vnà cum matre eum in carcere strangulari iusserit, vir prorsus ingratissimus nefandusque, cum ei vitam ademit, per quem ipse suam seruauerat.

De Ptolemæo Cerauno erga Seleucum Nicanorem Asiæ & Assyriæ regem.

Haud minor fuit ingratitudo, qua vsus est Ptolemæus cognomento Ceraunus erga Syriæ regem Seleucum, quẽ nullo pudore deterritus est, vt manu sua occideret, quanquam à patre pulsus (minorem enim natu filium, vt magis gubernando idoneum, in regno suffecerat) in Syria à Seleuco exceptus, diu non sine magna impensa, magno in honore habitus esset.

De Macharide Bosfori rege aduersus Mithridatem patrem.

Quanquã erga omnes ingratitudo crimẽ infandum sit, tamen ea, qua in parentes filij vtuntur, haud immeritò nõ sceleſta tantum, sed scelus ipsum nominari debet. Hoc crimine Macharides laborauit Mithridatis Ponti regis filius. Nam cum à parente omnia quæ communiter à parentibus liberi solent beneficia accepissẽt, & insuper Bosfori regno ab eodem honèstatus esset, bello quod Romani aduersus Mithridatem gesserunt, non modo patri auxilio non fuit, sed omnibus in rebus vt hostem prosecutus est. Verũ cũ postea Mithridates Macharidẽ vlcisci coactus

esset, morte sibijpsi procurarat Macharides, ingratitudinē qua in patrem peccarat, ipse vltus est.

De Tiberio Cæsare erga Liuiam matrem.

Qua ingratitudine erga patrem Macharides peccauit tantorum in ipsum beneficiorum authorem, eadem Tiberius Cæsar erga Liuiam matrem vsus est, nihilominus de ipso, quàm de Macharide Mithridates est, benemeritam. Nam post Augusti mortem, semper eam depresit, decretosque ei in morte à Senatu honores, haud obscuro odio abnuit, eius amicos hostili animo prosecutus. Quanquam præterea quæ communi naturæ iure matribus à filijs debentur, ipse illius innumera sustineret officia. Liuiæ enim gratia Augustus Tiberium adoptarat, & eiusdem opera ad imperium Tiberius conscenderat.

De Syracusanis aduersus Dionem.

Neque tam mirum videri, neque tam abominabile poterit, si in vno hoc ingratitudinis scelus inueniri contingit. Illud magis mirum detestandumque prorsus cum tota ciuitas in id crimen incidit, quemadmodū Syracusani fecerūt, qui Dionis opera non sine ingētibus eius periculis, magnaque impensa, Dionysij tyrannide liberati, non multò pòst vrbe eum pepulerunt, illique mortis, obiecto proditionis falso crimine, authores fuerunt, qui eis libertatem, cum vitæ suæ discrimine pepererat.

De Athenienſibus erga regem Demetrium.

Non occiderunt quidem Demetrium Athenienses, ipsius ope sæua Cassandri tyrannide liberati. Nam integrum ipsis non erat in eius vitam sæuire, sed contemptu contumeliosissimisque verbis (quo tempore is à regibus hostibus, ex eorum numero qui Alexandro successerunt, superatus est) apertè ostenderunt, quanta eorum crudelitas, si data esset facultas futura fuisset. Experimento vetus adagium cō firmantes: Quod penes quos ingēs doctrina est, apud eosdem ingentia etiam vitia, æquè ac virtutis inueniri solent.

Iterum de Athenienſibus apud Timotheum.

Iidem non minus ingratè se in Timotheum habuerunt, cuius virtute atque opera Athenienſium imperio subactæ multæ insulæ fuerant, cædentibusque Lacedæmonijs maritimum

nimum imperium populus Athenienſis pepererat. Nam cum conſiliarium Mneſtheo ſocero Timotheum dediſſet, quem aduerſus Samios claſsi præfecerat, & is populo Mneſtheū accuſaſſet, quod eius culpa Samo potitus eſſet, Mneſtheus autem in generum crimen reijceret: ingratus credulusque nimium populus, pro eo quod imperitiæ Mneſthei aut tempeſtati tribuendum erat, centum talentis Timotheum mulctauit, & cum Timotheus ſoluendo non eſſet, in exilium ire oportuit, vbi haud multò poſt mortē obijt. Athenienſesque praui iudicij pœnitentia ducti, Cononi Timothei filio, mulctæ nouem partes remiſerunt decima ad vrbis muros inſtaurandos aſsignata, quos Timothei pater Conon, ex hoſtium præda conſtruxerat.

De Hebræis erga Moyſen.

Non minora Moyſis in populum Hebræum quàm Lycurgi in Lacedæmonios merita fuerunt, quin æſtimanti lō ge maiora videbuntur, etenim ipſius opera miſera Aegyptiorum ſeruitute liberati fuerunt, Pharaonem fugientes, ſiccis veſtigijs, mare rubrum traiecerāt, mari demerſos inſequentes hoſtes viderant. Denique ne omnia commemorem, eius manu diuinam legem acceperant, & tamen creberrimis ſeditionibus motis Hebræi, ſeductorem eum pra uumque virum appellabant, & ne à lapidatione quidem in eo abſtinuerunt.

De Adado Syriæ rege.

Quis neſciat etiā Adadi Syriæ regis ingratitudinē aduerſus Achab Iſraēlis regem? quo bis prælio captus, atque amicè habitus ac liberatus, poſt initam pacem, cum iniuriarum loco beneficia accepiſſet, iterum Iudæis bellum intulit, atque vt oſtenderet quam ingratè Achab regis meritorum memoriam ſeruaret, milites ſuos iuſsit, alijs in prælio quantum poſſent parcere, vimque in vnum Achab ad eum perdendum quemadmodum factum fuit, vertere. Hac gratia pro acceptis beneficijs rege optimè merito relata.

De Cn. Pompeio erga vxorem Antiſtiam.

Magna quoque Cn. Pompeij erga vxorem Antiſtiā ingratitudo fuit. Nam cum Syllano bello, eius pater, quod Pompeianus haberetur, interemptus fuiſſet, eius filiæ Antiſtiæ,

tiſtiæ, ſine legitima cauſa repudium miſit, vt Aemiliam Syllæ priuignam duceret. Syllæ enim fauorem, virtuti & charitati Antiſtiæ, atque ſoceri pro ſe ſparſo ſanguini, antepoſuit.

De Fuluij coniuge erga virum.

Vt ambitio in Pompeio ingratitudinis cauſa extitit, ita quod zelotypa erat Fuluij vxor, in virũ proſcriptũ crudelis atque ingrata fuit. Nam cum ad eam Fuluius, tanquam ad coniugem, & propterea vt rebatur ſui amantem & fidelem (ſeruam enim liberauerat & coniugio dignatus erat) vt aliquo modo occultaretur ſe recepiſſet, mutatam animo atque indignatã, quod alterius fœminæ captum amore ſuſpicabatur, pro coniuge hoſtem inuenit: ab ea enim Triumuiris accuſatus, miſerandum in modum perijt. Hinc enim quantæ ſint zelotypiæ vires deprehendi poteſt, cum tantorum meritorum, quanta hæc à Fuluio, de ſerua vxor facta, acceperat, extincta recordatione, ad huius ingratitudinis ſcelus impietatemque progreſſa eſt.

De Auguſto erga C. Toranium.

Non fuit ingratitudinis expers Auguſtus, Triumuir enim Toranium proſcripſit, qui patri eius in ædilitate collega, & ipſi pupillo optimus tutor fuerat.

De C. Caligula Imper.

Vt omnibus alijs in rebus immania horroriſque plena Caligulæ principis ſcelera fuerunt, ita ingratitudinis quoque crimine, non alios modo mortales, verum feras quoq; ipſas immanitate inſignes ſuperauit. Id in eo præcipuum erat, quod omnes, à quibus amabatur odio habebat, magis hoc patuit, cum pro eius valetudine, quæ in diſcrimine erat, quidam ſe depugnaturum vouiſſet: Morbo enim liberatus, vt votum ſoluere exigit, neq; abire cãpo niſi victorem paſſus eſt, omni arte enixus, vt qui pro eius ſeruanda ſalute, diſcrimini vitã obtulerat, pro gratia mortẽ reportaret.

De eodem.

Alium qui vitam pro eo vouerat, cũ intelligeret, ad mortem, ſoluendi gratia voti, nequaquam properare, vinctum pueris tradidit, qui eum per vrbis vicos flagellatum, ab aggere demum præcipitarent. Res profectò non ſolum Imperatore

peratore nequaquam digna, sed quæ ne in truculentissimo quidem carnifice commemorari vt de homine debeat. Tanta enim sæuitia meritus est, vt mortales omnes amore in odium conuerso, & ipsi & stirpi eius vitam adimerent, atq; sepultura prohiberent.

De eodem.

Huius si singula ingratitudinis crimina exequar, vt in omni alio scelerũ genere infinitum aggrediar opus, & propterea vno tantum adhuc eius exemplo contenti, prisci tẽporis ingratitudini finem faciemus, Caligulam si quis in testamento hæredem nominasset, & postea fœliciori fato superuiuere ei contigisset, questus se ab eiusmodi homine contemptui haberi, percussores ei mittere consueuerat.

RECENTIORA.

De Theodato Gothorum rege erga Amalasuntham.

Theodatus Gothus, qui Ethruriæ regebat populos, regni particeps, & successor ab Amalasuntha, quæ in Italia Gothorum regina erat, Theodorico patre orta, cum Athalaricus eius filius decessisset, cooptatus, vt pro tanto beneficio insignem bonitate reginã promereretur, in insula, in Vulsiniorum lacu, in carcere eam condidit, ac deinde strãgulauit, vt eam morte afficeret, per quam ipse regnum acceperat.

De Alexio erga Isaac Fratrem Constantinopolitanum imperat.

Pari ingratitudine erga fratrem Isaac Imperatorem Cõstantinopolitanum, à quo vnicè diligebatur Alexius est vsus. Nam quanquam à Turcis culpa sua captus, ab Isaac fratre statim magno auri pondere redemptus, dominum suum, nedum fratrem, tanti muneris authorem, vir perfidus ingratusque, oculis ac imperio simul priuauit.

De Iustiniano Primo Imp. erga Belisarium.

Quæ verbã, cuiusve eloquium satis vnquam, pro rei indignitate Iustiniani primi Imperatoris, erga Belisariũ narrare ingratitudinem, atque pro merito scelus damnare possit? nullius profectò magis quàm Belisarij ipsius. Nam cum à Iustiniano per inuidiam falsaque crimina erutis oculis, omnibus opibus spoliatus, in publica via victum mendicaret, aiebat: Nummũ pusillũ Belisario date, quẽ virtus extulit,

tulit, atque in imum inuidia coniecit. His verbis prætergredientes omnes acerbè Iustiniani crudelitatis atque ingratitudinis commonebat. Tecum nunc lector cõsidera & diligenter animo repensa. Hinc Belisarij virtutem, victos ab eo Persas, Gothos ac Vandalos, horum populorum reges bello captos, atque ad Iustinianum missos, præterea recuperatas Siciliam, Africam, atque Italię maiorem partem, paruo militum numero, minoreque impensa. Item militarem disciplinam lõgo postliminio legibus suis restitutam, demumque animi ipsius integritatem, cum oblato Italico regno abstinuit, atque ad hæc addas, affinitatem qua Iustiniano iũctus erat. Illinc autem ipsum luminibus captũ, atque ad mendicitatem redactum, his malis ab eo affectũ, cui ipse tam multa, quibus in humanis rebus maius nihil est contulerat. Ira profectò molestiaque nimia (neque hoc dubium) moueberis, & longè magis quàm Belisarius patientia, vt alijs virtutibus insignis, dentibus in Iustinianũ fremes, & ijs quæ meritus est malis, si in manu tua foret, eum afficeres.

De Friderico II. Imp.

Qui principes vnquam, quíve inter Augustos numeratus, tantis & tam magnis à Rom. ecclesia meritis cumulatus fuit, quàm Fridericus? Huius pater Henricus quintus, Siciliæ regna à Celestino tertio assecutus est, deinde imperij diademate insignis factus, moriens hunc Fridericum filium, in prima ætate, sub Rom. ecclesiæ tutela reliquit. Eũ Innocentius tertius, amanter vt filium aluit, ac post Innocentium Honorius tertius, Rom. imperij titulo decorauit. Tantorum meritorum immemor, Honorium successoresque, ac demum vniuersam catholicam ecclesiam, hostili odio prosecutus, eius omnium temporum hostes crudelitatis acerbitate superauit. Hocque in Rom. ecclesiam animo vix ingratissimus animum egit.

De Rolando Petri Siciliæ regis fratre & Comiola.

In classe quã Petrus Siciliæ rex, Liparitanis auxilio aduersus Robertum Neapolitanum regẽ misit, cum alijs principibus magnisque viris Rolandus erat, Petri regis frater spurius: qui deuicta à Roberto rege ea classe, in captiuorũ numero

numero fuit. Cum autem vt in eiusmodi rebus contingere solet, captiuorum propinqui satagerent, vt captiuitate suos liberarent, eius cladis indignatione motus rex Petrus, quia Siculorum ignauia paruoque eorum animo amissa classis videbatur, Rolandum fratrem redimere negligebat. Itaque miser carceris pedore tenebrisque macerabatur. Cõtigit ea tempestate, Messanæ adolescentem adhuc fœminã viduam esse, Senensem in magnis relictam opibus, Comiolam nomine Toringam, quæ Rolandi audita calamitate, vt sa sibi est videre à fortuna viam parari, vt regij sanguinis virum sperare posset, cum ipsa satis fortunarum haberet. Itaque secreto misis, qui Rolandi mentem explorarent, si huius puellę pecunia è manibus hostium redemptus foret, eam ducturus esset vxorem? vt compertum est, eum tanquam cœlitus misi muneris loco rem hanc accepturũ, matrimonio ritè per procuratores stabilito, ipsum duabus auri vnciarum milibus mulier redemit. Reuersus in hunc modum Messanam Rolandus, nõ modo desponsationem abnegauit, sed ne liberationis quidem officio mulieri gratias agere voluit, præ se qui regio sanguine ortus erat, ceu humili ortam loco ciuem despiciens, cuius si charitas defuisset, in carcere vitam erat acturus. Comiola iusto compulsa dolore, nam & ingentem pecuniam impenderat, & spar sa de matrimonio fama, si id infectum maneret, eius nomini notam afferebat, ad Ecclesiasticum tribunal Rolandum conuicit. Itaque rem propinquis & amicis Rolandi imperantibus, tandem is persuaderi sibi passus est, vt Comiolam duceret. In publico igitur conuentu, sicuti in eiusmodi rebus mos est, cum Rolandus arbitraretur se cũ Comiola de nuptijs transacturum, Comiola, vt Rolandi ingratitudini atque ignauiæ par erat, commemoratis suis in eum meritis, illiusq; in se, quod tam impudenter fidem violasset, ingenti ingratitudine, palam dixit, Se pactioni de nuptijs cum eo renunciare, neque vt tam ignauo homini nuberet, æquum ducere: sed se pro nuptijs virginitatem opesque suas, Dei seruitio dicare. Animo profectò ingenua virgine dignus, vt Siculis, tãto animo, Rolãdi ingratitudinẽ, ac simul cũ pudica mẽte generosum etiã cor suũ, ostẽderet.

De Philippo Maria duce Mediolanensi.

Ingratitudine quoque Philippus dux Mediolanensis erga Beatricem coniugem non caruit, nam cum adolescens esset, & propter Ioannis fratris immanitatem, magna paterni imperij parte amissa, pars quæ supererat magno in discrimine versaretur, omnium egens, Beatricē Facini Canis militarium copiarum suarum ducis vxorem ipsius Facini hortatu, qui paulo pòst decessit in matrimonium duxit, quia & militum animos, qui ei assueuerant, & pecuniá qua Facinus abundabat, cum nuptijs secum trahebat. Eius igitur ope compositis rebus, quia ætas longè dispar erat, neque Philippo coniunx sed auia superinducta videbatur, vt se graui matrimonio liberaret, Philippus turpitudinis insimulatam, clàm vt aiunt, iudicio tamen ante facto interimi iussit.

De Venetis erga Franciscum Foscarum ipsorum ducem.

Illud quoq; inter ingratitudinis exempla commemorādum est, quod à Venetis erga Franciscum Foscarum ipsorum ducem patratum est. Nam cum iuxta vrbis morem perpetuum Ducem eum creassent, isque & prudenter, & iustè diu rem Venetam rexisset, paruoq; tempore ipsius auspicijs Brixia, Bergomum, Crema & Rauenna imperio Veneto partæ essent, quartū atq; octuagesimū ætatis suæ annum, Ducatus autem quartum & trigesimū agentem, causati eius decrepitam ætatem rerū administrationi magno esse impedimēto, abire magistratus honore coēgerūt. Quæ iniuria, præ doloris magnitudine, ita hominem concussit, vt vix pauciss imos dies superuiueret. Ita qui in tam longo senio diuturnitatem sibi in vita spondere non poterat, erepta ob eam iniuriam pauci temporis vita, magnam nomini Veneto ingratitudinis, atque inuidiæ notam reliquit.

DE PIETATE ERGA PARENTES.

Cap. IIII.

De Antigono Macedonum rege.

CVm prælio captus à Seleuco Syriæ rege Demetrius Asiæ atque Macedoniæ rex esset, Antigonus filius, regni quietus possessor, regiam purpuram lugubri veste mutauit, atque inter continuas lachrymas ad vicinos reges legatos

gatos oratum misit, vt pro patris liberatione operam dare vellent. Ipse quoque ad Seleucum misit, qui regnum, se quoque ipsum obsidem pollicerentur, si carcere patrem liberaret. Qui posteaquam resciuit patrem mortuum esse, ingentem classem instruxit vt ad accipiendum defuncti corpus proficisceretur, cum autem nauigans patris corpus obuium habuisset, à Seleuco in Macedoniam remissum, tanto apparatu lachrymisque illud excepit, vt omnes in admirationem commiserationemq; simul conuerteret. Stabat Antigonus in puppi magnæ quinqueremis, eius apparatus gratia ædificatæ, atra veste indutus, mortuum parentem lachrymans, cuius in aurea vrna conditi, inter vexilla ipse continuus spectator erat. Illic cantu alijsque musicis modis defuncti regis virtus insigniaque facinora decantabantur, canentium autē voces ad pietatem lamentabilesque modos compositæ. Remiges quoque remorū pulsum eo ordine ad dolorem exprimendum temperabant, vt Corintho classe appropinquante, ipsa quoque saxa ad lachrymas mouerentur.

De Artaxerxe Persarum rege.

Artaxerxes primus Persarum rex, Statyram coniugem ardenter diligebat, quam & si norat matris Parisatæ fraude veneno extinctum esse, tamen penes eum maritalem amorem, matern a pietas vicit, adeoque matris iniuriam dissimulauit (quanquam persæpe contra fieri videatur) vt nō modo de vlciscendo eius scelere nihil loqueretur, sed ne minimo quidem nutu, offensæ voluntatis ei signum dederit.

De Alexandro Seuero Imperatore.

Persimilis erga matrem Mameam Alexandri Seueri charitas ac reuerentia fuit, qui nihil questus, tulit vt propter muliebres contentiones ambitiosorum animorum, mater exulatum eius vxorem mitteret in Africam, quam paulò antè ipse ab ea acceperat, maiusque penè matris in regendo imperio, quàm ipsius arbitrium esset.

De Licophrone Periandri Corinthij tyranni filio.

Periander Corinthius tyrannus, occisa Melita coniuge, susceptos ex ea filios, ab Epidauro vbi apud maternum auum alebātur, accersiuit. Aui nomē Procles erat, qui priusquam

quam nepotes à se dimittteret, seorsum vocatos, monuit his verbis. Ignorare vos nolo, Periandrum patrem vestrũ, sine vllo iure, filiam meam parentem vestram Melitam occidisse. Nullamque rem vltrà locutus, pueros ad patrem dimisit, ea verba quę maior natu filius paruifecit, altius in minoris natu pueri, qui iam sextumdecimum agebat annum, nomine Licophronis animo, tantam indignationem mouerunt, vt posteaquam Corinthum peruenit, nec alloqueretur parentem, nec appellanti responderet. Quamobrem domo pulsus à Periandro patre, apud quosdadam comites alebatur. Cum nec ob id quidem sententiam mutaret, Periander omnibus interdixit, ne eum exciperent. Itaque cũ ipsum iam excipere nullus auderet, Licophron in foro, locisque publicis diuersabatur, ijs rebus tantum vitam agés, quę præ misericordia offerebãtur. Cum ne hoc quidem incommodo Licophron à proposito discederet, tandem à Periandro edictum est, vt sub capitis pœna, nemo eum alloqueretur, neque re vlla iuuaret. Itaque tridnum ieiunus Licophron mansit, & cum ad eum postea pater accessisset, & miserię in qua erat admonuisset, spe facta si sententiã mutasset, principatus se successorem eum relicturum, filius hęc pauca respondit, Pœnam pater incurristi, quia contra edictum tuum me allocutus es. Vnde magis indignatus Periander, Licophronem in Corcyram misit, et cum iam annosus morti se vicinum putaret, accersiri Licophronem iussit, vt ei Corinthium regnum dimitteret, arbitratus eũ ingenio ac virtute alios anteire fratres. Ceterum Licophron immobilis perstans apertè respondit, sibi nunquam mentem dari posse, vt in ea vrbe maneret, in qua is moraretur, qui parentem suam peremisset. Itaque priusquam Corinthũ attingeret, hoc ingens Licophronis suæ in matrẽ charitatis exemplum fuit, sed non minus paternæ quoque in eum indulgentiæ.

De Opij ciuis Rom. filio.

Opius ciuis Romanus, à Triumuiris proscriptus, cum nimio senio debilitatus esset, & filium haberet, qui domi manere poterat, maluit filius cum vitæ suæ periculo patrem debilitatum, morti quæ domi parata fuisset eripere. Sublatum

tum igitur in collum, magno labore, ab vrbe tulit, sub mē-
dici specie latentem, atque cum eo in Siciliam peruenit, v-
bi Sex. Pompeius proscriptos omnes recipiebat. Tandem
hac singulari in parentem charitate à populo Romano pa-
triæ restitutus, insuper ædilis quoque factus est. In eo ma-
gistratu cum bonis spoliato, ad festos ludos edendos, opes
nullæ essent, ne is consueto honore careret, theatrales arti-
fices dono ei operas suas dederūt. Ludorum apparatui ne-
cessaria, populus quoque Romanus vniuersus, priuatim in
theatro tantum ei contulit, vt non modo agendis excellē-
ter ludis sufficeret, verum ex eo, quoque quod superfuit,
vehementer ditaretur: à populo Romano mirum in modū
laudata ipsius in Opium patrem charitate.

De Metellis patre ac filio ciuibus Romanis.

In ciuilibus bellis quibus inter se Antonius atque Octa-
uius decertauerunt, quemadmodum sæpe euenit, contigit
vt fratres cū fratribus & cum filijs parētes diuersa acie cō-
currerent. Itaque postremo prelio, quo apud Actium Octa-
uius Antonium deuicit, cum captiui recenserentur, sicuti
mos erat, Metellus ad Octauium deductus est: cuius quā-
quam facies propter anxietatem carceremque à consueta
videretur mutata esse, à filio tamen Metello, qui cum Octa
uio militabat agnitus fuit. Itaque lachrymabundus statim
in patris amplexum cucurrit, deinde lachrymarum plenus
ad Octauiū cōuersus dixit. Hic tuus hostis mortē meritus
est, ego aūt premio sum dignus, quia tibi inseruiui. Oro igi
tur te, vt pro eo munere, quod mihi à te debetur, hunc ser-
ues incolumem, & me pro eo occidas. Ea pietate motus
Octauius, filio Metellum patrem, quāquam infensissimus
hostis esset, dono dedit.

De Arriani filio.

Arriani, qui proscriptus erat, filius, cū minimè eius pro-
scriptionis pœnę addict⁹ esset, & rē & pericula omnia spre
uit, cum arte patrem carcere eripuit, & cum eo profugit.
Quæ res quanquam fortasse haud magna, præditis pietate
filijs videbitur, tamen non omittenda mihi visa est, quod
permulti, & priscis temporibus & præsenti quoque ætate
inuenti sunt, qui non vitam modo suam, sed ipsas quoque

opes

opes quanquam tenues pluris quàm paternam salutem fecerunt, & scelestiores alij ipsos parẽtes non opibus modò, sed vita quoque priuarunt. Itaque eorum scelus fortasse de Arriani filio scriptum charitatis exemplum vt excellentius videatur, efficiet. Nunc veteribus omissis ad recentiores transeundum est.

RECENTIORA.

De Rosimunda Longobardorum regina.

Alboinus Longobardorum rex, qui primus in Italiam venit, cum Veronæ iuxta immanem gentis morem, in conuiuio solenni biberet, in calua Turisimundi Gepidarum regis filij, qui & ipse eodem vocabatur nomine, vtpote clarioris hostis quem occidisset, quanquam sciret eum Rosimundæ coniugis patrem fuisse, tamen quod fortasse vino incaluerat, caluam ad coniugem misit, monens vt cum patre biberet. Rosimunda etsi ante patrem in prælio cecidisse norat, à Longobardis cæsum, eam tamen rem, vt communes casus homines solent, perferebat. Cæterum ea propinatione certior facta, Alboini manu patrem interijsse, plus paterna charitate, quàm coniugalis thalami facibus mota, patrem vlcisci, & eius rei gratia virum regnumq; simul amittere decreuit. Cum autem è puellarum numero, quas in obsequio habebat, vnam ab equite Longobardo Himichildo nomine diligi sciret, egit vt vocatus in obscurum cubiculum, tanquam cum amata puella cubiturus, secum is, re minime detecta, commisceretur. Et vt postea quid perpetrasset eum non lateret aperiri cubiculi fenestras iussit, interminataq;, nisi Alboinum virum suum occideret, se perpetrati flagitij eum accusaturum, adeò enixè institit, vt iis verbis minisq; victus, noctu in lecto iacentem Alboinum occideret. Facinore autem perpetrato, Rauennam ambo regno, honore, vitaque paternæ necis vindictæ postposita profugerunt.

De Alexio Imperatore Constantinopolitano.

Cum Isaac Constantinopolitanus Imperator ab Alexio fratre imperio luminibusq; simul priuatus esset, Isaachi filius, et ipse Alexius nomine, Balduini, atque aliorum principum, qui ea tempestate ad Syriacam expeditionem pro Christi

Christi fide proficiscebantur, ope adiutus, armis imperiũ recuperauit. Et quanquam eum omnes Imperatorem salutarent, eo nomine abstinuit, eductumque è carcere patrem in cõsuetum honorem restituit, atq; Imperatoriam dignitatem paternæ charitati postposuit, quemadmodum pro fortuna sua hic quoque qui sequitur egit.

De Bernardo Carpio.

Alphonsi secundi Legionensis regis, qui cognomento Castus dicebatur, Vermena soror, cum clàm fratre, comiti Sanctio Santillanensi nupsisset, atque ex eo filium peperisset nomine Bernardum Carpium, rex sororis matrimonio vehementer perturbatus, eam inter virgines monasterio inclusit, comitem autem cui illa nupserat, perpetuo carceri damnauit, natum autem ex eis filium amanter aluit, qui cum in virum magna præditum virtute euasisset, meritis atque obsequio primum liberare patrem enixus, vt id non succedere conspexit, Mauris coniunctus, quid armis efficere posset tentauit, neque vnquã viuente Alphonso destitit, neque intermissa vnquam post eum ea opera, cum Veremundo primo, Ramiro primo, & Ordonio primo, qui omnes eo ordine in Legionensi regno successerunt, tandem regnante Alphonso tertio, armis patrem recepit, iam non decrepitum modo, sed cæcum quoque. Tantum enim penes filium paterna valuit charitas, vt neque temporis longitudo eius vinceret animum, neque aduersa religio quam Mauri colebant, ab incœpto eum absterreret, sed aduersus tam multorum regum potentiam, viribus longè inferior, indefesso animo semper contendit, donec voto potiretur, quæ res quantò rarior inter mortales inuenitur, tantò plus laudis Bernardo comparauit.

De quodam Hispano Toletano.

Inter tã multa insignium virorum charitatis erga parentes exempla, vnum Toletani hominis annectemus, in quo quod fortunæ defuerat, id rei magnitudo æquauit. Huius pater aurarius faber, à Petro primo Castulonis rege, ob falsas suspiciones morti damnatus erat, filius amore erga patrẽ cõpulsus, lachrymis precibusq; agere nõ destitit, vt seruato patre, ipse pro eo occideretur, quod assecutus vitã amisit,

sit, vt in vita eum seruaret, à quo ipse per genituram acceperat vitam, tanto omnibus alijs in hoc charitatis laude præferendus, quantò alijs omnibus rebus vita charior est.

DE PIETATE ERGA FRATRES. Cap. V.

POst filiorum erga parentes charitatem, haud immeritò eam quæ esse inter fratres debet, describemus. Etenim gradu proximior est, & propterea insignia quædam de ea ponemus exempla. Te autem Petre fili diligenter monitũ velim, si inter mortales fidus amicus magni est faciendus, thesaurisque omnibus præferendus, longè magis æstimandum eum esse, qui frater est: quia nullum beneuolẽtiæ vinculum cum eo conferri potest, quod non delectus aut commodum, sed natura ipsa conciliauit. Diligenter igitur cauendum est, ne quod natura tam arctè deuinxit, sanctumq; in hominibus esse voluit, id ambitione aut auaritia euertatur. Huius igitur amoris magnitudo sequentibus exemplis ostendetur.

De Antiocho qui Accipiter cognominatus est.

Antiochus Accipiter Syriæ rex, cum de regno cum fratre Seleuco contenderet, atque à Gallogræcis prælio victum, atque cæsum fuisse eum accepisset, plus fraterno amore, quàm bello quod cum fratre gerebat motus, abiecta purpura omnibúsque regijs ornamentis, atrã inter lachrymas sumpsit vestem. Nec multo pòst, cum resciuisset falsum se de eius morte nuncium accepisse, pro eius salute in vniuerso regno sacra fieri et dijs immortalibus gratias agi, festosque ludos fieri iussit.

De Eumene atque Attalo Asiæ regibus.

Orta falsa fama, Asiæ regem Eumenem, Perſei insidijs mortuum esse, Attalus frater, sumpto diademate vxorem eius matrimonium duxit. Sed cum postea Eumenes rediret Attalus autem obuiam profectus, vt venientem excipe ret, timoris expers non esset, ob ea quæ falsa inductus fama egerat, Eumenes minimè se cõmotum ostendens, summissa voce Attalo in aurem dixit. Nolito aliàs vxorem ducere, nisi ante certo sciueris, qui mortuus fuerit. Cæterum cum haud diu pòst moreretur, & si ex vxore filiũ procrea-

rat,

rat, fratri tamen Attalo vxorem regnumque reliquit, Attalus autem ne fraterna charitate vinceretur, & si ex vxore multos postea procreauit liberos, vnum tamen ab Eumene relictum, in spem regni aluit, & vt aptum regendo vidit, regno ei cessit, diuque post hoc priuatam egit vitam. Horum enim fratrum pietas aperte fraterna beneuolentia maius nihil esse ostendit, cum postpositis proprijs filijs, regno inuicem liberaliter cesserint.

De Pharnace rege Parthiæ.

Pharnaces Parthiæ rex, fratri Mithridati, & si minimè liberis orbatus erat, moriens regnum reliquit.

De L. Lucullo.

Lucius Lucullus senator Roman. quanquam natu maior quam Marcus frater, fraterna charitate compulsus, præter consuetum Romanorum morem, nunquàm magistratum petere voluit, donec ad legitimam ætatem petēdi frater peruenisset, propter quam rem, absentes ambos populus Rom. ædiles creauit.

De Catone Iuniore.

Cum in Asia esset iunior Cato, & fratrem Cepionem in Asiam venientem accepisset Thessalonicæ graui affectum valetudine substitisse, & si hyems sæuiebat, neque satis idoneam haberet nauem, tamen vrgente fraterna pietate, cum duobus solis comitibus, mari hyberno tempore credidit, & ad visendum fratrem perrexit. Quē cum mortuum offendisset. non satis duxit ingentibus lachrymis (fortasse plusquam Philosopho homini æquum esset) prosequi funus, ingenti apparatu atque impensa procurauit, neq; eam impensam cum nepte in diuidenda hæreditate computauit.

De Timoleonte Corinthio.

Ingentem fratri Timoleon Corinthius, amorem ostendit, cum inito aduersus Argiuos prælio fratrem qui vulneribus confectus in terram ceciderat, salu tranſgressus, clypeo suo protexit. Et quanquam illic ipse quoque permulta accepisset vulnera, nunquam se in tutum locum, nisi fratre recepto vestigia mouit, pluris̄que illius quàm suā se fortē salutem ostendit.

De vxore Ithaphernis Persæ.

Inter tam multa fraternæ charitatis exempla, haud iniuria vnum è sororijs annectemus, vt palàm fiat, in omni sexu hãc sanctam beneuolentiam locum sibi vendicare atque laudem comparare. Persarum rex Darius, ob quædam crimina Itaphernem filiosq́;, atq; omnes ex eius gẽte morti damnarat, Ithaphernis vxor, cum ad Darij palatiũ profecta, planctu lachymisq́; omnia repleret, Darium ad commiserationẽ mouit. Itaq; misit qui diceret, regem vitam ei dono dare vnius dãnatorum quẽ maluisset: mulier fratrem petijt, qui in dãnatorũ numero erat. Miratus Darius quod fratrẽ viro ac filijs prætulisset, causam ab eo petijt, quæ respõdit, Se cum patre careret, fratrẽ, si hunc amisisset vltra sperare nõ posse, sed cum adhuc viridi ætate esset, & virum inuenire & sperare liberos poterat, quo respõso motus Darius, quia fraterna charitate ac prudentia plenum erat, præter fratrem mulieri maiorem quoque natu filium dedit.

De Dyetento & Fratre Cappadocibus.

Cum Adiatorigem Cappadocem regulum cum vxore liberisque Augustus bello cepisset, Romamque in triumphũ duxisset, decreuit, vt cum maiore natu filio pater occideretur. Quamobrem cum ministri ad hanc rem designati peterent, quis ipsorum fratrum natu maior esset, vehementer inter se contendebant, vtroq; maiorem se esse asserente, vt alterum fratrem morte sua seruaret. Et cum diù in hunc modũ pietate inter se contendissent, vix tandem Dyetẽtus matris precibus, quæ per eum facilius se ali posse videbat, cessit, tulitq́; vt pro se minor tanquam natu maior moreretur. Re postea ab Augusto intellecta, non modo factum indoluit, verumetiam illum qui superstes fuerat, cum matre honestè habuit. Tantũ reuerentię & bonæ existimationis, etiam inter ipsos hostes, hoc fraternæ charitatis sanctum nomen comparare solet.

De P. Rutilio.

Ad feruida magis fraternæ charitatis exempla transeũtes P. Rutilium attingemus, qui quanquã leui affectus valetudine domi cubaret, audita fratris repulsa in cõsulatus petitione, mortuus inuentus est.

DE

De Ligarijs.

Duo Ligarij fratres in triumuirali proscriptione nominati, cum ambo eodem in loco laterent & somnus eos oppressisset, alter eorum mortuus est inuentus. Fugiens alter vt alterum occisum esse accepit, à ponte se in Tyberim præcipitauit, adiutusq; à piscatoribus, qui propè eum locum erant, arbitrantes, aut lapsum forte, aut deiectũ in amnem alterius opera fuisse, vehementer enixus est ne inde trahere tur. Et cum ita inter eum piscatoresq; cõtenderetur, superuenere, qui proscriptorum disquisitionem procurabant, ab ipsisq; vt optabat, occisus fuit.

De duobus alijs proscriptis.

Non minori duos proscriptos fratres, inter se charitate fuisse Appianus scribit: quorum alter cum à militibus caperus esset, alter qui se proscriptum ignorabat, ad eos profectus, magnis precibus orabat, vt dimisso fratre se pro eo occiderent, verum vt cognouerunt ipsum quoq; proscriptũ esse, vtrunque interemerunt.

De Iona Hebræo.

A tam ardenti charitate ad remissiorem aliquantò transeuri, Ionæ Hebræi mentionem faciemus. Cui cum Agrippa Iudæorum rex, Pontificatum max. daturus esset, accipere nunquàm voluit, sed magno studio precibusque ingenibus eum fratri, quem meliorem se aptioremq; esse dicebat, impetrauit.

De Tito Vespasiano Imperatore.

Quanta etiam Titus Vespasianus imperator in Domitianum fratrem charitate fuit, nam quanquam sciret eum de se immodestè loqui, exercitusq; ad rebellionem sollicitasse, tamen ob id, in minore eum existimatione non habuit, neq; ab alijs haberi voluit, consortem eum ac successorem imperij appellans. Cum præterea seorsim ab alijs habitũ non sine lachrymis ac magnis precibus obtestaretur, vt in se eo amore esse vellet, quo ipse eum prosequebatur. O charitatem fraternam, profecto ingẽtem, maiorem natu fratrem qui rerum potiebatur, nõ modo tanta in fratre perferre, verũ adeò quoq; clemẽter atque humanè cũ eo agere.

De Iazate Adiabenorum rege.

Iazates Adiabenorum rex, quanquam quatuor & viginti filiorum pater esset, vni tamen moriens Monobazo fratri regnum reliquit.

RECENTIORA.

De Luiba Gothorum rege in Hispania.

Luiba Gothorum rex in Hispania, secundo regni sui anno, Lenogildum fratrem hæredem ac successorem regni cõstituit, & aliquod tempus ante obitum seruata sibi tantũ Narbonensi prouincia, reliquis regni partibus ei cessit.

De Ramiro Primo, qui Decimus in Hispania post Arabum aduentũ regnauit.

Nónne Ramirus quoq;, fratris sui Garsiæ amãs fuit, cui cum in Hispaniæ regno iam ex parte de Arabum manibus recepto (quia primogenitus erat, vt mos est, antelatus fuisset) sponte sua, regni socium asciuit, cum plus apud eum regni in communicatione fraternus amor quã ambitio posset: quæ non fratrum modò, sed parentis quoq; filiorum extinguere charitatem solet.

De Heliodoro qui Pius dictus est Britannorum rege.

Clarius fraternum amorem Heliodorus Britannus, ostendit, ob quam rem Pij postea cognomentum adeptus est, & ideirco locũ ei hic dedimus. Quanquã ob temporũ rationem inter priscos commemorandus fuisset, aliquãto enim Iulij Cæsaris ætatẽ anteceſsit sed qui rei similitudine cum Ramiri exemplo coniunctionẽ magnam habet, item quia nulli penè cognita eius historia est, inter recentiores poni debere visus est Hic à Britannis fratri Archigallo suffectus quem populi ob nimiam crudelitatem atque auaritiam regno pellere coacti fuerant, in sylua venationi intentus, in ipsum fratrẽ incidit, in quo afflictam fortunam, lacera vestis squallorq́ue satis testabatur: quem vt agnouit, quanquã sciret antea vi, atque arte enixum, vt in regno restitueretur, tamẽ amanter complexus, occultè in Aldeludum vrbem deduxit, vbi simulata ægritudine tanquam testamento suas atque regni res ordinaturus regni proceres ad se vocauit. Et cũ singulos priuatim alloqui velle ostendisset, captis vt in cubiculũ singuli ingrediebantur, omnibus mortem interminabatur, nisi fratri pepercissent, & assentirentur,

tur, vt per ipsū in regno restitueretur. Et cū omnes per hūc modū in sententiā deduxisset, rem postea corā omnibus aperuit, atq; Archigallum in regnum restituit, cui & iuste post paucos annos mortuo, & cū ingenti gloria successit.

De Cicho Ordelapho.

Ingens quoque Cichi Ordelaphi Foroliuiensis fraternus amor fuit, erga fratrem suum Scampettam, qui captiuus in regis Roberti manu in Castricari arce custodiebatur, Forumliuij quoque vrbem idem rex obtinebat, quo tempore vinario vase latens Cichus, curru in vrbem bubul co rem ignorante deductus est, amicorumque ope adiutus, per hunc modum vrbe potitus, magno auri pondere fratrem redemit, atque ei statim vrbis principatum restituit. Quantum ei Pinus frater dissimilis fuit? qui salutis anno quadringentesimo septuagesimo sexto, post mille, Cicho fratre principatu deiecto causa fuit, vt Foroliuiensis res, in externorum manus peruenirent.

De fratribus Vitellijs.

Non minus memorāda, rarioráque etiam inter Vitellios fratres Ioannem, Camillum, Paulum, & Vitellosium, Nicolao Vitellio natos, in Tifernate vrbe primario viro, fraterna charitas fuit: nam patris primo, deinde eo mortuo, illi ex fratribus, qui inter eos natu maior erat, dicto semper audientes fuerunt. Nam & si inter eos, qui in Italia arma ferrent, exercitusq; ductarent, ob virtutis magnitudi nē insignes habebantur, magnisq; stipendijs conducebantur, tamen etiam ductis vxoribus, patrium nomē assecuti, ne minima quidē inter se ambitione laborarunt, neq; prorsus vlla amoris offensio cum eis interces sit, maioreq; natu inter ipsos moriente in ætate proximiori imperandi maiestas transferebatur. In cæteris nulla re inter se dispares erant, adeò vt inter fratres, par eis exemplum inueniri posse, diffidam.

DE CHARITATE ERGA PATRIAM Caput, VI.

CVm multi propter patriæ charitatē nō opes modo, verū vitā quoq; ipsam profuderint, eiusmodiq; hominū laudib⁹ fama nomēq; efferatur, Iure credendū est post deū

mortales hanc vnam habere, cui maiorem nauare operam debeant. Quod vt apertius ostendatur nonnulla de ea exempla ponemus.

De Lycurgo Lacedæmonio.

Lycurgus ordinandis scribendisque legibus, quibus Lacedæmonij viuerent, prefectus, cum eas diligenter scripsisset, populo ostendit sibi Delphos eundum esse rerum gratia ad eas leges pertinentium. Et ne interea dum abesset, inceptа iam per leges turbarentur, populum iureiurando adegit, se contra ipsas non iturum, quoad Delphis Lycurgus redijsset. Profectus igitur, cum responsum ab Apolline accepisset, leges ab ipso recte conditas esse, ne Lacedęmoné ipso redeunte populus sacramento se solutum arbitraretur, decreuit ante perpetuo à patria exulare, quàm redeundo salutem Lacedæmoniorum, quæ legibus illis constabat in discrimen adducere. Itaque monitis Lacedæmonijs quę responsa ab oraculo accepisset, sibiipsi ne in patriam rediret mortem consciuit. Maiori charitate patriam quàm vitam suam prosequutus.

De Ancharo Midæ regis Lydiorum filio.

Cum regnante Mida apud Phrygios ingenti hiatu terra apud vrbem Celænon patuisset, indeque vis aquarum, quę ingens eruperat & ædes & mortales permultos absorpsisset, monitus est Midas rex oraculo, Si in eum hiatum res admodum precioſa demitteretur humum in consuetam faciem reuersuram. Cum autem demissis in eum locum gęmis auroque ad pristinum statum terra non rediret, Ancharus Midæ filius, patriæ quam salutis suæ amantior, interpretatus oraculum in hanc sententiam. Quod vitę hominis conferri res nulla inter humanas posit, prius patré vxoremq; complexus, in eam voraginem, vt Calisthenes in historia tradit, equo insidens saltu se demisit.

De Spartio & Bulide Lacedæmonijs.

Cum Lacedęmonij Xerxis caduceatorem interemissent, grauique peste laborantes, ob eam cædem morbo illo se affectos arbitrarentur, existimarunt ipsorum maiorum se finem nunquàm habituros, nisi prius pro cæde violatoque iure gentium Xerxi satisfeciſſent. Itaque edixerunt, Si quis

pro

pro patria mori vellet, is ad Ephoros (ita eorum magistratum vocabant) se conferret. Spartius Bulidesque Lacedæmonij oblati se morituros in Persidem vsque ad Xerxem profecti sunt, & rem ordine narrantes propter quam ad ipsum iuerant, ad corrigendam caduceatoris cædem, violatúque ius gentium morituros se obtulerunt. Eam rem plurimum miratus Xerxes, non solum iniuriæ satisfactionem, cum vita dono eis dedit, verum ingentibus quoque promissis apud se eos retinere contendit. Cui vterque respondit in hæc verba: Quam rem arbitraris ó rex tanti apud nos esse posse, vt à patria nos separet, cuius gratia tam longum inter emensi vitam ipsam effundere voluimus.

De quodam Prænestino.

Cum iuniorem Marium ciuili bello Sylla superasset, in Prænestinos sæuire cœpit, & quò magis iram suã satiaret, interimi separatim singulos iubebat, ex quorum numero vnum tantum familiarem suum seruauerat. Demum mora & ram diù spectãdi fastidio affectus imperauit, vt vnà omnes interimerentur. Imperio audito, Prænestinus cuius vitæ parcebatur, cum iam desperaret alium seruari posse, quod ante in diuturnitate perpetrandi supplicij fore non diffidebat, ita incensus, ad Syllã se conuertit, dixitq; Nullo modo per eum viuere velle, qui ex toto patriæ suæ euersor esset: seq; in numerum morti destinatorum recepit.

De C. Mario Consule.

Syllæ facta mentio, secum C. Marij recordationem trahit. Ei cũ aduersus Cymbros prouincia esset designata, in somnis monitus est de hostibus victoriã reportaturum, si filiam Calphurniam sacrificasset. Id egisse eum Dorotheus Græcus libro tertio Italicarum rerum tradit, Cymbrorum quidem victorem euasisse, nulli qui eius gesta legerit dubium est.

De Erectæo.

Cum Erectæus graui bello cum Eumolpo contenderet, deorum responsis monitus est, victoria de hoste potiturum, si propriam filiam immolasset. Patriæ igitur charitate incẽsus, vxori Praxitheæ rem communicauit, perageque sacrificio victor euasit, se priusquã hoste superato,

paternum enim in filiam animum charitatis in patriã magnitudine vicit.

De Matre Cleomenis regis Spartani.

Fœdus cum Ptolemæo Aegyptio rege Cleomenes Spartanus rex, aduersus Antigonum Asiæ regem atque Acheos iniuerat, matrẽque ac filium mansuræ cum eo fidei, id est, ipsum sine eo pacem cum hoste non facturum obsides dederat. Cum autem mater eius resciuisset, Cleomeni pacem Acheos honestissimis cõditionibus offerre, scripsit, ne propter vetulæ corpus, eam pacem omitteret, quam patriæ honestam salutaremq; duceret. Maiore enim animo, quã pro fœminæ, captu, vitam pro patria obtulit.

De M. Bruto.

Persæpè æquè videtur graue acceptarum iniuriarum indignitati, ac ipsi vitæ cedere, idcirco prætereundum minimè videtur, M. Bruti facinus. Nam cũ Syllano bello, Pompeius Mutinæ Bruti patrẽ occidisset, & bello, quod postea inter Cæsarẽ Põpeiumque ortũ est, videret Brutus id Cæsarem eniti, vt patriã opprimeret, pluris patriæ, quàm suã fecit iniuriam. Itaque patriæ quod à Põpeio acceperat iniuriarum condonauit, atque in ipsius partes, quem nunquã ad id tempus alloquio dignatus erat, se contulit.

De Cassio Cherea Tribuno.

Patriæ Brutus iniurias suas condonauit, at Cassius Cherea vitam ipsam, cum neque inde præmium speraret, neq; iniurijs compulsus, aut vt alicui inseruiret, eum animum induisset. Sola enim in patriam charitas eum mouit, vt Caligulam qui eam crudelissimè dilacerabat, manu sua occideret, cuius rei nunquam adduci potuit vt pœniteret, & si ob eam rem ipse morte affectus fuit.

De Pub. Rutilio Romano.

Clare Rutilius quoque quanta ipsius in patriam charitas esset, ostendit. Nam cum exulem ipsum amicus moneret, parari ciuile bellum, vnde reditũ in patriam breui sperare posset. Respondit ei, Quibus te incommodis vnquam affeci, quod mihi maiori acerbitate reditum in patriam, quã inde profect⁹ sim, exoptarẽ, ostendis? Ciuiũ enim meorum quietem pluris quam reditum meum facio, maloq; vt exilij

exilij mei eos pudeat, quam vt propter reditum meũ patria desseat, O vere Romano homine dignũ verbũ, in quo priscorum exemplorum fine facto, ad recentiora transibimus.

RECENTIORA.

De Flauio Valerio Zenone Imperatore.

Cõstantinopolitanus Imperator Zeno, cum apud Chalcedonem bellũ gereret, vt accepit ab Verrina socru, fratrẽ Basilicum Imperatorem esse creatum, etsi permulti vt Cõstantinopolim rediret hortarentur, spe data armis in imperium rediturum (quia ea res permultis in vrbe molesta acciderat, sumpturos se pro eo arma pollicebantur) patriæ charitate motus, cuius quietem imperio potiorem ducebat, respondit: Nolle vt sui gratia inter ciues arma mouerentur, atque vt omnes suspicione liberaret, in Isauriam se recepit. Vnde haud multò post depulso Basilico, populus eum reuocauit, atque imperio restituit. Rarum profecto ex emplum & cuius memoria celebretur dignum, pluris patriæ quietem, quàm imperium facere, quod à multis etiam viris propositum fuit.

De Farinata Vberto equite Florentino.

Scipionis facto haud dissimile fuit, quod Farinata Vbertus eques Florentinus egit, qui vna cum cæteris Gibellinæ factionis, vrbis recuperata administratione, de firmando ciuitatis statu, in consilio erat: Missis ad fœderatas ciuitates legatis, quia imminere bellum putabatur, multi in eam sententiam ibant, vt deserta vrbe, quàm propter Guelfi no minis multitudinem diù se retenturos diffidebant, ciues omnes, qui tum in vrbe erant, in propinquas, eosdem maioresque etiam honores quam Florentiæ habituri migrarẽt. Surgens igitur Farinata magna voce, Se nunquam passurũ dixit: vt se præsente patria desereretur, pro qua vitam effundere paratus erat, atque in hęc verba consilium dimisit, plusquam se ipsum diligi à se patriam ostendens.

De quodam Sarraceno.

Non minoris faciendum est, vt quis pro patria certæ morti se offerat, quàm vt pro ea vitam sibi adimat. Quẽadmodum in Syria Sarracenus quidam egit: quo tempore Gotifredus Bolionus, ac comites eius, pro Christi fide

Syriam traiecerunt. In medio enim foro Tyri vrbis, principem Conradum Bonifacij Montisferrati Marchionis filium occidit, statimque ipse quoque eodem in loco occisus est. Nam cum videret ob singularem Conradi virtutem, magna Sarracenis inferri dãna, voluit moriendo, patriæ ac gentis suæ legi, tanta virtute præditũ hostem adimere. In hoc Scęuolę Rom. tantò præferẽdus, quantò fœlicius rem quam susceperat, transegit.

De alio Sarraceno.

Alius quoque Sarracenus eodem studio compulsus, Eduardum Britannicum regem, qui Ptolemaide aduersus Christi hostes Christianis in præsidio erat, secretũ colloquium ab eo petens, occidere tentauit. Sed Eduardus audacia periculum discussit. Nam & si duo vulnera à Sarraceno accepit, ei tamen manus iniecit, vitam suam peremptο Sarraceno seruauit.

Item de alio.

Parentum quoque nostrorum ætate missus à Sulthano Sarracenus, vt sub prætextu ferendarum literarum, Iacobum Lusignanum Cypri regem confoderet, arbitratus se eum intermisse humerum gladio traiecit, captusq; atq; acerbissimis tormẽtis discruciatus, ingenti animo, quia id se patriæ præstitisse dicebat, vitam egit.

De quodam Mauro Bethicæ incola.

Parem erga patriã temporibus nostris charitatem, Maurus quidã in Bethica ostendit. Nã cum Ferdinandus & Elizabeth Castulonenses reges Malacham vrbem à Mauris in Bethica possessam obsiderent, fretus quidã Maurus eius regionis incola, se patriã eo bello liberaturum, si regem reginamq; bellum inferentes, interimere potuisset, finxit se cõditiones ferre, quibus finiri bellũ posset: atq; ita ad Hispanorũ castra venit. Qui dũ postea ad reges deduceretur, in tentorium ornatissimum, cuiusdam Hispani principis vocatus, cũ vxore cubantis, & audire quæ Maurus perferret cupientis, ornamentorum specie deceptus, regem & reginam putauit esse. Et veluti nouus Scæuola, in vtrunque impetu facto, quãquã vulneribus eos affecisset, tamẽ minis trorũ interuẽtu ꝓhibitus, ꝙ decreuerat explere nequiuit.

DE

De Fœliciano equite Pannonio.

Audax quoque animus atq; in patriam charitas singula ris fuit, Feliciani equitis Pannonij, cum indignatus, quod Pannoniæ regnum, ad exteram gẽtem, id est ad Carolum Robertum Martelli Galli filium peruenisset, Carolum regem, cum cõinge ac liberis occidere decreuit. Solenni igitur Paschę, die quo mos erat vt reges liberiq; eorũ vnà vescerentur, rege, vxoreq; Elizabetha, Poloniæ regis filia, vuineratis, cum Ludouicum Andreamq; eorũ filios petere vellet, ab ijs qui astabãt prohibitus occisusq;, feri animi ob patriæ charitatem cogitata explere nequiuit.

De Simone Vignoso & quibusdam aliis Genuensibus.

Finem facturus exemplis, quæ de ciuium in patriam charitate hactenus narratà fuerunt, vnum virorum Genuensium, quia communis patria, vnde nobiscum orti fuerunt, hoc poscit, annectere decreui: neq; enim aut publicanis, aut seruorum dominis, aut etiam equestris ordinis hominibus, de quibus Maximus Valerius scripsit cedere videtur sed potius illa longè anteire. In vrbe Genua, duce Ioanne Morta, cum instruere classem necesse esset, neque ad instruendam classem è publico pecunia vlla, in promptu esset, edictum propositum est: Si quis tunc priuatà pecunia, onus instruendæ classis subire vellet, intra breue tempus, ei pro impẽsa quæ facta foret, ciuitatem satisfacturam. Ea re moti nouem & viginti ciues, plebæi quorum primarius Simon Vignosus fuit, singuli singulas triremes, priuata pecunia instruxerũt. Cum autem postea per Cycladas nauigarent, in publicam expeditionem, propter quam instructæ fuerant, non amplius necessariæ, quia ea tempestate Chios insula à Græcis tenebatur, petere eam, atque in eius imperium redigere decreuerunt. Eo quoque tempore, in orientẽ Viennensis Delphinus tendebat, qui cum Genuensem classem Chiũ petere velle intelligeret, Simoni dena aureorum milia annua, & alijs triremium dominis, triginta milia semel tantum obtulit, ad resarciendam impensam, quam in classem fecerant, si ei, vt insulam illam peteret, permisissent. Quanquam omnibus ipsis integrũ esset, neq; enim amplius ciuitatis nomine classis tenebatur, conditionem quæ offerrebatur

batur accipere tamen propter patrię vtilitatem, Delphini postulata abnuerunt, & Chium profecti, ipsi insula vrbis Genuæ auspicio potiri sunt, salutis anno trecentesimo quadragesimo sexto supra mille, atq; insulæ prouentus sibi, ad inpensam quam fecerant resarciendam retinuerunt.

DE PARENTVM INDVLGENTIA erga liberos. Cap. VII.

De Catone Seniore.

POst patrię charitatem quædam aliæ amoris species earumq; exempla subiungenda sunt. Itaque à parentū in filios charitate, quæ amori qui patriæ debetur proximior est, inchoabimus, Catonemq; seniorem in hac re principē citabimus, cuius nunquam tantæ neq; tam multæ fuerunt occupationes, vt cum recens natus Cato filius lauādus esset, omnia nō relinqueret, vt ipse lotioni semper interesset. Cui postea quam ętas ad discendū idonea fuit, nunquā aliū quam se magistrū dare voluit, & cū ab amicis monere tur, vt eā curā alicui erudito seruo traderet, respōdit, Ferre se nō posse, vt seruum inspiceret filio aures diuellicantem. Cū præterea illud quoq; spectaret, ne cuiquā seruo filius literariam institutionem deberet. Qua cura si nūc multi vterētur, quam stultè aucupio & venationibus intenti, in anes aut canes cōferunt, non tam sæpe contingeret, vt ex generosa arbore, pro pruno arbutei fœtus legerentur.

De Matre Antistiæ Cn. Pompeij vxoris.

Catone feruidiorem se in Antistia amanda mater ostendit: nam cum vidisset à Pompeio repudiatam filiam, & pro ea Aemiliam ipsum duxisse, manu sua sibi mortem consciuit.

De Blauo ac filio.

Blauus filiusq; à triumuiris proscripti fuerunt, itaque cum abire in Siciliam decreuissent, ad maritimam vrbis partem, seorsum profecti sunt, vt minus suspecta eorum profectio haberetur. Cum autem falso pater filium qui antecesserat accepisset in triumuirorum milites incidisse, & ab eis cęsum fuisse, ad ipsos milites vltro se contulit, atq; ab eis vt interficeretur impetrauit.

De Arantij coniuge.

Pro-

Proscriptus & ipse à triumuiris Arantius, cum petere Siciliam constituisset, vxoris suasu filium ipsum quoque proscriptum præmisit, qui cum nauem conscendisset, atque aduersa tempestate actus, neque procedere posset, neq; retro ad terram reuerti, ita eum fato vrgente, fame consumptus est, quod cum mater intellexisset, magis eam premente dolore, quia eius consilij ipsa auctrix fuerat, haud multò post ipsam interemit.

De Gordiano seniore Imp.

Gordianus senior Aphricæ proconsul, à Pœnis, atque ex itu aduersus Maximinorum crudelitatem imperator creatus, cum filium, eodem quo ipse nomine, contra Capellianum Maximinorum ducem misisset, accepissetque vi dum eum atq; cæsum fuisse, præ mœroris magnitudine, etiam se in cubiculo suspendit.

De Ptolemæo primo Aegypti rege.

Perlæpè perspecti sunt principes reges q; propter affecta principatus ac regni suspicionem filiorum morte non abstinuisse, hoc agit, vt tanto magis mirum videatur, Ptolemæum primum Aegypti regem, cum adhuc prospera valetudine vteretur, non solum regno cessisse minori natu filio, verum tanquam cum eo stipendia faceret, inter vigiles eius fuisse, maiori affectus gaudio quod regis pater, quàm quod ipse rex esset. Ab hac ingenti in filios charitate, quoniam insignia exempla iam desunt, ad patris in filios sæuitatem, quæ rigidiora sunt exempla, transeamus.

DE PARENTVM SAEVERITATE *in filios.* Cap. VIII.

De Pausaniæ matre.

CVm Pausanias Lacedæmonius, cum Persis aduersus patriam conspirasset, atque ad vrbem ab Ephoris reuocatus animaduertisset, illud agi vt comprehenderetur, in Palladis asylum confugit. Vnde cum religio esset, vi eum deducere, decreuerunt Ephori in eo inclusum ad mortem fame compellere. Quod eius mater cum intellixisset, ipsa esse voluit, quæ ante alios ad obstruendas templi fores materiam perferret. Hac enim sæueritate in filium pro patria, vti voluit: quanquam vnicum illum haberet, & is præter

præter multas virtutes quibus ornatus erat, multas quoq; insignes victorias peperisset.

De Damatria Spartana.

Non minus sæuera erga filium Damatria Spartana fuit, quæ cum accepisset eum vili atq; ignauo animo esse domũ reuersum, manu sua occidit, ac Græcis versibus sepulchro inscripsit.

Hunc timidum mater Damatrion ipsa peremit.
Nec dignum matre, nec Lacedæmonio.

De alia Lacedæmonia fœmina.

Alia erga filium similiter sæuerissima fuit Spartana fœmina, quæ ex prælio redeuntem filium, cum interrogasset, Quo in statu res patriæ versarentur? & is, Mortuos omnes respondisset: arreptam tegulam, in filij caput ita impegit, vt eo vulnere moreretur, dixit enim, Ergo te solum ad rem sæuam tristemq; nuncium miserunt?

De Talantia Spartana matre Pedareti.

Cum Spartam venissent Chij quidam exules, apud Ephoros Pedaretum gubernatorem accusantes, id vt mater eius Talantia intellexit, Chios ipsos ad se vocauit, diligenterq; audita eorũ querimonia, cũ haud iniustè queri arbitraretur: ipsa de filio statuere voluit, ad quẽ literas in hęc verba scripsit. Aut te melius in Chij administratiõe gerito, aut istic perpetuò maneto, neq; domũ redeas, quod si Spartam redieris, non est quod vltra te victurum speres.

De Tigrane rege Armeniæ.

A fœminarum seueris exemplis, iam res poscit, vt ad viros in eo genere transeamus. Tigranẽ igitur ponemus Armeniorum regem, qui in venatione collapso equo, cum humi iaceret, præsentesq; duo eius filij essent, maiorem natu, quia parentem nõ iuuit, & mortuum arbitratus, eius diadema capiti suo composuit, statim vt à casu surrexit interimi iussit. Regnumq; minori natu filio tradidit, quia & patrem iuuit & ex casu dolorem se accepisse ostendit.

De Mithridate rege Ponti.

Tigranis mentio Mithridatis qui in Ponto regnauit, memoriam secum trahit: etenim ei socer fuit. Is cum aduersus Bosphoranos & Colchos, qui ab eo rebellauerant, exercitum

tum duceret, Colchi se imperata facturos ostenderunt, si eis Mithridatem filium principem dedisset. In ea re cũ eis morem gessisset, positis armis Colchi pacatos se præbuerunt. Cæterum haud multò post, is filium Mithridatẽ sub aliarum rerum prætextu vocatum ad se, quia eius opera defeciſſe Bosphoranos & Colchos putabat, cathenis aureis vinxit, & postremò mori coẽgit.

De rege Bysaltidis in Thracia.

Cum aduersus Græcos innumerabilem exercitum Xerxes duceret, Bysaltidum populorum, qui in Thracia sunt Rex, cum nullo modo adduci posset, vt eius imperata faceret, aut cum eo aduersus Græcos militare vellet, intra montes in loca difficillima se recepit, quibus nisi longo tempore pelli non posset: his qui in regno remanserant imperauit, ne aduersus Græcos militiam inirent: sed filij spreto paterno imperio, Xerxem secuti sunt, itaq; cum postea finito bello, sex ex eis domum reuersi, nihil ob eam rem impendere sibi à rege periculi putarent, ipse ob spretum imperiũ ira successus, omnibus seuere erui oculos iussit.

De Mathone Carthaginensi.

Carthaginenses detestandum patriæ morem secuti (conueuerant enim ducum suorum culpæ ascribere, quæ aduersa fortuna contigisset) Mathonem cum toto exercitu exitio mulctarant: quia peste magna ex parte consumpto exercitu in Sicilia atque Sardinia victus fuerat. Hi autem in deperationem versi, naues conscenderunt & Carthaginem profecti, male de se merentem patriam obsidere cœperunt. Contigit vt eò iter faceret Carthalo sacerdos Mathonis filius, qui Tyro sacrorum causa reuertebatur, is à patre vocatus, subsistere neglexit, sed recta Carthaginem retendit, id vt debebat, religione motus patienter Matho tulit. Sed non multo post, Carthaginensium permissu, Carthalo sacerdotali veste amictus, atque corona ornatus in castra ad videndum parentem venit, indignatus Matho tanto ornamento, cum ante filium corripuisset, quod in tam superbo habitu, ad miserum parentẽ cõciuesq; exules veniisset: quippe qui ita eorum casibus insultare videbatur, in altissimam crucem sublatum, mori coegit.

DE

De Saulo primo Iudæorum rege.

Cum Saul primus Iudæorum rex, prælio Paleſtinos inſequeretur, qui Ionathę filij virtute in fugam conuerſi erant, edicto prohibuit. Ne quis in exercitu cibo vſq; ad noctem veſceretur, vt ſine intermiſsione omnes dum territi eſsent hoſtes perſequerentur. Cum autem Ionathas valde defeſsus, forte oblatum ſibi fauum mellis inueniſset, paruamq; ex eo partem ſumpſiſſet, id Saul vt ſortibus reſcijt, Ionatham comprehenſum morte affecturus erat, niſi orto tumultu, Iudęi eum è patris manibus eripuiſsent.

De Herode Antipa Iudæorum rege.

Longè crudelior, non modo magis ſeuerus Herodes primus fuit Iudæorum rex, qui falſis ſuſpitionibus criminatos, Ariſtobolum atque Alexandrum filios crudeliter in carcere enecari iuſsit, vt ob eam rem, non immerito Auguſtus diceret: Malle ſe Herodis porcum quàm filium eſse. Nam propter Iudęorum legem, ſue non veſcebatur, filios autem crudeliter occiderat.

RECENTIORA.

De Lenogildo Gothorum rege in Hiſpania.

Lenogildus Gothorum rex, in Hiſpania Arriana hæreſi laborabat, eamq; veram fidem eſse rebatur. Cum autem ſciuiſset Hermogildum filium ex Arriano catholicum effectum, idq; ex vxoris Nigegundæ Childerici Gallorum regis ſororis, item Leandri Hiſpalenſis epiſcopi ſuaſu egiſſe, arbitratus eum vehementer erraſse, cum ſeuerè fidem ſuam tueri vellet, crudeliſsima morte affecit.

De Clothario Gallorum rege.

Seuerus in filium fuit Lenogildus, ſed Clotharius Gallorum rex ſæuiſsimus habitus eſt. Nam cum Vaſconibus Aquitanisq; Cranium filium præfeciſſet, & is iuuentæ feruido ingenio actus, neq; amicorum monita audiret, & patris poteſtatem atq; imperium aſpernaretur, & ob eam rē palam ab eo rebellaſſet, Clotharius pater aduerſus eum cū ingenti exercitu profectus, cedere vſq; in Morinos Venetosq;, ſiue vt præſentia nomina ſunt, in Britones filium coegit: illic demū victus captusq;, & vnà vxor ac liberi eius ſtati Clotharij iuſſu ſimul colligati, in paſtorali caſa, viui, ſpectante

spectante patre, combusti sunt. Cum eum neque paterna charitas, neque innocentium tenera ætas, quæ permultum tangere auorum corda solet, vlla in parte commoueret.

De Hirene Augusta Imperat.

Hirene quoque Augusta Constantinopoli nimis seuerè acceptam à Constantino filio iniuriam vlta est. Nam cum ei filius ab administratione imperij deiecisset, in qua post Leonis quarti viri sui mortem, simul cum filio perseueraue rat, contigit, vt postea filius, cum male rempublicam gereret, à populo in vincula conijceretur, & Hirene mater imperio restitueretur. Itaque carcere manenti mater effodi oculos iussit, vbi præ dolore is haud diu superuixit. Hinc quæ sit fœminæ ambitionis impetus intelligi potest, cum matrem eius oblitam pietatis quam ei natura erga liberos indidit, in vnicum filium, vt tã crudeliter sæuirer, impulit.

De Deutera Gallorum regina.

Quantò fragiliorem natura muliebrem sexum fecisse, quàm virorũ, tanto plus etiã alia parte suspicionis ei iniecisse videtur, atque impetus, vt vel minima quæque vlcisci cupiat, & minus etiã ad cohibendã iram fræno vti valeat. Id ante in Hirene perspectum, apertius etiam hic in Deutera regina ostendetur. Hæc vidua cum esset, Theodeberto Gallorum regi nupsit, secumque formosissimam ex primo viro susceptam filiam duxit. Suspicata Theodebertum, ad hanc animum adiecisse, nulla adhibita cura, vt certior esse posset, interimi puellam iussit, leuissimæq; suspicioni, qui tam potens esse consueuit, maternus amor, cessit.

De Friderico secundo Imperatore.

Nonne immanis illa quoque sæueritas fuit, qua Fridericus secundus Imperator, erga filium Henricum vsus est? Nam enim in carcere peremit, suspicatus sentire cum Gregorio Pontifice, quo cum Fridericus ipse bellum non sine magna odij acerbitate gerebat.

De Carolo Caluo Gallorum rege atque Imperatore.

Carolus Caluus Gallorum rex atque Imperator, lumiribus filium Carlonem priuauit, quia iam ad Diaconatum promotus, abijcere ordines sacros, atque rebellionem spectare videbatur.

De rege Bulgarorum.

Iustior ea fuit seueritas, qua in filium vsus est quidã Bulgarorum rex. Hæc autem gens est Scythica, quæ cum Constantino fœdere inito, vtrasq; Danubij ripas insedit, nam rex sacris Christianæ legis initiatus, relicto regno ei ex filijs qui natu maior erat, in monasterium se cõdidit, vbi austerè viuendo Deo inseruiebat. Sed post aliquot tempus, cũ præter alia quæ in regni administratione perperam filius agebat, intellexisset, eum ad pristinam decreuisse gentilitatem redire, abiecto religioso cultu, arma resumpsit, filiumque regno oculisque simul priuauit. Et cum postea minori natu filio, in quo plus obsequij cernebatur, regnum dedisset, ad monasterium, vnde discesserat, reuersus est.

De Vssuncassano Persidis atque Armeniæ rege.

Quid satis etiam dici poterit de seueritate, sed quod dixi parũ est: potius enim de sæuitia dicere debemus, qua Vssuncassanus Persidis ac Armeniæ rex, erga Masubeum filiũ vsus est? Eum enim, secum semper in vinculis duxit, atque ad extremum mori coëgit: quia cum matre ipsius Gurlumonech qui ab eo descisuerat sensisse dicebatur. Nónne iure fatebimur, in regibus ambitionis eas esse vires, vt irritata omnes humanos vincat affectus? Illud quoque haud falso dicetur, Vere miseros esse eos parentes, qui suorum morte supplicioque regna stabilire quæsiuerunt. Pariter etiam sceleratos esse filios, qui violata parentali pietate vel leuitate, ambitione, aut quod etiam sæpius contigit, malis suasoribus, in eam retrahi sententiã se permittunt, vt vel sola cogitatione, in parentes peccare velint.

De Antonio Veniero Veneto duce.

Nónne seuerus, aut potius immanis Antonius quoque Venierus Venetus dux aduersus Ludouicum filium fuit? cum eum in carcere ad mortem adegit, quia amicæ indignatus, noctu, mariti eius valuis, multa cornua affixit: verè sæuisse dici potest. Sed aliquantò iustius, quam id quod de Persarum rege dictum est: illata enim in aliũ iniuria per iustitiam castigari poscit: quã autem tu accepisti: cuius est penes te vlciscendi potestas, per clementiam vbi velis, fine iusta alterius querimonia, eam temperare potes.

De

De Comite Fois.

Quàm durus immanisque comes Fois (loci enim Gallici nomẽ est) erga vnicum filium Vasconem nomine fuit? nam cum ei dotalem pecuniam, Celtiberorum (qui nunc Nauarieũ.)dicuntur, rex, vxoris frater deberet, sororque ad eam repetendam profecta nihil profeciſſet verita ad virum propter eius iracundiam redire, ſe apud fratrem continebat: filio qui ad eam viſendam, à patris domo profectus erat, rex, dum eum dimittit, poſteaquam de comitis ingenio quædam locutus: inique ipſum aduerſus coniugem puerum ipſius marrem agere dixit: puluerem in paruo folle dedit, oſtendens ſi ea pater veſceretur, fore vt vxorem diligeret. Ita fore puer arbitratus, ab illegitimo fratre, quo cum de ea re verba fecerat, apud patrem accuſatus eſt, & pulueri venenum ineſſe experimento cognitum fuit. Quãobrem, in vincula à patre coniectus, morti damnabatur, niſi populi re intellecta, ad principem conueniſſent, veniãque ætati, in qua dolus non erat, impetraſſent. Cæterum durus pater, contumelioſo nomine, proditionem filio ſem per exprobrans, turpi ſupplicio affecturum ſe eum comminabatur, atque in tetro carcere macerare pergebat, qua immanitate filius in deſperationem coniectus, cum morte finire contumeliæ dolorem ſtatuiſſet, obſtinato animo, omni cibo abſtinebat: à qua ſententia, vt deduceretur, molliorem ſe in eum pater oſtendẽs, quia blandiendo non proficiebat, verberibus eum affecit: ſed filius in ſententia perſtans, interijt: cum in Gallia Carolus ſextus regnaret.

De Simone Vignoſo Genuenſi.

Seuerus quoq; erga filium Simon Vignoſus fuit, cũ ingentis Genuenſium claſsis præfectus, in Oriente Chiũ inſulam Genuenſium imperio ſubegit, eo tempore edixiſſet, Ne quis ex ſocijs naualibus, vineam aut hortum accolarũ eius inſulæ peteret pœnãq; virgarũ edicto non parentibus, propoſuiſſet. Franciſcum filium, quem quidam Chij cũ non noſſent, in vinea deprehenſum, ad præfectũ ipſum deduxerant: virgis iuxta edictũ nulla in parte ſeueritate remiſſa, Simon cedi iuſsit. O ſeueram, cæterũ laude tamen dignam hominis iuſtitiã, quàm tẽporibus noſtris inoleuiſti?

quis enim sit, qui in eiusmodi re, etiam seruum nedum filium excusatum non velit? sed iam ab hac dura seueritate, de parentibus, qui in filios se moderatè gesserunt scribamus,

DE PARENTVM IN SVSPECTOS *filios moderatione.*

Cap. IX.

De Dario ciue Romano.

DArius ciuis Romanus, etsi filium in manifesto crimine, positarum vitæ suæ insidiarum deprehenderat, ob eam rem tamen, ei statim iratus non est, sed quanquam eo tempore, parenti in filium, quæ vellet statuere fas esset, Augustum atque alios amicos in consilium adhibuit. Qui cũ damnarent omnes filium, vt eum quem palam erat deliquisse, ipse filio, quanquam is patris, id est, eius cuius ipse erat sanguis rationem non habuerat, ignoscere voluit, Masq́ filiamq́ue relegare satis habuit.

De Dauide Iudæorum rege.

Moderatior quoque Dauid rex erga Absalonem filium fuit, nam non contentus Absalon Ammonem fratrem per proditionem occidisse, à patre rebellasse, eum regno deiecisse, vt magis iura paternæ pietatis à se neglecta ostenderet, palam paternis concubinis abusus est. Dauid enim pater, cum in eum exercitum educeret, plus paternæ charitatis, quàm acceptarum à filio iniuriarum memor, enixè ab omnibus militibus petebat, ne in Absalonem filium sæuirent, & cum is cæsus in prælio esset, eiulans inde Dauid, eum amarè luxit.

RECENTIORA.

De Fulcone Andegauensi comite.

Non minus se mitem erga filiũ Gaufredum. Fulco Andegauensis Comes præbuit. Nam posteaquam viuens Comitatus honorem ei tradidit, armis postea laboreq́ue magno quia acerbè populis imperabat, honore deiecit, in quẽ haud multò post eũ restituit: quia filius agnita culpa ad patrem venit, iumentariaq́ue sella in tergum recepta, patris pedibus obuolutus veniam petijt. Quem cum pater pedeter calcasset, improperans, tandẽ victum esse: ei filius haud con-

consternato animo respondit: A te pater, fateor me victũ, quia cum pater sis, æquum est: cæterum cum alijs, omnibus longè aliter sentio: quibus verbis se magni animi virum, erga patrem humili corde verentem filium esse ostendit. Id quod patrem magnopere ad ignoscendum mouit.

De Carolo Magno Imperatore ac Gallorum rege.

Non minus se miti ingentiq; simul animo Carolus Magnus ostendit, neque tamen truciorem Fulcone se patrem esse, cum iam secundò Pipini filij spurij coniuratio, in eum detecta esset. Nihilo enim iratior, quia primo ignouisset, parentem se magis quàm regem ostendens. Quem alius fortasse capitali pœna mulctasset, ipse non vltrà in eum animaduertit, quàm vt profiteri monachalem religionem cogeret, quæ pœna eiusmodi fuit, vt eius pœnitere nunquã posset.

De Ludouico cognomine Pio Gallorum rege & Imperator.

Caroli Magni filius Ludouicus, patri in Galliarum regno imperioque successor, à Lothario filio, non minus quã pater à Pipino læsus est. Nam cum ab eo in carcere habitus esset, quem ipse pro paterna charitate imperij consortẽ fecerat, (id enim etiam grauius filij crimen reddidit) potea procerum opera, in honore restitutus, Lotharium in ijs regnis, quæ ante dederat, viuens confirmauit, à volente enim patre, cum honore ea accepit, quæ ipse per impietatẽ patare contenderat.

De Carolo septimo Gallorum rege.

Carolus septimus Gallorum rex, cum maiorem natu filium Ludouicum rebellem haberet (etenim paternis hostibus semper adhæserat) moriens tamen, quanquam minorem natu obsequentem haberet, regni successione non priuauit.

De Blanca Vicecomite Mediolanensi duce.

Blanca Vicecomes Mediolanensis dux, etsi à Galeatio filio ducatus administratione, post viri Frãcisci Sfortiæ mortem priuata, magnis quoq; alijs in rebus, graues ab eo iniurias tulerat, & alij eam filij vehementer reuererentur, tamen, cum Cremona vrbe dotali iure potiretur, quam si alijs liberis reliquisset, grauiter Galeatium vlcisci poterat,

in morte oblita Galeatij iniuriarum, ne inter filios discordiæ sererentur, testamento, vrbis prouentus equis partibus inter liberos diuisis, Galeatio, vtpote maiori natu, vrbis imperium reliquit. Nunc cum de moderatione erga filios scriptum sit, de ijs qui æquo animo filiorum mortes tulerunt, iam aliqua tradamus.

DE PARENTVM AEQVITATE ANIMI *in ferenda filiorum morte.* Cap. X.

De M. Crasso.

MArcus Crassus, cum filium quē vnum habebat, prælio cum Parthis inito, occisum esse, & ob id exercitū animo consternatum intelligeret, dissimulato dolore, qui altius tamen in corde ipsius insederat, quia senio confectus, alium procreandi, spem nullam habebat: ingenti animo, per totum agmen profectus, magna voce dicebat, Ne vnius militis iactura tantopere commouerentur. Verum fortiter dimicantes, & sui, & patriæ decoris meminissent, huius doloris vltione ipsi soli relicta.

De M. Bibulo Consule Romano.

Quanta patientia M. Bibulus Consul Romanus cæsorum simul duorum filiorū nunciū tulit? profectò longè fortius quā insolentiā importuni ipsius collegæ Iulij Cæsaris. Nam partim pudore, partim dolore quo collegæ iniurijs afficiebatur, toto consulatu domi mānsit, eo excepto die, quo de filiorum morte certior fuit factus, eo enim frequens in curia munus suum obiuit. Indignum profectò se ostendens esse, duobus acerbis illis casibus, quorum alterum ob patriæ charitatem, alterum propter propriam ipsius virtutem, humanis superatis affectibus, fortiter tulit.

De Tiberio Cæsare.

Tiberius Cæsar, magno animo magnoq; iudicio, in Drusi morte, quem vnum habebat filium putatus est. Nam cū haud magni momenti eum duceret, quippe qui pluris virtutem, quàm sanguinem faciebat, à funere eius, recta ad Curiam, ad publica munia obeunda, vt ante solebat, nullo doloris expresso signo perrexit.

De M. Antonio Philosopho Imperatore.

Marcus Antonius Philosoph⁹, mortuo filio, desecta post aurem

rem vomica, non modo dolorem ipse non ostendit, verum attonitos quoque medicos solatus, prohibuit, ne vlra quinque dies lugeretur, & si alij è more diutius lugebã tur. Neq; hoc funere tulit, vt ludi Iouiales intermitterẽtur.

De Dione Syracusano.

Dion quoque (quod longè maius est) sermonem cum amicis in cubiculo cœptum non intermisit, cum audito ingẽti strepitu, accepit filium de fenestris collapsum, mortuũ esse. Nã cũ mulieribus sepeliẽdi eius curã demandasset, ipse inceptũ sermonẽ cõtinuauit, nullo doloris edito signo.

De Dauide Iudæorum rege.

Maiore prudentia, quanquam nec patientia minore, David rex mortem tulit filij. Quem vnicè non ob id solum diligebat, quod filius erat, verumetiam quod ex Bersabe, quã singulariter amabat, eum susceperat. Is donec in ægritudine filium viuere sciuit, ieiunio lachrymisque operam dedit & sacco indutus, in cinere versabatur, à Deo petens, vt filium seruaretur. Mortuo autem filio, cum nemo id regi nũtiare auderet (quod ex his quæ viuente adhuc filio regem facisse viderant, conijciebant, ex morte eius præ mœrore decessurum) ipse ex his quæ gerebantur, atq; astantium vultu cum suspicaretur filiũ decessisse, eius rei certior fieri voluit. itaque intellecta eius morte, præter omnium opinionem, ab humo surgens, cineres excussit, regiamque vestem indutus, læto vultu vt epulæ afferrentur, imperauit. Quod cum omnes mirarentur, dixit: Donec spes superesse visa est, precibus humiliterq; agendo, vt filius superuiueret à Deo petere se non desciuisse: sed posteaquam intellexit, mortuũ esse, & se tantæ virtutis esse non duceret, vt precibus suis Deus illum suscitaret: orandi atque in squalore manendi iterum laborem putare. Et cum Deo collibitum esset, vt is moreretur, eius voluntati impiũ duceret conformare se nolle. Ad quod accedebat, quòd luctus qui mortuis nihil prodest, inter viuẽtes fastidiũ solũ parit. Hoc responso, quo prudẽtius aliud inuenire nõ potuisset, omnibus satisfecit.

De Muliere Spartana.

Doloris abstinentia in filiorum morte, quanquam in omni sexu laudem meretur, fortasse in viris, qui robustiores,

& doctrina ac seueritate magis confirmantur, minor in eo, de quo scriptum est æstimabatur, quã in Spartana muliere quoniam eius sexum, natura in contrarios affectus rapit. Hæc cum quinque liberos haberet, in eo prælio, quo haud longe ab vrbe decertabatur, venientem inde quendã rogauit, Quo in statu Lacedæmoniarum rerum summa versaretur? Respondente autẽ illo, Filios eius omnes interijsse: mulier ad eum, Malo tuo fato, hoc à te non petij, sed vt patria res se habeat rogaui: & cũ is postea subiunxisset, Omnia bene cedere: mulier, iam filiorum morte, non dolere dixit.

De alia Spartana.

Similiter alia Lacedæmonia mulier, vt intellexit in prelio filium esse cæsum, monuit, Vt quemadmodum habebat eũ sepelirent: quoniam pro eo alium ad prælium missura erat.

De Fœlicitate ciue Romana.

Quod de quinque liberis Spartana, id de septem Fœlicitas in vrbe Roma egit imperante Antonino Vero, cum crudeliter pro catholica fide, morte affici eos videret: neq; enim vel lachrymas misit vnquam, vel suspiria traxit, sed constanti animo hortabatur, vt fortiter eam mortem perferrent: & postea Xenophontis aut Anaxagoræ virtutem laudibus in immensum extollemus, quod mortuos liberos non luxerunt, cum hæc nullo doctrinæ genere, aut etiã sexus robore adiuta, septem, neque dum morti damnarẽtur, neque postea inter tormenta crudeli morte in eius conspectu affectos, & quæ si voluisset eripere eos morti, poterat: prorsus non fleuerit. Obsecro qui hæc lecturus es, tecum pietatem maternam cogita, atq; alia in parte, animo propone, tot taliumque filiorum corpora, in matris conspectu per carnifices dilaniari, cui proculdubio & sanguis & viscera, quotiens eos feriri videbat, conturbabantur: & ipsam superato naturali affectu, quo maiorem esse nullum puto posse, siccis oculis, ad ferenda tormenta, filios vt fortes essent hortari, & sponte tua miram ac rarissimam hanc rem fuisse iudicabis: quæ non laudibus solum efferri, verum etiam perpetuæ memoriæ commendari debeat: omnia enim gentilium exempla, virtutis magnitudine lõgè superauit.

De

De Blandina Lugdunensi.

His de quibus dictum est, Blandinæ Lugdunensis patientia similis fuit in morte filij, quem ad ferendam fortiter mortem, hortata est Lugduni, Imperante Antonino Vero. Neque verò diu morata est post filium, eandem ob causam, id est propter Catholicam fidem, ipsa quoque interempta fuit.

RECENTIORA.

De Lamba Auria Genuensi.

Lambas Auria Genuensis classis præfectus, dum in Adriatico sinu, cum Venetis confligeret, vbi magno eos prælio superauit, cum in medio prælij ardore, ei nunciatū esset, filium pugnando interfectum fuisse, nullo alio doloris edito signo, vt in certamine pergerent, & ad victoriam enitterentur, alios hortatus est: & quod ad filium pertineret, in mare eum proijcerent, quod nullo nobiliore sepulchro tumulari posset, quàm illic, vbi pro patria pugnans, parta à suis victoria, mortem oppetijsset.

De Homulo Iurisconsulto Neapolitani regni.

Pari patientia Homulus Iureconsultus, Neapolitani regni accola, Xenophontem imitatus, Romæ cum in palatio causam ageret, nunciata filij morte, neque voce neque vultu mutato, magna constantia peregit, quæ dicenda suscepe-rat. Postea ad clientes atque aduersarios conuersus orauit, vt æquo ferre animo vellent, dum vnam tantum horā, paterno affectui operam daret, atque his dictis, in cubiculum in ipso palatio secessit. Nec plusquam horam moratus, ad perficienda quæ supererant, reuersus est, nulla in parte ab eo mutatus, qui ante filij nuncium visus erat.

De Marzucco Pisano.

Marzuccus Pisanus Iureconsultus, & equestri dignitate insignis, relicto seculo, in fratrum minorum ordinem se recepit. In eius ordinis disciplina, plus ad parandam moderationem ac patientiam animi, quàm permulti philosophi lō gissimis studijs, profecit: vnde cum sciret, Farinatā filium, a Bentino Caprarienſi occisum fuisse, non solum filij funeri sine lachrymis interfuit, sed vt verius iniuriam se remisisse intelligeretur, Bentini filij percussoris manum deosculatus

latus est. Mirandum profectò patientiæ exemplum immensæque virtutis vis religionis cultu comparata, quã benè congrueret, vt facundum scriptorem nacta, quibus digna es laudibus efferreris, vt omnes in tui admirationem conuersi imitatores etiam esse vellent.

De Carolo octauo Gallorum rege.

In ea patientia, ad quam religio Marzuccum in filij morte deduxit, prudentia, quę à natura insita erat, Carolũ octauum Gallorum regem confirmauit, egitq;, vt in filij morte, quem vnicum & iam primum habebat, nequaquam animo perturbaretur, neque aut vestem mutaret, aut festos ludos omitteret. Nam filijs orbatus senatum ac populos suos terrere noluit, ne parata ad repetendum Neapolitanum regnũ arma refrigerarent. Grauissimis igitur verbis, lætoque vultu, Deo gratias egit, plus animi, quam antea ad obeundam expeditionem ostendit: naturali tantum prudentia adiutus, in eiusmodi re philosophos doctosq; permultos, quanquam adolescens iuuenis, atq; in regio solio constitutus, id quod pleroſque timidiores facit, longè superauit.

DE

DE PVDICITIA
LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

SCripturum de pudicitia, cui illa quoque virtus, quæ honestas dicitur cõiuncta est, vtraque muliebris sexus, singulare ornamentum eius recensere laudes oporteret, vt ex eo, quod sexum illum maximè venerabilem facit, homines bona intelligerẽt, eos manentia, qui huic virtuti operam darent. Sed de ea satius silere duxi, quàm parcè loqui. Quis est enim, qui paucis verbis exequi valeat, vel minimam eorum partem, quæ tantæ rei præconio debetur? Ad exempla igitur transibimus, ex quibus idipsum, quod nunc omittitur, facile proueniet, vt scilicet, pudicitiæ laudes, clarius per ea pateant, quàm si nunc longa oratione simul enarrare vellem.

De Alexandro Magno ac Thimoclea Thebana.

Captis ab Alexandro Thebis, atque eius vrbis præda exercitui cõcessa, quidam eius milites Thraces, Thimocleę nobilis fœminæ domum ingressi, bona omnia diripuerũt, ipsorum autem militum præfectus, ea nocte mulierem, ad augendum maiore iniuria eius cladem, vt secum miscerẽtur, coẽgit. Arbitratus autem ea re factam amicam, petijt, si conditum domi aurum haberet, ad quam rem, illa tantæ iniuriæ minimè obliterata memoria, respondit, In sicco puteo, auri vim magnam depositam esse. In eum auarus hostis, dũ diligẽter intueretur, sine vllo arbitro, ne alius in lucri partem veniret, Thimoclea pedibus sublatum in caput ad fundum putei deiecit, atque saxis illum obruit. Cum rem comites resciuissent, ac Thimocleam ad Alexandrum deduxissent, Alexander, vt rem sicut gesta erat, atque eius causam

sam intellexit, non modò pro homicidio in mulierem non animaduertit, sed restitutis etiam bonis, vna cum liberis (quia motam iusto dolore, arbitrabatur) insuper immunitate donauit.

De L. Luculło & Damone Peripolta Cheroneo.

Damon Peripolta, insigni forma adolescens, à Romano, qui Cheroneæ præerat, ardenter amabatur: à quo cũ persæpe in venerem inuitatus, minimè assentiri voluisset, certior factus præfectum velle, quia blandiendo non profeciſset, vim inferre, adhibitis secum aliquot adolescentibus, vt armis pudicitiam tuerentur, ora fuligine tincti, ne facile agnoscerentur, præfectum in foro sacrificantem obtruncarunt, atque peracta cæde vrbe excesserunt. Cheronęi ciues, Romanorum iram veriti, adolescentes illos morti damnarunt. Cum postea sub id tempus Consul Lucullus in Asiã tenderet, Cheroneæ eius rei gratia substitit, req; vt erat intellecta, adolescentes iudicauit (iustè ob turpem iniuriã motos) præfectum occidisse.

De Pausania Macedonico.

Illi de quibus est dictum, cædem patrarunt, vt pudicitiã tuerentur, qui autem sequentur armis vsi sunt, vt violatam pudicitiam vlciscerentur. Eorum autem apud nos primus Pausanias erit adolescens, in quo ætatis florem, egregia decoris species commendabat. Ei cum fœdè Attalus vim intulisset, atque primæ iniuriæ maiori alia addita, deductum in conuiuium, ijs qui cuperent abutendum permisisset: ipse autem pro eo scelere apud Philippum Macedoniæ regem questus, non modo remedium iniuriæ suæ nullum retulisset, sed cum risu dimissus contemptui haberetur, ira simul pudoreq́ue succensus, abiecta salutis ratione. Philippum occidit, eius sanguine, arbitratus, se stupri notam abstersisse.

De Cyane Syracusana virgine.

Non minus sæuè, Cyane quoque Syracusana virgo, violatam ab ebrio patre, pudicitiam vlta est. Etenim ex ea re, cum graui peste Syracusæ laborarent, oraculaq́ue responsisset, De scelerato sacrificandum esse; cum nemo intelligeret, ad quem ea res pertineret, Cyane, parentem capillis appre-

prehensum, ad aram traxit, illicq; manu sua eum pro victima mactauit, atque super occisi corpus, se quoque interemit.

De Medulina virgine Romana.

Medulina virgo Romana, in bacchanalibus ab ebrio pastore, obscuro in loco vim passa, vt stupri authorem agnosceret, digito eius annulum detraxit, quem aliquandiu seruauit, quoad maiuscula facta ex annuli signo patrem iniuriæ authorem cognouit. Itaque tunc denuò deprehensum ebrium, capite sertis, vt erat redimito, ad Iouis fulgurantis aram traxit, atque illic multis consperfum lachrymis, tanquam pudicitiæ suæ violatorem sacrificauit.

De Papyrio volucre.

Qua in parentem sæuitia vsa est Medulina, eandem Papyrius Volucer, erga liberos exercuit. Nam cum filiam Camillam, à Romano fratre grauidam esse factam inuenisset, misso ad filiam gladio, quo se perimeret, filio alterũ vt idem faceret, tradidit.

De Simeone & Leui fratribus.

Cum Iacob Patriarcha, secundum eorũ temporum morem, cum liberis in Cananeam propè vrbem Sichimam venisset: vbi tunc dies festus magno conuentu celebrabatur. Dina filia, quæ sola vt quædam necessaria coëmeret vrbem ingressa erat, quia & forma insigni perbenignoque ingenio erat, inuitæ Sichem filius Hemor, qui tunc Sichimæ regnabat, vim intulit. Quam rem cum Hemor resciuisset, vehementer indoluit, egressusque ad Iacob, Dinam filio vxorem desponderi petijt, cui rei Iacob assentiri veritus, neq; enim Hebræorum legem Hemor colebat, & propterea affinitatem cum eo iungere lege prohibebatur. Cum etiã propterillius vires apertè ei negare non auderet, ad deliberandum cum filijs tempus sumpsit. Eis igitur cum rem vt erat, aperuisset, Simeon & Leui, Dinæ ex eodem vtero fratres, iniuriam vlcisci decreuerunt. Itaque noctu arreptis armis, vnà cum magna seruorum manu Sichimæ muros trãsgressi, cum vino epulisque grauatos, arcto omnes somno dormire inuenissent, seruato muliebri sexu, in lecto regẽ, omnesque alios obtruncarunt.

De

De Absalone.

Absalon quoq; Amon fratrem crudeliter interemit, quia immodestè Thamar, communem sororem deperibat, eique vim intulerat. Illius enim morte, violatam in sorore pudicitiam vltus est, quod eadem matre secum nata erat.

De vndecim tribubus Israël.

Eadem seueritate vndecim tribus Israël, violatæ pudicitiæ, in Leuitæ cuiusdam vxore, iniuriam vindicarunt. Nam cum is iter faceret cum vxore, nox eum comprehendit, ita vt in vrbe Gabaa subsistere cogeretur: ea autem vna vrbium erat ex tribu Beniamin. Illic violata eius vxor, dolore pudoreque simul tanti dedecoris oppressa est, atque ea ipsa nocte vitam egit: vir autem corpus eius in duodecim diuisit partes, & ad singulas tribus, singulis missis partibus orauit, vt illatum dedecus vlciscerentur. Congregatæ vndecim Tribus ad Gabaonitas miserunt vt authores sceleris pœna afficerent, qui neglecta vndecim tribuum legatione, vltrò vndecim ipsis tribubus arma intulerunt, atque haud multo pòst manus cõseruerunt. Bis vndecim tribus, à Beniamitis acie superatæ, de suorum numero sex & triginta milia desiderarunt, & tamen tanta eos vlciscendæ cõtribulis suæ cupido accenderat, vt denuò maioribus viribus bellum repararent. Itaque cum in fugam Beniamitas vertissent, occidione eam totam tribum deleuerunt, cum nulli sexui, nulli ætati pepercissent, ita vt è sex & viginti milibus (ad quem numerum Beniamitæ ascendebant) soli sexcenti fuga salutem sibi pepererint. Direptam autẽ Gabaam vrbem postea succenderunt, decreto edito, Ne vndecim tribus, in posterum cum eorum aliquo qui ex acie effugerant, affinitatem iungerent. Hęc autem cum aduersus Gabaam egissent, arma in Galatidem transtulerunt, atque illic Iabitas peremerũt, quod iussi cum ipsis tribubus arma capere, recusarant. Morte dignos eos cẽsentes, qui violatam contribulis suæ pudicitiam neglexissent.

De Dimocle Adolescente Athenienſi.

Dimocles mira specie adolescens Athenienſis, cum eius amore Demetrius rex teneretur, nullo modo regis libidini morem gerere decreuerat. Contigit autem vt cum balnea

forte

ere ingressus esset, ad ea haud multò post Demetrius quoque veniret, illic à Demetrio nudus, vt erat apprehensa est, ab eius autem complexu diu luctatus, euasit. Cæterum cum tamen eius manus se diutius non euasurum cerneret, neque alia ad effugium spes relinqueretur, ingenti lauacro, in quo ad balnei vsum aquæ feruebant, operculũ detraxit, atque nudus in illud se demisit, eo facto quanti pudicitiã faceret testatus. Nam vt eam seruaret incolumem, feruenti dolio immergere se, atque in eo emori non recusauit.

De *Sophronia Romana.*

Sophronia Romana, matrona nobilitate insigni, quæ Maxentio imperante præfecti vxor erat, cum à Maxentio secum in Venerem sentiret, sollicitaretur, ita vt nisi vellet, Maxentio morem gereret, vim imminere facile appararet, viro omnem rem enarrauit. Cum præ formidine vim sceleri animaduerteret assentiri, auro gẽmisq; se quã impense potuit excoluit, & cum eam à Maxentio missi viri expectarent, ipsa vna tantum comitata ancilla, cubiculum illum ingressa est. Vbi posteaquam longiore oratione se Deo excusauit, si ante statutam diem vitam relinqueret, cultello sibi ipsi mortem consciuit: Lucretiæ Romanæ in eo anteferenda, quod ipsa ne vel corpus, vel animum, quæ duo insigni pudicitiæ candore fulgebant, labe aliqua inficeret, manum sibi iniecit. Illa vt læsum iam pudorem excuteret, sanguinem cum vita effundere voluit.

De *quadam Thebana virgine.*

Captis euersisq; à Nichatore Thebis, is in Thebanę virginis flãmas incidit, & muneris loco quod ab eo diligeretur, accepturam arbitratus. Tamen diu rogando nihil profecisset, virgo imminere vim verita, cum in partẽ secessisset, aliud à se agi velle fingẽs, mortẽ manu sua sibi cõsciuit.

De *quibusdam Spartanis virginibus*

Hoc idem quinquaginta quoque Spartanæ virgines fecerunt, Nam cum ad Messeniorum vrbem, sacrorum causa profectæ essent, sicuti ex fœdere promissum erat, Messenij iuuenes, in Venerem eas sollicitabant, quorum vim vt effugerent, incolumi pudicitiæ vitã postponentes, mortem oppetierunt.

De

De duabus Beotijs virginibus.

Insigne quoque pudicitiæ exemplũ illud fuit, quod duæ Leuctris, Scedaſo patre, in Beotia ortæ virgines ediderũt. Nam cum abſente patre, duos iuuenes, pro veteri hoſpitio domi excepiſſent, ab ijs vim paſſę, eodem ferro, die poſtera, ambæ concordes cum prima eo vſa, alteri eius vſum conceſſiſſet, ſe interemerunt. Hoc teſtimonio declarantes, & ſi corporibus vis illata erat, animos tamen culpæ inſontes manſiſſe.

De quibuſdam Antiochenis virginibus.

Imperante Diocletiano Auguſto, qui grauiter Chriſtianum nomen inſectabatur, mater cum duabus puellis comprehenſa, & plauſtro impoſita, Diocletiani iuſſu, Antiochiam, & illinc (quia Chriſtianæ ferebantur eſſe) ad proſtitutarum locum deducebantur, vt demum, niſi dijs, quibus princeps volebat ſacra peregiſſent, omnes occiderentur. Ipſæ verò cum neque pudicitiam violare, neque Chriſtiano nomini renunciare vellent, vt forte dum ducuntur, ad amnem quendam peruenerunt, petierunt vt plauſtro deſcendere liceret, quia naturæ neceſsitatibus ſatisfacere cogebãtur. Illic cum aliquantiſper à cuſtodibus ſeceſsiſſent, in caput demiſsæ, in amnem corpus aquis, & animam innoxię creatori Domino reddiderunt. Duæ quoque ex eodem loco, mari, ob eandem cauſam, cum Antiochiam deducerentur, è naui deſilientes, immerſæ ſunt.

De C. Iulio Cæſare.

A ſæuitia quam hactenus aut in ſeruanda aut in vlciſcenda pudicitia ſcripſimus, ad mitiorem vltionem, quæ tamen non minus inſignis eſt, tranſibimus, rerum ſimilitudine, magis quàm temporum ordine ſeruato. C. Iulius Cæſar, vxori repudium miſerat, quia domi eius P. Clodius, fœmineo habitu deprehenſus erat, & tamẽ poſtea citatus, vt aduerſus Clodium ob violatas Cereris ceremonias (quæ eius domi celebrabãtur) teſtimonium diceret: Negauit aliquid apud ſe de ea re compertum eſse: cũ autem peteretur, quãobrem vxorem dimiſiſset? reſpondit, Vxorem Cæſaris non crimine ſolum, verum etiam criminis ſuſpicione carere oportere.

De

De Augusto.

Augustus quoque, cuius post patrem haud immeritò fit mentio, nulla tanta cura filias neptesq; obseruare potuit, vt eas ab adulterio compesceret: & quanquam ab earum viris rogaretur, vt crimẽ condonaret, in insula Pandataria eas inclusit. Nullo eos vnquam alio dignatus nomine, quã vt vomicas & carcinomata appellaret, moriensque testamẽto prohibuit, eas sepulchro suo inferri, tanquam illarũ ossa piaculum corpori suo illatura essent.

De M. F. Valerio Constantino Max. Imperatore.

Adeò seuerus in vlciscenda suorum impudicitia Constãtinus fuit, quod apud se filium Crispum Spurium, iam virum, ac militari virtute multis experimentis insignem, à nouerca Fausta accusatum, tanquam eam stupri compellasset, statim fide accusationi habita, Polæ (quæ in Histria est) capite mulctari iussit. Cæterum post aliquot tempus, cum re detecta cognouisset, non à Crispo nouercam compellatam, sed à nouerca Crispum, & ab ea, non præstiti alienus dolore, accusatum, Faustam quoque capite mulctauit. In his enim quæ duo in humanis affectibus plurimum possunt, seueriss imum se ostendit.

De Hierone Syracusano.

Quàm seuerum se quoque in ijs quæ ad custodiendã pudicitiam pertinent, Hieron Syracusanus præstitit, qui Epicharmum comicum poëtam multauit, quod ipsius coniuge præsente, lasciuos versus recitauerat. Voluit enim, vt domi suæ, non cæteræ tantum corporis partes, ab impudicitia custodirentur, sed ne aures quidem immodestam rem vllam audirent.

De Martia Varronis filia.

Non minus custodiendæ pudicitiæ studiosam Martia quoque Varronis filia se ostendit, nam cum virginitatis cãpi illæsum seruaret, & sculpendi pingendique arte ingenuis haberetur, quia ea ætate imagines statuæque plerunque nudæ fingebantur, ipsa præ pudore, ne in viris pudibunda exprimeret, aut ob id imperfectum relinqueret, à singenda virili figura semper abstinuit.

De Eugenia Romana virgine.

Res penè tragica,nō quoad ſcelus quidem, ſed pro incōmodi atque perſecutionis magnitudine, videri poteſt, id quod Eugeniæ Romanæ virgini contigit. Nam Philippi proconſulis Alexandrini filia,cum à Commodo Imperatore,nimis ardenter diligeretur(neq; enim minus opibus quá forma excellebat) vim verita, quæ appropinquare videbatur,monachi habitum ac nomen mentita,profugit,in quo ſtatu cū ſub falſo nomine occulta maneret,Aemiliana Romana, quæ magno orta genere religionis gratia in Orientem profecta Alexandriæ morabatur, eam ardenter diligere cœpit,& cum æquè in conſuetudinem alium nullum admitteret,quia in viri habitu erat Eugenia,ob inuidiam, tanquam cum Aemiliana adulteraret, apud proconſulem accuſata, neceſsitate ita premente, proconſuli ſe & fœminam & filiam eius eſſe detexit, ſtatimque iudicio liberata, ad virgines tranſiuit.Sed poſtea quia in Chriſtianos perſecutio augebatur,ſub patris ſucceſsorib⁹, cū abnegare Chriſtum nollet, vt ei cui inſeruiebat placeret, occiſionis mala pertulit.Sed iam ad recentiora tranſeamus, quæ meo quidem iudicio,minus excellere non videntur.

RECENTIORA.

De Pithomena virgine Alexandrina.

Pudicitia quanquam præcipuo candore inſignis habeatur, minimè tamen ſeruilia quoque pectora incolere perhorreſcit, quippe quæ cupientem eam, neminem aſpernatur. Ita eſſe experimento docuit Pithomena Alexandrina virgo,quæ Romani ciuis ſerua, ab eo,& propter formā, & propter virtutem vehementer diligebatur. Eam cum diu promiſsis miniſq; fruſtra oppugnaſſet dominus, tandem amore in odium conuerſo, ad iudices eam, ceu Chriſtianā detulit. Cum autem propter hoc puella, de ſententia non moueretur,feruēti pice immerſa,hoc tormento vitam agere, quàm pudicitiam violare maluit. Pudicitiam profectò mirandam, quis enim facile credat,in ætatis flore, ſeruam, propoſita morte, & vt grauior eſſet, publicè inter grauiſsima tormenta(cum alia in parte libertas opesque ſi annueret oſtenderentur) omnibus reſiſtere? nedum vel parua in re aſſentiri velle? Quam multæ noſtrorum temporū virgi-

nes,

nes, prorsus erubescerent, si hæc descripta legerent legēdo penitare vellēt? quarum permultæ conspiciūtur quotidie, nō modo vbi vel periculum vel minæ immineant, obsistere nolle, sed vltro parētibus relictis, spreto familiarum in quibus ortæ sunt decore, acrius impudicitiā sequi, quā hæc, ne impudica esset, omnia quę in vita sunt formidolosa subire.

De Anastasia nobile fœmina Constantinopolitana.

Constanter Pithomena pudicitiam suam defendit: sed non minus indignabundam Anastasia se: ne suam macularet ostendit. Nam cum eam Theodora Augusta, suspicata à Iustiniano augusto viro suo diligi, acerbo verbo carpsisset: vt verò experimento declararet se ea in re Iustiniano non respondere Alexandriam profugit: atque illic inter sacras virgines latuit, vbi postea Theodoræ audita morte: et & se impensius quam antea à Iustiniano, Theodoræ iugo liberato, diligi audiret: verita ne tādem vis inferretur: eum declinauit amorem quem permultæ magno studio sequi voluissent. Itaque viriles amicta vestes ad extrema Aegypti deserta aufugit, vbi Anastasij tanquam vir esset, nomine sumpto, diu austerè ac sanctè vixit.

De Dugna Aquileiensi.

Cum Attila Hunnorum rex Aquileiam vrbem oppugnaret, Dugna in ea vrbe nobilitate atque pudicitia insignis, quæ Barbaros iam vrbem irrumpere videbat: quos acceperat in diripiendis vrbibus crudeliter, auareque rem gerere, neque à mulierum pudicitia iniuriam abstinere. Ne eā vim incurreret, cum domum in amnis ripa positam haberet, à fenestris in eum se præcipitem misit. Cæterum quoniam satis de his scriptum est, quæ ingenti seueritate pudicitiam tueri voluerunt, iam de illis scribamus qui acerbè violatum hunc pudorem vlti sunt.

De Iuliano Gotho Comite Septensi.

Cum Rodericus Gothorum postremus, qui in Hispania regnarunt, Iachabæ Iuliani comitis filiæ, quàm in aula pœnis reginam habebat, vim intulisset, puellæ pater adeò grauiter eam iniuriam tulit, vt clam in Africam trajiceret: quo tempore, in ea Abenialiber Miramamolinus, rerum potiebatur, quem vt in Hispaniam, ad delendam Gothorum

gentem, traijceret inuitauit. Is verò inuitatis consiliũ secutus, cum duce Muza copias ingentes in Hispaniam misisset, salutis anno septingentesimo quartodecimo, crudelius in Gothos Iulianus ipse, quàm Mauri desseuijt, omnibus in rebus filiæ pudicitia cui vis illata fuerat, semper commemorata.

De Ioanne Rata Casertæ comite.

Simili indignatione compulsus, Ioannes Rata Casertæ comes, postea quàm resciit violatam vxoris pudicitiam à Manfredo Siciliæ rege, iniuriã vltus est. Nam cum Carolus primus, à Pontif. Rom. Neapolitani Siciliæq; regnorũ iure inuestitus, Manfredo arma inferret, Ioan. Rata, Manfredi copiarum dux, quẽ Manfredus rem prorsus, quam cũ eius vxore habuerat, ignorare arbitrabatur, vt iniuriã vlciscereturnon solum ad hostes transiuit, verum, viam quoq; intra regni fines eis aperuit, cuius rei causa mortuus Manfredus, sceleris sui primum violata Ioannis coniuge, deinde quod tanta iniuria affecto, rem suã credidisset, pœnas quas debuit, luit.

De Nicolao Estensi Marchione Ferrariensi.

Non minus seuerus violatæ pudicitiæ vltor fuit, Nicolaus Estensis Ferrariensis Marchio: nam cum accepisset Hugonem filium suum, iuuenem forma virtuteque eximium, parum pudicè Parisinæ nouercæ, quæ gente Malatesta erat consuescere: ne temere in tanta re fidem habuisse videretur, noua arte operam dedit, vt rem ipse inspiceret. Itaque posteaquam ita certior factus est, vt iam non falli se credẽdo sciret, adeò pro tanto facinore excanduit, vt abiecto viri patrisque affectu (quo maximè mortales mouentur) cõiectos in vincula ambos, capite haud multò post, cum omnibus conscijs, mulctauerit.

De Ioanne Malatesta.

Minus in vxore impudica vltionẽ Ioannes Malatesta di stulit, quæ Franciscæ nomine, Polenta gẽte orta erat. Eam enim in cõplexu Pauli Malatestæ fratris sui deprehensam, gladio eo ipso momento, vna cum adultero transfixit.

De Ludouico Seneschallo Normandiæ.

Pari seueritate Ludouicus Normãdię Seneschallus (id in Gallia

Gallia honoris nomen est) vt accepit, cum Ioanne Lauer-
no, domus suæ gubernatore, Carolottam vxorem, eodem
lecto simul misceri, stricto gladio, locum ingressus, in
quo iacebant, primo impetu adulterum, deinde vxorem
occidit: nihil prorsus motus, quod illa communes comple-
xa liberos, inter lachrymas errori veniam peteret, nec quod
Ludouici vndecimi Gallorum regis soror esset: quoniã rex
ipse, qui frater erat, non minus quàm vir, ipse seuerè Caro-
lottæ pro crimine infensus, ne minimam quidem, pro eius
nece, offensionem se accepisse ostendit.

De Philippo Gallorum rege.

Philippus Gallorum rex cognomento Pulcher, non mi-
nus se in nurus suas seuerè, quàm Nicolaus Estensis, atque
alij, de quibus est dictum, in vxores gessit. Huic tres filij e-
rant, Ludouicus Nauarrensis rex, Carolus Marchię, & Phi
lippus Pictonum comites: maioris natu vxor fuit Marga-
rita Borboniẽsis ducis filia, secundi Blanca Burgundiæ co-
mite patre orta, cuius etiam filia fuit Ioanna, quæ postre-
mo filiorum nupserat. Cum igitur Philippus Pulcher, has
nurus pudicè agere, quàm regias, id est pudicas nurus æ-
quum erat, in custodia obseruari iussit, ac criminum dis-
quisitione habita, Pictonumque comitis vxore, crimine,
quia innocens erat, facto iudicio, liberata: alias duas perpe-
tuo carceri addixit, vt in eo misere vitam agerent, Philip-
pum autem atque Gualterum Andegauensis fratres, qui a-
dulteri erant, adempto ab eorum tergore corio, suspendit.

De Erkembaldo Brabanto.

Par facinus ad vlciscendam pudicitiam, & penè Mario
persimile Erkembaldus Brabantus, vir nobilitate insignis,
ac præpotens in Germania patrauit: qui cum graui valetu-
dine laboraret, & à cubiculo strepitum exaudiuisset, quo re
ferunt ædes videbantur, eius rei petijt causam, & cum tan-
dem accepisset, sororis suæ filiũ, vim cuidam domesticarũ
mulierum voluisse inferre, vehementer indignatus, mini-
stris imperauit, vt nepotem suspenderent, quod cum mini-
stri agere distulissent, dissimulauit dolorem, quoad iuuenis
arbitratus auunculum rei immemorem factum, cubiculo
cœpit obuersari. Itaque cõspectum, in cubiculum ad se vo

cauit, lætumq; se simulans, assidere sibi iuuenem coëgit, & altero brachio eũ cõplexus, altero gladiũ, quẽ habebat clã eduxit, ac iugulauit. In eo enim pudicitiæ respectus, ac studium affinitatis iura atque affecti corporis vires superauit.

De Bartholino Sistro Papiensi.

Muro sæpiebat ingentes fundos Galeacius Vicecomes, iuxta Papiensem arcẽ, vt eis ad venationem alere feras posset. Cum autem eo muro, possessiones Bartholini Sistri ciuis Papiensis, incommodè diuiderentur, Bartholinus cum Galeatio quæstus, & si optata non retulerat, tamẽ aliquot dies rem patienter tulit. Cæterum cum postea in dies damnum grauius appareret, quod diuisa possessio secum ferebat, ad Galeatium redijt, qui in Papiensi foro equo insidẽs, substiterat, cum autem speraret si publicè rem ei narrasset, fore vt ad respicienda damna quæ inferebat, magis moueretur, ei appropinquauit, ac modestè inter cætera dixit: Si hoc ipsum incommodo afficeret, quid tandem tot filiabus, quas iam nubiles habebat, agendum foret? perinique autem ferens Galeatius, huius querelis voluptarium locum impediri, iracundiæ plenus respondit: Si nesciret, quo alio eis modo consulere, illas ad prostitutarum cellas mitteret: quo pudicus ciuis exanduit, etenim parua nimis, vbi de pudicitia agebatur eius à principe ratio haberi videbatur. Itaque in furorem rabiemque versus, pugionem quem ferebat, strinxit, arbitratus Galeatij pectus se petere, in zonæ fibulam, gladij mucronem impegit, qui inde delapsus coxã perfodit. Quæ res, & si non multò post Bartholinus occisus fuit, satis tamen magno documento esse potest, agendi loquendiq; modestiam, quę in omnibus desideratur. Principes ita decere, vt in eos permulti, quod nullam ob aliam rem egissent, verborum atrocitate perciti sæuierint.

De Præfecto arcis Nucerinæ.

Quod nuper diximus, de necessaria in principibus agendi loquendique modestia, Nucerinæ quoque arcis præfectus, in Nicolao Bartholomæoque Trincijs Fulginatũ dominis quibus ipse seruiebat, ostendit. Nam animaduertisset Nicolaum sæpe Nuceriam venientem, vxori suæ vim intulisse, ad edendam venationem eum cum fratribus inui

tauit,

tauit, nocteq; proxima, cum labore defessi, graui somno ca pti essent, duos ipsorum fratrum in lecto peremit, atq; ad libertatem populum vocauit, verum cum Cõradus tertius frater, re intellecta Brachij (qui Perusię rerũ potiebatur) opem imploraſſet, atq; illuc aduolaſſet, præfectus ſpe diutius retinendæ arcis adempta, à turri vxorem præcipitauit, cui ipſe à Conradi militibus cõfoſſus haud diu ſuperuixit.

De Petro Temacoldo.

Pari crudelitate Socinum Viceſtarinum Reipublicæ Laudensis dominum vltus est Petrus Temacoldus, neque eum mouit, quod Socinus Ludouici Bauari Imperatoris vicarius ſe gereret, In carcere enim, pedore fameq; eum conficere nõ erubuit, quanquã à molendino ad honeſtã fortunam ab eo eſſet euectus. Sæuiendi autem in Socinũ ea fuit cauſa, quod eius propinquæ, quæ haud in magnis erat opibus, Socinus vicio intulerat. Ab hoc igitur initio, rẽ Laudẽſem inuaſit, cuius imperio vti, ſimulque in Viceſtarinã gentem ſæuire non deſtitit, quoad ipſe ab Actio Vicecomite, qui Mediolani rerum potiebatur laude pulſus fuit.

De Opicio Laudensi qui Vergusius dicebatur.

Actij auo Matthæo Vicecomiti, quia Galeacius eius filius, cum Placentinam præfecturam gereret, Blanchinæ vxoris Opicij Laudenſis, qui Vergusius cognominabatur pudicitiam viciare tentauerat. Opicius, non ſine ingenti omnium Matthæi rerum periculo, aduerſam factionem ſecutus, vrbẽ Placentiã ademit, diuq; ea potitus eſt, adeò acerbè talite eũ quẽ amicũ putabat, vxori vicium inferre voluiſſe.

De Raimundo Assa Græco.

Temporibus quoque noſtris, Neapoli Friderico Aragonio regnante, Raimundus Aſſa, in Græcia nobili ortus genere, & ſi patria Turcarum armis pulſus, graui rerum inopia laborabat, quantum violatus pudicitiæ decor eum mouiſſet, oſtendit. Nam publicè in regio cubiculo, Bernardinũ Sanſeuerinum Biſignani principem, apud quem viuebat, ſubito gladio inuaſit, duoque aduerſo eius pectori vulnera infixit, quod is ſorori, quæ apud eum alebatur, vim intulerat. Cuius rei cũ ad ſuppliciũ duceretur, nulla vnquã ductꝰ eſt pœnitẽtia. Quin affirmauit cum principi familiaritate

coniunctus esset, tuto vlciscendæ iniuriæ magnas occasiones habuisse, sed eis vsum non esse, quia nobilitati insigni viro, occulta vltio sordida foret: & propterea palàm vlcisci hanc grauem iniuriam quam acceperat, coram rege voluisse, neque iam cum id egisset, acerbam sibi mortẽ putare.

De Siculis.

Quanquam exempla de quibus diximus, satis palàm faciant, nullis alijs incommodis, æquè ad rebellionem populos impelli, quàm vbi apud eos, per reges ac principes aut eorum magistratus, ac milites pudicitia violatur, idq; testatum reliquerit populus Romanus qui Tarquinij superbum dominatum, se ægrè ferre non ostendit, nisi posteaquam Lucretię vitium oblatum fuit, neque decemuirorum tyrannidem exuere prius cogitauit, quàm Appius Claudius, Virginij filiam violare tentauit. Hoc tamen apertius etiam declaratur, Siculorum præsenti exemplo. Gallorum enim sæua libidine, quam in Siculas mulieres effræni exercebant perciti Siculi, in vnum conuenêre, vt ad campanarũ pulsum, quibus decantandas esse vespertinas orationes significari solet, per omnẽ Siciliam, Gallos quicunque in ea erant obtruncarent. Tanta edita in eos ſeuitia, vt matrum vtero vi diuulsos liberos, humi alliderent, duabusque horis constat eo tẽpore, octo Gallorum milia occisa fuisse. Regni illius possessione Carolo primo adempta, in cuius locum Petrum Aragonium regem, Siculi ad se vocarunt.

De Francisca Manfreda.

Audax quoque proculdubiò Franciscæ Bentiuolæ facinus, ob pudicitiæ studium temporibus nostris fuit. Nam cum duos adhibuisset, qui Galeotum Manfredum virum suum principem Frauentinum necarent, intuita eum magnis viribus salutem defendere, stricto pugione, quo ipsa erat accincta, manu sua eũ virili magis quam fœmineo animo, à duobus adiuta interemit: ad quod facinus eam læsæ pudicitiæ desperatio compulit. Nã in vrbe Fauentia, affirmabatur Galeotum, antequam ipsa ei nuberet cum Fauentina ciue matrimonium contraxisse, & re occultata, honestiores posteà nuptias cum ipsa secutum. Quos rumores, cum Galeotus nullo modo reprimeret, suspicionem rei

veræ

tæ videbatur relinquere.

De quadam fœmina Esensi.

Haud dubiũ est, quod in Esa, quæ in terræ nouæ comitatu, non longè à Nicæa est in Narbonensi prouincia, mulier quædam patrauit, noctu enim dormiẽti viro, genitales, partes abscidit, factum excusans, quid ipsa viro fidem præstare, ipsi quoque æquum esset, eandem à viro seruari, & quia coniugalem fidem violarat, plecti debere ea corporis parte, qua peccauerat arbitrabatur.

De Francisco Gonzaga.

Non minus etiã seuerus vlciscendæ pudicitiæ vltor Frãciscus Gonzaga fuit, cum coniugi Agneti, Barnabouis Vicecomitis filiæ, qui Mediolani rerum potiebatur, caput admisisset, quia eam manifestè in adulterio deprehẽderat.

De Rudolfo Gonzaga.

Rudolfus quoq; Gonzaga, Friderici Mantuani Marchionis frater, cum esset in castris, vxorẽ parũ pudicè agere certior factus est, itaq; inde profectus, ad ea loca, in quibus vxor cũ adultero erat, ambos manu sua occidit, cũ ante vxoris faciẽ adulteri sanguine respersisset, nõ sine graui verborũ contumelia, nulla quod nobilissima gẽte orta esset habita ratione. Quanquã autem & Italorũ & Gallorũ principum nobiliũq; hominũ, in hanc materiã permulta occurrant exempla, vnũ tamen tantũ, in quo sæuitia incredibilis fuit, adhuc ponere contenti erimus, vt iã finis rei permissæ fiat. Nã cum persæpe nimiũ suspicioſi uiri, & in quibus natura iracunda est terminos castigando transgrediantur, & grauius quàm pro peccati magnitudine ad mulctã rapiantur, huiusmodi hominũ facta, ad feritatẽ magis, quã ad vllius laudandæ rei decorem accedere iudicari debent.

De Tisone de Campo sancti Petri.

Quo ergo nomine Tisonis facinus cõpellare debemus? pudicúmne an sceleratum dicemus? Rem in medio ponemus, vt pro ingenij qualitate integrum lecturi habeant, vel impium vel seuerum pudicitiæ vltorem eum nominare. Is matrem Conizam, cum in adulterio cum Aymo Burgundione deprehendisset, hortante matris fratre Marsilio Carrarienſi, heu sæuum facinus, ambos occidit.

De Othone quarto Imperatore.

Libet in fine tam multorum, in quibus ad vlciscendam pudicitiam cõiuncta sæuitia fuit, exemplum vnum ponere, à quo & si sæuitia abest, animi tamen virtus insignis in eo conspicitur. Cum Otho quartus Imperator, Florentiæ esset, & inter multas forma atq; ætatis flore insignes fœminas Gualdratã Bertham ipse plurimum laudaret, puellæ pater, qui aderat, Bellincionus nomine, obtulit, facturum se, si ita eius ferret animus, vt deosculandæ puellæ copiã haberet, quod cũ puella audisset, respondissetq;, Nullius vnquã, nisi eius qui vir suus foret, suauiũ acceptura, adeò modesto principi ea res placuit, vt indignum duceret, sine prẽmio puellam dimittere, Itaque eam in matrimonium Guidoni Germano locauit, viro non armis solum atque virtute, verum generis quoque nobilitate insigni, & totam eam valem quę sub Casentini nomine in Aretino agro cẽsetur, cũ comitatus honore dono vtrisque dedit. A quibus postea familia manauit quę Comitum Guidorum nuncupata est.

DE IIS QVAE LIBERE VEL FACTA VEL DICTA SUNT. Cap. II.

IN dictis factisque libertas, quemadmodum laudem meretur, si à libero animo profecta ratione modoque non careat. Ita si eius causa sit animi malignitas aliqua, aut prava loquendi consuetudo (quemadmodum sæpe fieri solet) authores nonnunquam in exitium deducit: & si etiam prima cum in malignos auditores incidit, periculo non careat. Cæterum cum eius satis certa norma dari nequeat, ad eorum exempla recurremus, quod per ea melius vires ipsius, effectusque declarabuntur. Illud autem non omittendũ est, si in ijs aliqua parte peccandũ sit, satius esse parum ista, quàm nimis attingendo peccare.

De T. Quintio Flaminio consule.

Quintus Flaminius, cum aduersus postremum Philippũ Macedoniæ regem bellum gereret, & in tractanda pace delectus, ad colloquium locus esset, posteaquam loco appropinquarunt, Philippus fraudem veritus, obsides à Flaminio petijt: affirmans, Romæ multos esse Flaminios, sed apud Macedones vnum esse Philippũ, ad quem Flaminius

statim

statim respondit, Id ipsius Philippi culpa accidere, qui amicos & propinquos oēs interemisset. Romano, id est libero verbo, crudelitatem atq; perfidiā Philippo improperauit.

De Paulo Aemilio Consule.

Paulus Aemilius consul, aduersus Persam Macedoniæ regē creatus, cum mos esset in eiusmodi rebus pop. Rom. gratias agere, vt suā in dicendo libertatem seruaret virtute atq; innocentia sua fretus, ad populum dixit, De duobus consulatibus quos erat adeptus, primū se sui ipsius gratia petijsse, hunc autē secundū, ab ipso populo delatū suscepisse: huius igitur postremi causa gratias non agere, quin potius si quē se meliorem ad eā expeditionē populus inueniret, eū eligeret, quia id ipse æquo animo esset laturus, verū si quid in eius virtute spei reposuisset, fine verbis dicto ei audiens esset. Quod si populo statutū esset imperare malle, & non imperanti parere sciret, ludibrio omnibus Romanorū expeditiones fore. Ita enim ea libertate animi, populum Romanum, qua virum quemcunque priuatum allocutus est.

De Cn. Pompeio.

Petebat Cn. Pōpeius, partis iam multis victorijs, triumphū à L. Sylla dictatore sibi decerni, cū autem ætas & lex obstaret, neq; enim adhuc senator aut cōsul creatus fuerat, Sylla pertinaciter contra reluctabatur, quare minimè motus Pōpeius, se triumphū à populo impetraturum dixit: & cum ei relatum esset, Syllā, si id tentaret dixisse, Se ei aduersaturum, respondit, Neq; se ob eam rem ab incœpto discessurum, cum plures nationes per terrarum orbem inueniren tur, quæ orientem quā quæ cadentē solē venerarentur. Eo enim mordaci dicto, Syllæ senio, iuuentam suā præposuit, atque exacerbata his verbis Dictatoris ira sæuitiaque, qui multa Romanorum virorum milia longè minorē ob causam occidi iusserat, extorsit, vt Sylla exclamaret: Triumphet, & ita potirus est triumpho Pompeius.

De Fabritio.

Cornelius Ruffinus vir rapax & auarus, cæterum in bello animo ingens manuque promptus, cum bellum immineret, in Cōsulatu obtinēdo, C. Fabritij opera adiutus est, viri ipsi⁹ quidē omni integritatis laude digni, qui ob prauā vitam,

vitam, Ruffino semper aduersus fuerat. Ceterum ab eo tempore ob belli suspicionem, quia ignauos desidesque ipsius competitores videbat, sententiam mutauerat, quam rem Ruffinus miratus cum Fabritio impensè gratias egisset, subridens ad eum apertè Fabritius. Noli mirari Ruffine, quia rapinis imminui malo quàm vendi, commodè enim acuteq; Ruffini rapacitatem & competitorum ignauiam taxauit. Ostendit enim satius se ducere, ab auaro Consule, eodemque gnauo homine, & rebus agendis idoneo rapinis vexari, quàm ijs ad consulatum euectis, qui per ignauiam rem communē prodituri essent, vinctū ab hoste venūdari.

De C. Iulio Cæsare.

Sedenti pro tribunali L. Sylla cum prætor esset, atq; Cæsari adhuc priuato iratus diceret, Se officio suo vsurum, respondit Cæsar, Recte tuum appellas officium, quod pecunia tua comparasti, neque enim magistratus maiestate deterritus est, quin ei, qua arte magistratum esset assecutus, coram exprobraret.

De Geminio ciue Romano.

Cum triumuir Antonius, in Asia degeret, atq; vna esset Cleopatra Aegypti regina, cuius nutu Antonius, ei⁹ amoribus nimium vinctus, regebatur, per id tempus graues inter ipsum atq; Octauium controuersiæ exarserunt. Amici igitur, ab vrbe Roma, ad Antonium in Asiam Geminium miserunt vt omnia tentarentur, per quæ, cum Octauio redintegrari communis amicitia posset, atque in mutuam cōcordiam rediretur. Cum autem Geminium Antonius in cōuiuium excepisset, præsente Cleopatra, monuit vt mandata quæ habebat exponeret: ad quem Geminius, post salutem dictam, nulla aut ipsius amplitudinis, aut Cleopatræ præsentis ratione habita. Reliqua, dixit, Antoni quæ tibi dicere iussus sum, cum sobrio & alio loco, quàm vbi nunc sumus tractanda sunt, sed vtcunque rem vnam, vel ebrius dicere mihi posse videor, scilicet res tuas omnes bene successuras, si Cleopatram in Aegyptum dimiseris. Paucis enim liberisque verbis & Antonij ebrietatē, & eius in Cleopatram immodicum amorem, sapienter carpsit.

De Rubrio Flauio, & Sulpitio Aspero tribunis militaribus.

Valdè

Valdè profecto libera Rubrij Flauij tribuni militaris oratio fuit, quo tempore conuictus, conscium se Pisonianæ conspirationis esse, rogante Nerone, Quamobrem eius vitæ insidias tetendisset, respondit, Nullus vnquam erga te fidemaior me fuit, dum vt amari posses, dignum te præstitisti, sed posteaquam matris parricida fuisti, vxoremq; tuã occidisti, item auriga factus es, & mimicam artem exercuisti, vrbemque ac patriam communem incendisti, mortaliũ omnium etiam odio dignum te fecisti. Sulpitius quoq; Asper, eadem dignitate qua Flauius, & item pari culpa insimulatus, cum similiter, Qua re motus cõspirasset, rogaretur, Non minus libere, cæterum paucioribus verbis respõdit, dixit enim, Se in Neronem conspirasse, qui aliam rationem, finiendorum eius immensorum scelerum, nõ inueniebat. His verbis Nero magis consternatus est, quàm omnibus alijs, quæ in ea coniuratione continebantur. Neque enim vera, vt maior principum pars audire consueuerat. O miram in dicendo libertatem, ô verè Romanos animos, coram eo, atq; in eum, qui terrarum orbis imperium obtineret, & crudelitate immanes alios omnes anteiret, non moueri animo, neque minore in eum vti libertate, cum in eius manu vincti essent, quàm si ipsi imperantes, vinctum eum, coràm quo dicebant, habuissent.

De Isidoro Cynico philosopho.

Non minus quoque liberè Neronem, Isidorus Cynicus allocutus est, cum ei magna voce palàm dixit: Bene esi Nauplij mala cantare, & male bona sua curare.

De quodam seruo bubulco.

Quidam bubulcus seruus, iam senio penè confectus, cum assumpto ad imperium Vespasiano domino, propter nouæ fortunæ fœlicitatem, meritum se putaret, quẽ dominus munere dignaretur: venienti in vrbem Vespasiano se obtulit, & libertate se donari petijt. Cum autem minimè assentiri Vespasianũ videret, continere se seruile pectus nequiuit, quin vt poterat dominum vlciscereturr magna enim voce exclamauit, Vero adagio dici, Vulpem pilos non mores mutare. Ita enim veteris domini auaritiam natura insitam, exprobrauit.

De

De Mimi mordaci dicto.

Valdè liberum mordaxque Mimi cuiusdã aduersus Tiberiũ Cæsarem verbum fuit, cum is Augusti hæres, ab Augusto legata populo non impleret. Nam cum fortè coram eo mortuus ad sepulturam efferretur, Mimus sublata voce, mortuo inclamauit, Vt nomine suo referret Augusto, nondũ pro eius legatis populo Romano satisfieri. Minimè veritus hac libertate, quæ ei exitium attulit, Tiberium hæredem cuius ea erat culpa, mordere. Inde enim factum est, vt Tiberius Mimo pro eius parte satisfaceret, et postea interfici, atque ei dici iuberet. Vt Augusto nunciatum iret, iam cœpta esse eius legata persolui. Quo exemplo, haud obscurè ostenditur, non semper dicendi libertatem, etiã in re vera tutam esse, diligenterque pensitandum, cui, quomodo, & quando atque vt tibi loquaris.

De alio Mimo & ipso mordaci.

Non minus liberum & mordax, illud quoq; verbũ fuit alterius Mimi, in triumphali pompa, quam Galienus ignauissimus Imperator ducebat. Nam cum nonnulli in Persico vestitu cõparuissent, & Mimus quidã eos studiosius cõtemplari videretur, fuerunt qui peterent, Quid sibi tanta illa cura quæreret? quibus respõdit Mimus, Inter hos Persas Galieni se patrem quærere. Hoc enim verbo Galieni ignauiam carpsit, qui patrem iam diu apud Persas captiũ, armis ab hoste recipere non curaret, & nunc puerorum more, de simulatis Persis triumpharet.

De duabus vetulis liberè locutis.

Non minoris faciẽda fuit, Macedonicę vetulæ erga Demetrium regem libertas, & alterius erga Adrianum Augustum, quæ quanquam diuersis fuerunt temporibus, tamen hîc propter similitudinem coniunctim enarrantur. Indignatæ enim quod loquendi petita potestate, hi duo principes, audiendi ocium sibi non esse respondissent, eis dixerunt: Ergo reges non estote. Quod verbum cum eos acriter pupugisset, in posterum, cum alijs vterque humaniorem facilioremque se præbuit.

De Homulio ciue Romano.

Antoninus Pius, singulari humanitate princeps, Homu

lij ciuis Romani ædes ingressus, cum porphyriticas colū-
nas vidisset, petijt, Vnde Homulius eas habuisset? cui is re
spondit, In aliena domo, hominē mutum surdúmque esse
oportere. Libero enim verbo, fortasse magis, quā apud Im
peratorē æquū esset, nimiam Antonini curam momordit.

De Valerio Asiatico.

Cæso C. Caligula Imperatore, pop. Rom. in forū conue
nit, arbitratus principē Senatus opera interfectū esse, itaq;
cū id grauiter quereretur, Caiguleę largitionibus assuetus,
interfectorū nomina, vt in eos animaduerteret, requirebat.
Id cōspicatus Valerius Asiaticus, senator, honore quē gere
bat non indignus, cū indignaretur vehemēter, molestę po-
pulū eam rem ferre factam esse, quam propter tyranni cru
delitatem populum ipsum facere oportuisset, in eminentē
locum conscendens, clara voce populū increpuit, quod cæ
dis authores quæreret, subiūxítq;, Magni muneris loco ac-
cepturū se fuisse, si ipse huius rei author esse potuisset: quā
libertatem, ob viri reuerentiam populus æquo animo tu-
lit, nihil in eum motus, etsi haud multo pòst, in omnes sæ
uijt, qui in Caligulæ vitam conspirauerant.

De Frontone consule.

Pari libertate post Domitiani pessimi principis mortē,
de Cocceio Nerua principe optimo atque eodem patien-
tissimo, vt Asiaticus, ad populum Fronto consul locutus
est, nam cum videret nimium populo indulgeri, permittíq;
vt in eius esset manu, vel accusare vel occidere, quē Domi-
tiani ministrum fuisse diceret: clara voce dixit: Malum esse
sub principe viuere, qui nihil agi permitteret, sed lōgè de-
terius, sub eo, qui fieri nihil prohiberet, quod Nerua cū au
disset, modum accusationibus imposuit.

De Cymone Athenienſi.

Cymon Atheniēsis, haud minus liberè, neq; minore suo
periculo, quàm duo de quibus est dictum, locutus est. Nam
cum per totam vrbem disseminatum esset, à Delphico o-
raculo responsum esse: Vnū Athenis virū esse, qui aduerso
omnibus alijs ciuibus animo esset, & cui præsentiū rerum
administratio inuisa esset, populū apertè monuit, Ne quis
esset quærēdo laboraret, se enim eum liberè fatebatur esse,

qui

cui nihil eorum placeret, quæ per id tempus in administrã da republica gererentur. Verbo enim & aperto & libero, eius temporis administrationem carpsit.

De Elpinice Cymonis sorore.

Non minus libera Elpinice Cymonis soror erga Periclẽ fuit, cum à deuicta Samo reuersus, funere ingenti cæsos in prælio honorasset, laudibusq; eorum virtutem extulisset. Nam cum Athenienses mulieres postea flores sertaq; è more rogis inijcerent, Elpinice Cymonis soror, nõ sine magna indignatione erupit. Sunt profectò ista floribus ac sertis signa Periclẽ, qui nos tot præclaris viris orbastis: neq; hoc bello contra Phœnices aut Medos suscepto, sicut Cymon frater meus, egit, sed vrbẽ atque insulam nobis beneuolentia propinquitatibusque coniunctam subegisti. Animo magis quam virili ausa Periclem palàm carpere, qui gratia & arte omnium rerum moderamen Athenis sibi vendicarat.

De Demarato Corinthio.

Quo tẽpore Philippus Macedonũ rex, ortis discordijs, cum vxore ac filio dissidebat, ad eum visendi gratia profectus est Demaratus Corinthius: qui cum interrogatus esset, Quàm bene inter se Græciæ ciuitates conuenirent, facetissime ei respondit, Magnæ profectò tibi curæ est Philippe, vt de Græcorum concordia certior fias, siquidẽ haud iniuria id ad te pertinet, posteaquam cum coniuge tua ac filio tam concorditer, tantoque in amore viuis. Quod factum, nec minus mordax verbum, ita Philippum pupugit, vt postea cum vxore ac filio in gratiam rediret.

De Demochare Athenienſi.

Cum Athenienses ad eundem Philippum in Macedoniam legatos misissent, acerbum quidem, sed occultum, ipsorum hostem: confecta legatione, Philippus eos dimittẽs, vt mos est, dicere cœpit, Si quid aliud esset quod Athenien siũ gratia facere posset: neq; vltra ad finiendam orationem pergebat, statim legatorum vnus Democharες, cæteris audacior, subiunxit: Vt te suspendas, apertè ei verum falsus, qui fictè operam suã Athenienſibus videbatur offerre. Quę libertas magno ei malo constitisset, nisi eum plus ficta Philippi humanitas, quàm propria prudẽtia texisset: neq; enim

enim aliud Philippus egit, nisi quod ad alios legatos conuersus dixit: Referre Athenienſibus, eum qui tàm acerbum verbum, minimè indignatus audiuit, longè eò, qui verbum nihil lacesſitus pronunciauit, modestiorem erga vos fuisse.

De Dercilide Spartano.

Non minus liberè Dercilides Lacedæmonius, missus à Spartano populo, ad regem Pyrrhum legatus, egit. Nam cum eum Pyrrhus grauibus verbis vrgeret, vt Lacedæmonij Cleonimum regem, quem pepulerant in regnũ reciperet, nulla illius dignitatis ratione habita, respondit: Si Deꝰ es nobis, minimè timendum à te ducimus: nam cum iustam habeamus causam, Deus qui iustus est, nihil aduersus nos molietur: quibus tu, si non Deus, sed homo es, melior profectò non es, & propterea tantoperè nobis formidandum non est.

De Samæo Pharisæo.

Herodes adhuc priuatus, cum apud Hyrcanum Iudæorũ pontificẽ, ac regem, à multis eius gentis nobilibus præpotentibusq; viris accusaretur, Hyrcanus qui eũ diligebat, monuit, Vt in iudicium, habita salutis ratione veniret: itaque is purpuratus, & armatorũ septus corona, in iudicio cõstitit: cum igitur eo cõspecto territi iudices, in ipsum hiscere nihil auderẽt, Samæus qui inter eos vir erat, & prudẽs & liber, dixit: Tu Hyrcane rex, vosq; iudices, ni fallor, nunquàm in iudiciũ capitis venire aliquem vidistis, nisi squallidum, & atra, neq; ea nisi trita veste amictum, quamobrem cum hic Herodem, & nitida cute fulgentem, & veste ornatũ adesse videatis, armisq; tectum, dici non potest aliud eni ti velle, nisi vt vel armis iudicium ad liberationem suam ex torqueat, vel si id nequiuerit, vt nos iudices occidat. Itaq; si hoc ei, vos iudices, per ignauiam permittitis, ipse quidem, quod reo in periculo cõducere videtur, egerit: at vos, mihi creditote, haùd multò post fore, vt iudices omnes qui hic sedemus, tuq; rex vnà cũ iudicibus, ab Herode occidamini. Audax enim liberq; Samæus, veritus non est, coràm Herode ea dicere, quæ audiendo alij, præ formidine cõtremiscebãt. Secutũ est igitur, vt breui Herodes regnũ occuparet, & Samæi verba, quę dixerat, vera inuenirẽtur: solus autẽ Samæus

seruatus est, cui Herodes non modo ob virtutem pepercit, sed inter amicos etiam habere eum voluit.

De Platone philosopho.

Diu in Sicilia commoratus Plato, quem Dionysius apud se tenuerat, cum tãdem dimitteretur ab eo ad cœnã vocatus est, atq; inter alia quæ cœnãtes fabulantur, cũ Dionysius diceret: Nónne ó Plato, cum Athenis eris, cũ alijs philosophis de nobis obloqueris? Ei Plato subridens, respondit. Nunquàm philosophos qui Athenis viuunt, ita vacare, aut de tam vili materia inter eos tractari posse, vt loqui de Dionysio valeant. Acutè enim, sed modestè, tamen vitã eius, vt digna erat, momordit.

De Antagora.

Non minore libertate, argutiaq; Antagoras poëta, Antigono regi respondit: nam cum solus castra Antigonus perambularet, & ad Antagoræ tabernaculum veniret, conspicatus cõgrum decoquere, vt faceto verbo poëtã morderet, dixit: Putas ne Antagora, Homerum cum Iliadem scriberet, congros decoxisse? cui facetus atque extemporaneus poëta. Nunquid & tu rex Antigone arbitraris, Agamemnonem cum ea gereret, quæ ab Homero scripta sunt, castra Græca perambulasse, quærentẽ, si quis congros aut aliam rẽ decoxisset? celeri enim acutoq; responso, Antigoni nimiam curam, loquacitatemq; satis aptè repressit.

De Laberio equite Romano.

Quemadmodum etiam egit Laberius eques Romanus mimorum fabularumq; scriptor: nam cum iam grandis natu à Iulio Cæsare penè coactus saltaret, & fabulas quas scripserat, ipse ageret præter ætatem, id vt potuit vlcisci decreuit: personam igitur Syri serui induit, & tanquàm à domino vapulasset, fugientis speciem præbens clamauit: Quirites profectò libertatem amisimus. ficto eo sermone, personaq; , Cæsaris tyrannidem haud obscurè taxauit, quam ob causam postea Laberius Cæsari nunquàm gratus fuit.

De alio poeta Græco.

Liberum Laberij verbum fuit , sed non minus Græci poetę cum Augusto , factum: nam cum hic poeta Augusto sæpè

sæpè versus dare consueuisset, neque vnquàm ab eo aliquid tulisset, nisi quod postremo epigrammate, tãquàm in omnium satisfactionem donatus fuerat, Poeta egregiè laudato Augusto appropinquauit, atque ex pera sumptos nummos quosdam minimos, in Augusti manu posuit, dixitque Non hos quidem ex fortunæ tuę amplitudine ó Auguste dedi, sed quoniam maior copia non erat, hæc qualiacunq; malui quàm nihil dare, Qua re omnibus in risum conuersis, largissimè ab Augusto pro omnib. remunerationẽ tulit

De quodam equite Romano.

Ab equitis quoque Romani libero verbo tactus, æquo animo eius libertatem tulit, nam cum Censor Augustus eum reprehendisset, tanquàm fortunas ac bona sua decoxisset, eo ipso tempore eques à se auctas fortunas esse ostendit. Item cum ab eodem carperetur, tanquam de matrimonijs legem non seruasset, statim testibus quoque crimen recitauit, ostenditque non solum vxorem duxisse, verum etiam ex ea trium liberorum patrem se factum. Itaque eques aliquantisper commotus his, addidit: ó Cæsar alias cum de probis viris certiorẽ te fieri voles, eius rei onus probis quoque & non maledicis dato. Asperum profectò responsum sed liberum & equite Romano, ad imperatorem eundemque Censorem, dignum.

De alio equite Romano.

Non minus etiam liberum verbum factumque alterius equitis fuit, qui cum aucupij peritia magnus haberetur, magnoque labore vix noctuam cœpisset, quę rure Augusti somnum molesto carmine rumpebat, ab Augusto laudatus, cum non vltra mille denariorum summã dono tulisset, muneris exiguitate indignatus: dixit, Malo noctua viuat, atq; in hæc verba eam dimisit, nulla eius quem offendebat habita ratione.

De Diogene Cynico philosopho.

Quam liberum etiam Diogenis Cynici philosophi verbum fuit, qui captiuus in castra ad Philippum Macedoniæ regem deductus, cum interrogaretur à rege. Quis nam esset? respondit, Se exploratorem esse ad ipsum profectum, vt insatiabilem eius rapacitatem videret, quàmobrem ea

libertate dicēdi victus Philippus, statim eū dimitti iussit.

De Philode Athenienſi.

Pòſt exempla de quibus ſcriptum eſt, in quibus ſatis libertas apparuit, nonnulla alia libertatis omninò plena, ſed quibus ob infelicem euentum magnò libertas conſtitit, ſubiungemus. In prælio captus Philodes Athenienſiū dux, cum à Lyſandro qui eum ceperat, interrogaretur, quid is meritus eſſet, qui de Lacedæmonijs tantum, vt ei vitio dabatur, oblocutus eſſet? interritus reſpōdit: O Lyſander, noli eum accuſare, qui iudice careat, ſed iam tandem aduerſus Philodem id exequere, quod ipſe iam in te feciſſet, ſi tātu in ipſius manu eſſes, quam ipſe in tua eſt. Quamobrem eum Lyſander occidi iuſsit.

De Pelopida Thebano.

Non minus dicendo liber, cæterum felicior Pelopidas Thebanus fuit: nam cum ab Alexandro Pheræo captus, haūd admodum arcta cuſtodia teneretur, per id tempus, populos Alexandro ſubditos, ſollicitare non deſinebat, monebatque breui Alexandrum pœnas daturum. Quod cum Alexander reſciuiſſet, miſiſſetque qui Pelopidam monerent: Niſi linguam compeſceret fore vt ei mortis cauſam affert: nuncio reſpondit, vt Alexandro referret, Pelopidam mirari, quod tàm diū diſtuliſſet, cum ipſe adeò in eū hoſtili animo eſſet, vt ſi vnquam euadendi facultas daretur, ad dandas pœnas pro eis quæ impiè in populos ſuos, nulla eorum culpa ederet, ipſum coacturus eſſet: nec longè res ea abijt, quod Pelopidæ opera Alexander à ſuis interemptus fuit.

RECENTIORA.

De Marete Chalcedonenſi epiſcopo.

Perſæpè graues caſus, magnæque calamitates in hominibus audaciam augent, atque imperterritos reddunt: ceu qui ſatis ſecuri videantur, non poſſe in ipſis mala augeri, atque eis morte finem imponi, quemadmodum ante de Pelopida diximus, & nunc de Marete Chalcedonenſi epiſcopo ſcribemus. Ei propter ætatem decrepitam luminibus capto, cum eſſet Conſtantinopoli nunciatum, Iulianum imperatorem in templo Fortunæ ſacra facere, clara

clara voce Iulianum apostatam compellauit. Cui cum indignatus Iulianus respondisset: Galilæum (ita enim Christum appellare solebat) ei visum non restituturū: exclamauit ita vt ab omnibus audiretur: Deo se pro cæcitate gratias agere, quod ita ei facultas Iulianum impium imperatorem videndi erepta esset: quo verbo attonitus Iulianus, loquendi cum Marete finem fecit.

De Martino episcopo Turonensi.

Collocutorū similitudo, ad Martinū Turonensium episcopum, atq; Maximum ea tempestate Galliam tyrannide prementem, me trāfert: Maximus enim, primo cōpulsa ad rebellionem Britannia, in qua imperatorium nomen vsurpauerat, in Galliam aduersus Gratianum traiecit, quo per fraudem occiso, Galliam maioremq; Germaniæ partem, nō nullaque alia subegit, deinde pulso ab Italia Valentiniano, vt de se bonam opinionem relinqueret, Martinum ad cœnam inuitauit: sed sanctus liberque episcopus ire recusauit, affirmans, Se cum eo in epulis communem mensam nū quam habiturum, qui duorum dominorum quos habebat, alterum occidisset, alterum imperio pepulisset. Itaque ante vt iret adduci non potuit, quàm Maximus scelus culpa in milites reiecta excusauit, quorū seditione vt imperaret coactum se dicebat, in quo se pro viribus enixurum, vt placarentur, promittebat: O singularē libertatem, quæ ab animi sinceritate, morumq; sanctimonia proficiscebatur: quā temporum nostrorum Episcopis necessaria foret, vt malis principibus ea palàm dici possent, quæ alij in minore fortuna positi dicere non audent.

De Ambrosio Mediolanensi episcopo.

Maiore etiam libertate cum Maximo vsus est Ambrosius Mediolanensis episcopus, cum à Valentiniano imperatore, legatus ad eum vsq; in Treuerim vrbem missus fuit, ad fratris Gratiani, ab eo occisi repetendum corpus: nam publicè in consilium deductus, cum Maximus assurrexisset, vt osculo Ambrosium exciperet, ipse vestigio, se ne cum vocaretur quidem mouit, quin potius libere grauiterq; eū eū pro proditione cædeq; in Gratianū increpuisset, illic palàm omnia in Maximum reiecit, quæ ad purgandum cri-

men ipse in medium adducebat.

De Agapeto Pontifice.

Quam grauis & quam liber Agapetus quoq; Pontifex maximus fuit? cū à Theodato qui in Italia Gothorum rex erat, Constantinopolim placandi Iustiniani gratia missus, loquendo deprehendit Iustinianum Eutychena hæresi laborare, in qua re aliquandiù conatus de sententia Iustiniani dimouere, cum frustra laborasset, sanctus Pontifex, veritate atque cōscientia fretus, continere se non potuit, quin imperatori mentē suam aperiret: dixit enim, Ad Iustinianū Christianissimū imperatorē venisse me arbitrabar, sed quantū intueri possū, ad Diocletianū me venisse video

De Sabino & Syluano Ctesiphontinis.

Indignationis quoque magnitudo, loquendi libertatem vsurpat, quemadmodum hic duorum exemplo ostenderur. Cum pace inita cum Persarū rege, Iouinianus imperator, quædam loca à Romanis possessa, & inter alia Ctesiphontem vrbem, Persis cōcessisset, presensque vrbem eam traderet, contrà totis viribus, quantum valebāt, nitebantur ciues, sed cum impedire rem non possent, ceu muneris loco quærebant, vt eis permitteretur, sese, si possent defendere: quod cum à Iouiniano negaretur, & penè in desperationē ciues cōiecti essent, inter eos Sabinus liberè dixit: Constantius interdum à Persis victus, ita afflicta fuit fortuna, vt eū viderim panem ab anu inopi petentem, & tamen nihil vnquam de imperij finibus Persis reliquit: tu autem principatus tui initio, Ctesiphōtem vrbē, locaq; propinqua, quę Romani imperij clypeus, & ceu repagulum aduersus hostes dici possunt & debent, hostib. tradis? Inter hæc verba ciues, cum è more coronam auream imperatori munus darent, quā difficulter Iouinianus adduci potuit, vt acciperet, Syluanus non minus Sabino liber, premente, animi impetu, Ita te cæteri coronare possint, dixit, Eo verbo Iouiniani ignauiam & animum ostendens.

De Ioanne Capocio Romano.

Dissidentibus inter se Othone quarto & Friderico secundo imperatoribus, cum Innocentius tertius Pontifex apertè fauisset Othoni primo deinde post aliquot tem-

pus

pus ad Fridericum studia conuertisset, videbatur multis Pontifex harum discordiarum causas serere, itaq; cum per quadragesimæ tempus, Innocentius è more conciones haberet, mirantibus omnibus eius in dicendo facundiam. Ioannes Capocius ciuis Rom. Othoni deditissimus, cum Pōtificem de concordia magno studio prædicantem audiret, quia ab eo omnes has discordias ceu oblato fomite ali videbat, continere se quin erumperet, non potuit: surgens igitur, non expectato Pontificis orationis fine dixit: Verba tua, pater sancte, Dei sunt, cæterum facta, quę verbis longè contraria sunt, diaboli videntur esse: neque in hoc clauium potestas, neque arma quæ simul in Pontificis manu erāt hominē hunc quin liberè loqueretur, deterrere potuerunt.

De Velano, Prouinciæ in fratrum Minorum ordine præfecto.

Nihil etiam plus pensi habuit, qui Velanus, Prouinciam in ordine fratrum Minorum gerebat, inuehi in Ioannem vigesimum secundum pontificem, cum ad eum Auinionem deductus fuit: propterea quod in ecclesiasticis conciōnibus pontificem hæreticum nominarat, quia eo tempore excitatam illorum societatem, qui Fraterculi opinionis nūcupati sunt, pōtifex improbabat, ab eis enim dicebatur, Sacerdotes omnes apostatas esse, qui apostolorum paupertatem non sequerentur. In concilio igitur ea omnia confirmauit, quæ alibi dixisse accusabatur: denuoq; coràm, eum verè paupertatis apostolicæ ecclesiasticæq; euersorem vocauit, & propterea eum hęreticum atque apostatam dici debere: quamobrem Velanus ductus in carcerem, nunquàm quæ ante dixerat, ob id mutare voluit.

De quodam Episcopo & Grægorio vndecimo Pontifice.

Cum iam septuaginta annos in Gallia Romani pontifices egissent, contigit, vt per id tempus Gregorius vndecimus ad pontificatum assumeretur: is cum absente ab vrbe Roma Pontifice, videret magnis incommodis catholicā ecclesiam affici, & ob id ad repetendam vrbem Romam, animum inclinaret: fortè euenit, vt se Pontifici episcopus quidam offerret, quem cum Gregorius hortaretur, ad petendā ecclesiā suam, illicq; commorari, vt in ea dominicum gregē ei creditū gubernaret: episcop⁹ dicēdo satis liber, ad ea:

Et tu sancte pater, respondit, à quo mihi alijsq; bene agendi exemplũ proponi debet, cur ab episcopatu tuo absq; ppter absentiã tuã permulta incõmoda perfert: quo respõso Pontifex, ad eam diem in petenda Italia anceps quod eũ patriæ amor Galliarumq; respectus mouebat, Romã petere decreuit, vbi postea haùd multò post cũ decessisset, causa fuit, vt in posterum Romæ Pontifices remanerent.

De Conuerso Ciſtertienſis ordinis.

Non minus liberè arguteq; uir, religioni inter postremos Ciſtertienſis ordinis addictus, Cardinalem allocutus est, quàm ij de quibus dictum est, pontificem cõpellarũt, & ob id res ipsa non indigna videtur, de qua inter iam dictos mentio fiat: nam cum Henricus ad Cardinalatum à Ciſtertienſium ordine euectus, à Clemente pontifice legatus in Germaniam mitteretur, vt aduersus Christi hostes crucem prædicaret, in comitatu aliquot habebat monachos: itaq; cum iter faceret, ab eis petijt, Vt aliquis eorum, aliquid ad leuandum viæ fastidium loqueretur, vnde audientium animi fructum aliquem accipere possent: monachus autem cum inter ipsos vnus esset, ex eo numero, qui quod ad sacros ordines non promouentur, sed in monachorum seruitia ali solent, Conuersi appellantur. Non sine difficultate eum impulerunt, vt is esset, qui tunc loquendi onus subiret. Ad cardinalem igitur subridens se conuertit, & dixit: Cum mortui erimus, id quod haùd multò tempore pòst erit, & ad paradisi valuas perducemur, Benedictus ordinis noſtri primus parens, obuius nobis erit, vt in paradisum nos inducat: cum is te Domine mitratum conſpiciet, quia ignorabit, petet quis nã sis: & si è numero ipsius monachorum te esse responderis, dicet monachorum non esse, capitibus cornua gestare: cæterum postquam tu multa ad hos ornatus excusandos dixeris, vt certior de te fieri possit, regni cœlorũ ianitori imperabit, vt tibi in terra extenso, sto machum aperiat, & si herbis leguminęq; te pastum esse inuenerit, monachũ esse credat, atq; in paradisum inducat: quod si delicatioribꝰ cibis enutritum esse cognoscet, sciat verum nõ esse monachũ: quid tũc Domine mi dicturi erimus? cum in has difficultates cõiectos esse nos videbimus?

ò libe-

O libertatem ingentem, verbumque quanquàm ab homine profectum, qui in humili erat fortuna, ſapiens tamen & aſtutum, & quod longè plus in receſſu relinqueret, quàm in fronte polliceretur.

De Bubulco Germano.

Penè ſimili dicendi libertate vſus eſt arator quidam ſenex, in Germania, erga epiſcopum ducemq; Colonienſem, cum iter armatus faceret, & magnus armatorum numerus, vt in Germania mos erat, eum proſequeretur. Magno enim riſu arator ſolutus, interrogatus eſt, Quæ tanti riſus cauſa eſſet? arator autem, cũ negare ſe rem videret non poſſe, reſpondit, Ridere ſe, quòd Petrus Apoſtolus clericalis ordinis princeps, in tanta inopia mortuus eſſet, & poſteros in eo ordine tantoperè locupletaret: reſpondente autem epiſcopo, ſe ſimul & ducẽ eſſe & epiſcopum, & eo tempore, vt ducem armatum eſſẽ, & cum armatis iter facere, & cum in tẽplo eſſe contingit, illic vt epiſcopum agere: maiori etiam cachinno ſolui arator cœpit: denuo igitur cauſam rogatus, dixit. Vellem equidem declarari mihi, cum mortuũ hunc ducem, cuius perſonam geris in inferno eſſe continget, quò putes epiſcopũ eſſe iturum? arguto enim liberoq; reſponſo, oſtendit, quàm ſtultũ eſſet in eodem ſubiecto, duas diuerſæ profeſsionis perſonas agere velle. Etſi in altera peccaret, putare ſe in altera pœnas errati non ſenſurum.

De Franciſco Aragonio ordinis minorum.

Liberum quoque & valdè conſideratum, id quod ad virtutem inſtũ ac ſanctimonia inſignem pertinet, verbum illud fuit: quod Franciſcus Aragonius, minorum ordinem profeſsus, Sixto quarto Pontifici, qui ab eodem ordine, ad põtificatum aſcenderat reſpondit, cum primum ad eum pontificem venerandum ſe contuliſset. Oſtendente enim ei pontifice, nonnulla quæ precij ingentis erant, dicentique Frater mi, iam dicere, vt Petrus Apoſtolus, non poſſumus, auro argentoque nos carere: reſpondit, Pater ſancte, ne tu quidem claudo dicere poteris, Surge, & liber factus, vt ille dixit, ambula. Hac dicendi libertate oſtendens, quẽadmodũ Petrum apoſtolum opibus ſuperabat, ita ipſe ab eo vitæ ſanctitate vincebatur.

De Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi.

Cum Dunstanus Cantuariensis archiepiscopus Ethelstanum Britanniæ regem coronaturus esset, & peractis aliijs ceremonijs, postea capiti eius diadema imposuisset, clara voce vt audiri posset, dixit: Quia hoc regnum fratris tui sanguine morteq; affectasti, præterquàm quòd tota Britannia hoc factum grauiter latura est, ne tu quidem ex eo lætum exitum feres. Nouo enim immaniq; regi, crimen suum palàm improperare veritus non est.

De Gerardo episcope Zaladiensi.

Liberior etiam Gerardus episcopus Zaladiensis in Pannonia fuit: cum requisitus, vt Petrum Hungariæ regem dia demate insigniret, qui Stephano regi successit. eius rei agendæ munus abnuit. Improperauit enim crimen ingens quod prepetrarat, cum quadraginta senatorij ordinis viros insignes, consiliarios suos turpi morte affecit, adacto per media eorum corpora palo, quod eius voluntati obtemperare nolebant. Quem cum postea ab alijs episcopis coronari inspiceret, pulpitum conscendit, adhibitoq; interprete, qui Pannonia lingua pronũciaret, quæ ipse Italica dicebat, denuo regi crimẽ suum exprobrauit, tẽpusq; ac viam mortis, quæ breui eum maneret, prædixit.

De quodam Hispano iuuene.

Administrationem Toletanam Hispanus iuuenis, ab Alphonso octauo Castulonensi rege poscebat, quem cum propter iuuenilem ætatem rex reijceret, audax liberq; iuuenis respondit. Et tu princeps, cum adhuc lacte infantem te nutrix aleret, iam rex eras, & quotidie permulti, in magnis muneribus apud te conspiciuntur, qui pueri tecum alea ludebant: me autẽ, quia tecum non lusi, existimas ętate ingenioque parum valere? quæ verba à libero profecta animo, ita Alphonsum mouerunt, vt muneribus ornatũ, vltrà desiderare quod optabat, non pateretur.

De Hyro Gallo militari duce.

Mordax liberum atque simul facetum verbum fuit Hyri militaris ducis in Gallia, Carolo septimo regnante: nam ab exercitu ad regem missus, cuius auspicijs Giennæ in Aquitania aduersus Britannos bellum, non sine Gallorum

detri-

detrimento gerebatur: cunctante rege, vt voluptatibus operam daret, contra belli necessitatem in longum trahebatur: itaque cum ei rex, à quo necessaria ad alendum exercitum exspectabat, voluptatum apparatus, item ludos puellasq; & conuiuia ostentaret, ac peteret ab eo, Quid de eis sentiret? respondit Hyrus, Nunquàm alium regem qui sua lætius quàm ipse perderet vidisse: cuius verbi aculeo, ab otio voluptatibusque experrectus, rex confestim confici, ea quorum causa Hyrus venerat iussit.

DE SEVERITATE. Cap. III.

INter crudelitatem quæ mortalibus odio esse debet, & clementiam, quàm omnibus natura gratam atq; desiderabilem fecit, media consistit virtus, seueritas nũcupata, regendis imperijs admodũ necessaria, modo ad sanguinẽ, id est, ad sæuitiam, nimium ne declinet. De ea scripturus quædã exẽpla, Valerij ordinem secutus, à Rom. in quibus plurima hæc virtus fuit, incipiendum duxi.

De Q. *Sertorio.*

Quintus Sertorius, qui bellis ciuilibus vnus Marianarũ partium erat, cum in castris tabernaculum suum satis propinquum seruis haberet, qui à Mario liberati militabant: quia nimis licenter, opibus, Romanisq; mulieribus abutebantur, imparatos eos, vt pote qui vim non vererentur, adortus, quatuor ex eis milia occidit: affirmans, Malle se illis militibus, & si magnopere necessarij erant carere, quàm Romanis illatas iniurias non vlcisci.

De Themistocle Athenienſi.

Cum legatos Xerxes ad Græciæ ciuitates misisset, eas ad imperata facienda hortantes: contigit, vt vnà cum eis esset Græcus interpres: Themistocles, qui autem eo tempore Athenis præturam gerebat, interimi eum curauit: indignam rem arbitratus, quod ad Barbarorum arbitrium, in Græciæ detrimentum Græca vteretur lingua.

De Lacedæmonijs.

Seueri fuerunt erga Archilochum poetam Lacedæmonij. Eũ enim, quanquàm genere Spartanus esset vrbe pepulerunt, quod carmen scripserat, in quo ostendi videbatur: Satius esse in prælio arma, quàm vitam amittere: nam eo

doctri-

doctrinæ genere arbitrati sunt, homines ignauiæ atq; timiditatis plus habituros

De Philippo Macedonum rege.

Cum Philippus Macedonum rex, Antipatri amici rogatu, quendam in iudicum collegium adhibuisset, eumq; postea barba capilloq; tincto inspexisset, honorē, quem dederat, ademit: affirmauit enim, Nunquàm eum fidelem constantemq; fore, qui barbam capillumq; mentiretur.

De Senatu Romano.

Eadem seueritate, erga Fuluium Argentarium vsus est Romanus Senatus, quod secundo bello Punico, à fenestris, per meridiem in forum roseo serto coronatus, spectare visus erat: carceri enim per omne tempus eius belli damnauit, vt intempestiuū gaudium, quo laborante patria vsus erat, carceris molestia corrigeretur.

De Augusto.

Augustus, & si humano ingenio erat, seuerus tamen in Herotheum Aegypti procuratorem fuit. Nam quia coturnicem manducarat, quæ alias pugnando vincebat, nauis malo configi eum iussit.

De Tiberio Cæsare,

Tiberius Cæsar, quendam Romanum quæstura priuauit, quia vxorem decimo die, postea quàm eam duxerat, repudiauit: fine fide atque constantia esse eū arbitratꝰ, qui in re tanti momenti, tàm paruo tempore, vanum se variumq; ostendisset.

De Galba Hispaniæ Proconsule.

Galba, qui postea imperauit, cum in Hispania proconsul esset, quibusdam mensarijs præcidi manus iussit, & mensæ eorum affigi, quia fraudulēter pecuniam tractare compertī erant.

De Vespasiano Augusto.

Seuerior Vespasianus imperator fuit, qui Romanum iuuenem ad eum profectum, vt pro data præfectura gratias ageret, quia vnguenta olebat, non contentus manu reiecisse, cōtumeliam hoc verbo ante præfatus, scilicet, Mallē allium oboluisses: literas quoque datæ præfecturæ reuocauit: seuero exemplo ostendens, quod quemadmodū nobili

gene-

genere ortum iuuenem, lautitia & terſi corporis cultũſque mũditia decet, ita fœmineos cultus atq; odoramẽta, viro dedecori eſſe, præſertim ei, qui aliorum regendorum curã ſuſtineat. Mulieberes enim mũditias in viro, leuitatis atq; impudicæ vitæ indicia eſſe, aiebat.

De Septimio Seuero Legato Romano.

Profectò in Africam Septimio legato, obtulit ſe amicus, & vt ante conſueuerat, præ lætitia eum amplexus eſt. Ea re indignatus Septimius, palàm cẽdi eũ grauiter iuſsit. Præcone magna voce eum monente, ne ipſe homo plebeius, in poſterum tam ſtultè dignitatis non habita ratione, legatũ Romanum complecteretur, Illius enim principij ſeueritate, iam indicabat qualis futurus eſset imperator.

De Aurelio Seuero Alexandro imperatore.

Alexander Seuerus imperator, militem qui anum hoſpitam ſuam pulſauerat, non contẽtus militia exauctoraſſe, ſeruum atq; aurigam ipſius mulieris eſſe iuſsit: vt qui iniuriã in eam autor fuerat, ipſius commodis atq; neceſsitatib. in poſterum operam ſuam addictam, haberet.

Item de eodem.

Idem in ipſa via, qua eius ſerui à Palatio in villam migrare ſolebant, vnum ex ipſis cruci iuſsit affigi, quia centũ aureos nummos propter nauatam cuidam in aula ſua operam, acceperat

De eodem.

Similiter quia amicus eius Thurinus multa ad ſpem aut ad timorem referebat, mentitus, tanquàm ea à principe accepiſſet, & inde pecuniam haud paruam congerebat, publicè fumo extingui iuſsit: præcone valenter clamante: Fumo morere, quia fumum vendidiſti.

Item de eodem.

Adeò autem in eo ſeuera fuere facta, ſicuti etiam nomen erat, vt palam edici iuſſerit, ne vllus, qui in magiſtratu munera acciperet, aut aliter aliena raperet, coràm eo appareret: conuictos enim huius ſceleris, capite mulctaturum, ſe nulla hominis alicuius habita ratione, denunciauit: quàm longè ab huius tẽporis morib, hic princeps? Nũc enim eorum

rũ qui rerum potiuntur, permulti inueniuntur operam dare, vt per huiusmodi largitiones aut rapinas, ministri opes congerant, quia eius lucri partem ab eis accipiunt.

De Pescennio Nigro Galliæ gubernatore.

Pescennius quoque Niger, cum Galliam regeret, imperante Septimio, tribunum lapidari iussit, quia militum stipendia decimaret.

De Aureliano imperatore.

Militis, qui hospitam violarat, Aurelianus imperator, duabus magnis arboribus ad terram deflexis, alligari crura iussit, qui redeuntibus vi sua in consuetum statum arboribus, in duas partes discerptus est. Cæterum quoniam satis de veteribus est dictum, iam ad recentiora transeamus.

RECENTIORA.

De Gulielmo Normandiæ duce.

Gulielmus Normandiæ dux, qui Normandorũ primus, Britanniæ regnum adeptus est, cum in eam Insulam aduersus Heraldum traiecisset, conspicatus Normandum militem in Heraldum adhuc sæuire, posteaquàm sagitta ictus ad terram conciderat, eum ignominiæ nota exauctorauit: vir enim bello clarus atq; virtute insignis, eqùe indecorum existimauit, viuenti hosti terga dare, & iam mortuum aut ad terram delapsum ferire.

De Senatu populoq; Constantinopolitano.

Defuncto Heracleo Constantinopolitano imperatore, imperij successore relicto filio Constantino, Martina nouerca, Heracleonque frater, Pyrrhi olim patriarchæ consilio, Constantinum veneno sustulerunt: qua re palàm facta, Senatus populusque Constantinopolitanus id grauiter ferentes, seueriſsimè vlti sunt: nam præcisa Martinæ Augustæ lingua, atque defecto Heracleoni naso, ambos in exilium miserunt: Pyrrhum autem, facto in eum impetu à populo, peremerunt, creato imperatore Constantini filio. In ea autem re non minus perpetrati sceleris, quàm eorum in quos admissum erat crimen honoris, quo olim potiebantur, rationem habuerunt.

De Constantino Pontifice Maximo.

Inter tot seueritatis immensæ exempla, Pontifices quo-

que

que nostræ religiõis admittemus, è quibus multi ita à priscorum moribus degenerarunt, vt nimium familiares facti, iam in contemptum venerint. Haùd igitur his fuit similis Constantinus Pontifex, nam Philippicum Imperatorem qui Bardanus dicebatur, non contentus per literas reprehendisse, quod de catholica fide male sentiret, posteaqàm monitus redire ad sanitatem neglexit, nulla in eo imperatoriæ maiestatis ratione habita, ceu schismaticum extra catholicæ ecclesiæ gremium esse declarauit, nomenque eius, omnibus publicis rebus detrahi iussit, vt eius qui propter hæresim indignũ se fecisset, qui alijs imperatoribus annumeraretur, nomẽ quoque in obliuione sepeliret: eque enim in eum inuectus est, ac si nullo vnquàm insignitus imperatorio honore, priuati hominis statum non euasisset.

De Innocentio primo Pontifice.

Extra communem fidelium gregem Innocentius quoq; primus Pontifex, Arcadium Augustum atq; eius coniugẽ Eudoxam fecit, atq; id palàm declarauit: quod Chrysostomo patriarchatus sui honore depulso, Theophilum Alexãdrinum patriarcham suffecerant.

De Nicolao primo Pontifice Maximo.

Non minus seuerus Nicolaus primus, regem Lotharium, Ludouici secundi imperatoris fratrem excõmunicauit, quod repudiata vxore Therberga, Gualdradam iustæ vxoris loco palàm haberet. Præterea Regnaldum Treuirensis, & Guntramum Colonienſis ecclesiarũ archiepiscopos, quod operam suam in ea re præstiterant, dignitate qua fungebantur, priuauit.

De Gregorio septimo Pontifice.

Gregorius etiam septimus Pontifex, Henricum tertium non contentus anathemate mulctare, tandem imperatorij quoq; honoris dignitate priuauit, quia ecclesiastica sacerdotia venalia habebat, & admonitum, vt corrigi se pateretur, durum inuenit: neq; verò ante anathematis vinculo liberauit, aut ad pristinum honorem admisit, quã per hyemẽ nudis pedibus, in niue, collo indutus zonam, multas horas ad Canusiæ oppidi portas in Rhegienſi agro, vbi tunc Pontifex agebat, erroris sui veniã petijt: vbi vix tandẽ Mathildis

thildis comitis fœminæ clarissimæ, quæ in ea regione latè imperitabat, & Adelini Allobrogum, velut nunc dicimus, Subaudię comitis, victus precibus, vt deosculari pedes posset eum admisit.

De Alexandro tertio Pontifice.

Alexander tertius Pontifex, Fridericum Aenobarbum imperatorem, quod schisma in ecclesia cõcitauerat, excommunicauit: neque ante anathemate soluit, quam Veneijs pro æde sancti Marci pronus in terram, pedes eius osculo veneratus est, ac criminis sui veniam petijt. Ne autem putentur Pontifices, in seculares tantum homines, hac seueritate vsi esse, de his iam scribemus, qui in ecclesiasticorum acta seueri fuerunt.

De Leone quarto Pontifice.

Leo quartus Pontifex maximus, Cardinalatus honore Anastasium Tituli sancti Marcelli priuauit, quia cõtra Canones, quinquennium à parœcia sua abfuerit,

De Vrbano Sexto Pontifice

Vrbanus quoq; sextus Pontifex maximus, ductos mari à Nuceria ad vrbem Genuam septem Cardinales, qui clã cum Clemente conspirarant, cum ipso de Pontificatu contendente, nulla mitiore pœna dignatus est, quàm vt saccis seorsum inclusos, in mari demergeret.

De Castrutio Castracane Lucensium Domino.

Ab ecclesiastica seueritate, ad secularem iterum redeuntes, Castrutij Castracanis Lucensium domini, facinus seuerum enarrabimus. Cum sciret mensarium prædiuitem solum vertisse, nec multo pòst, parua pecunia, cum creditoribus pacta, mensam repetijsse, atq; magnificas ædes ædificare cœpisse, in vincula coniecit, atque vocatis edicto creditoribus, pro tota summa satisfieri iussit: & quod vltra mensario superfuit in publicum redegit. Appenso autem mensario iuxta mensam, in qua aduersus eos, qui eius fidem secuti erãt, fraus cõmissa erat, ceruices fregit, neq; enim minus supplicio dignũ esse arbitratus est, quã illos, qui in viatores grassantur. Si quidem fallaces mensarij fraude eos circũueniunt, qui eorum fide ducti, pecuniam suam mensę crediderunt: at grassatores non sine vitæ suæ discrimine, dispoliare

habent. Quod si hac seueritate, in nostri temporis fallaces mercatores animaduerteretur, quanquã fortasse carnifices supplicio non sufficerent, rapacium tamen hominum scelus compesceretur, & boni mercatores, iustique homines, tutius negociationes suas: ac maiore omnium vrbium commodo atque honore tractarent, sicuti nunc contrà, cum dedecore atque iactura, quotidie multorum fortunas impudentium scelere, qui ablato alieno, vertere solum non erubescunt, euerti videmus.

De Senatu Veneto.

Marinus Falerus Venetæ vrbis dux, deprehensus cũ quibusdam plebeijs conspirasse, vt ex Duce, cuius potestas modo finita est, tyrannidem inuaderet, coniectus in vinculà, à Senatu capite mulctatus est ad Palatij scalas, diruitque ædibus, inusta eius nomini perpetua ignominia fuit. Siquidem in eo conclaui, in quo omnium Venetorum ducem effigies pinguntur, Marini thronum sedemque, atro colore operuerunt, inscriptione addita eum esse Marinum Falerum, cui propter crimen caput fuit ademptum.

De Populo Florentino.

Magna quoque seueritate vsus est Florentinus populus, salutis anno quadringentesimo septuagesimo octauo supra mille, in eos, qui turbare ciuitatis statum tentarũt. Inter quos cum Franciscus Saluiatus esset, Pisanæ Ecclesiæ archiepiscopus, quod per fraudem occupare palatium voluisse inuentus erat, ipsum ad eius palatij fenestras suspenderunt, Iacobumque Patium, equestri honore, magnisque opibus insignem, ei ad easdem fenestras addiderunt, quia in coniuratorum numero esse deprehensus erat, nec infami eius mortis genere contenti, mortuum pueris, vt per vrbem ab asino traheretur tradiderunt, ac postea longo ludibrio affectum, in profluẽtem Arnũ proiecerunt, publicatis quoque bonis, ignominiæ grauiorem notam apposuêre, sanctione facta, vt ea gens ex Florẽtina vrbe deleretur: item vt vicus, qui à Saluiata gente dictus erat, in posterum alio nomine appellaretur. Honorem etiam recenter excusi ignis sabbato sancto, quem magno apparatu, ea familia per vrbem circumferebat, vt volentibus impartiretur, ad priores

(is magistratus est) lanificio præfectos transtulerũt: vt autẽ huius acerbæ seueritatis perpetua memoria extaret, ad fenestras vbi appẽsi fuerũt, illi in quos animaduerterũt, effigies eorũ, in eo statu, in quo suspẽsi mãserãt, pingi iusserũt.

De Matthia Hungariæ rege.

Exemplis quæ de seueritate ponenda duximus, finẽ Matthias Coruinus Hungarię rex imponet. Is tonsori suo, quẽ pergratum habebat, locupletauerat q;, labra ac nasum desecuit, atq; in lance ferri iussit: quod is in regio cubiculo, ministris Aragonij Cardinalis legati, vxoris suæ fratris, posteriores vestium partes, per iocum mutilauerat, & ipse rogatus eius facti causam exprimere, ridens regi fassus erat, cui pœnę eũ rex damnauit, vt qui in maleficio ridebat, sem per exertis dentibus etiam cum fleret, ridere videretur.

DE IIS QVAE GRAVITER DICTA *vel facta sunt.* Cap. IIII.

CRauitas in verbis rebusq́ue, cum superbia aut iactantia caret, in omni hominum genere laudatur, & tamen ijs præcipuè, qui in ampliore fortuna constituti sunt, congruere magis videtur. Eius igitur nonnulla à nobis exempla scribentur, ex ijs quæ in eo genere clariora ad manum nobis venerunt, atque eam rem ab Athenięnsibus ordiemur.

De Athenienſibus

Relictus in Græcia à Xerxe Mardonius, cum ingenti exercitu, vt Græcos ad imperata facienda cogeret, optimũ in ea re duxit, si ferere inter Græcos discordiam posset: itaque ad Athenienses scripsit, Si discedere ab aliorum Græcorũ societate vellent, offerre se, eorum vrbem, quam Xerxes incẽderat, pecunia sua restituturum, Græciæq́ue administrationẽ, posteaquam subacta fuerit, Athenięnsibus relicturũ: Ea re audita Lacedæmonij, quia graui inopia pressos Athenienses videbant, quod eorum vrbem Xerxes direptam incenderat, veriti ne rerum necessitate magis, quàm iudicio compulsi, conditionem acciperent, legatos Athenas miserunt, qui populo offerrent: Si Spartam coniuges liberosq́ue mittere Athenienses vellent, eis Lacedæmonios rerum omnium ad ducendam vitam libenter gratis copiam factu-

ros:

tos: quibus Athenienſes reſponderunt, Non miratos ſe, ſi Perſæ putaſſent auro Athenienſes adduci poſſe, vt aliquid præter dignitatem facerent: quia pluris aurum quàm mẽbra ſua, atque ipſam vitam Perſæ facerent: mirari quidem, nec mediocriter commoueri, cum à Lacedæmonijs ea audiant, quibus oſtendi videtur, ipſos præſentem Athenienſium neceſsitatem intueri, ſed nihil prorſus eorum animi magnitudinem meminiſſe: itaque reſpondere Lacedæmonijs legatos iuſſerunt Athenienſes, Quicquid auri intra terræ viſcera conditum eſt, & ſupra humum per totum terrarum orbem conſpici poteſt, eum Græciæ ſalute non collaturos eſſe. Perſarum igitur literis reſponderunt. Dum eũ curſum ſol tenebit, quem tenuiſſe hactenus Perſæ viderãt, Athenienſes bello perſequi Perſas non deſituros, antequã violata Athenarum templa incenſasque domos, pro vrbis dignitate vlti fuerint.

De Conone Athenienſi.

Non minori grauitate vſus eſt cũ Perſis Conon, cũ ſuperatis à Lyſandro Athenienſibus, coactus Pharnabazum adire, Artaxerxis Perſarum regis generum ac ſatrapam, vt eius opera, opem aduerſus Lacedæmonios impetraret: ab eoque miſſus ad Xerxem, vt Thiſaphernem ſatrapam tanquam ſuum, atque Athenienſium hoſtẽ, accuſaret. Poſtea quam ad valuas regiarum ædium peruenit, & miniſtros regios quis eſſet docuit, ab eis monitus eſt, vt ſi Xerxem alloqui vellet, morẽ Perſicũ ſeruaret, ac ſe regi indicaret: quod ſi facere nollet, quæ coram ſi ipſe loqueretur, dicturus eſſet, ſcripta daret. Conon & ſi ſatis intelligeret ſe coram loquẽtem, melius rei ſuæ ſatisfacturum, reſpondit miniſtris, Sibi nequaquam graue vnquam futurum, omni honore ac reuerentia Perſarũ regẽ proſequi, cæterum vereri, ne patriæ dignitatẽ imminueret, ſi cum miſſus eſſet eius vrbis legatus, quæ ſemper imperare conſueuiſſet, Perſarũ, & nõ vrbis ſuę morem ſeruaſſet. Itaq; ſcripta dedit ea, quæ dicturus erat.

De Themiſtocle Athenienſi.

Ab Athenienſibus abire nos non patitur, quæ in ea vrbe frequentiſima fuit grauitas. Itaq; à Conone ad Themiſtoclem tranſibimus, qui eũ ad mare deſcendiſſet, vt occiſorũ

Persarum stragem inspiceret, cum passim humi, cum mortuorum militum corporibus sparsos torques, & armillas aureas videret, & ad amicum conuersus, dixit: Tu qui Themistocles non es, ista collige: grauissimo verbo ostendens, conditiones quibus hominum gradus discriminantur, eas esse, quæ faciant, vt aliquid agere aut deceat aut non.

De eodem.

Cum Simonides poëta, prætoris Themistoclis operam pro amico in re iniqua peteret, respondit Themistocles: Nec Simonidem fore bonum poëtam, nisi mensuram modúmque in canēdis carminibus, quæ scribebat, curaret: neque se bonum Prætorem habitum iri, si legibus ac iustitiæ alicuius gratiam præposuisset.

De Lacedæmonijs.

Grauiter Lacedæmonij quoque Philippo Macedonum regi responderunt, cum rem iniquam ab eis petijsset, hoc enim responso vsi sunt Lacedæmonij Philippo regi. De eo quod ad nos scripsisti οὔτε. Nulla alia vel excusatione vel verbo addito.

De Syagro Lacedæmoniorum legato.

Grauissimum etiam fuit responsum Syagri, Lacedæmoniorum legati, cum vnà cum Athenienfibus, quo tempore Xerxes expectabatur, ad Gelonem tyrannum Syracusanū missus fuit, vt in eo bello, opem ab eo peterent. Nam cum Gelo offerret ducentas triremes, duo equitum, & octo peditum milia, ac preterea grandem pecuniam, ac vim magnā frumenti, si Græci in eo bello ducem eum creare vellent: Syagrus respondit, Non accipere se conditionem, quia ad quærendos milites, & non ad sumendum ducem, missus erat. Pluris enim patriæ dignitatem, quàm eam necessitate, in qua eos fortuna deprehenderat, facere voluit.

De Sene Lacedæmonio.

Cum in Spartanorum consilio, quidam vitæ parū probatæ, cæterum lingua promptus, sententiam suam apprimè prudenter dixisset: quoniam maiorem Senatus partem magnopere mouerat, & propterea dictum erat, vt in eius verba decretum conscriberetur: senex quidam inter alios vehementer Senatum reprehendit, quod ab illaudatæ vitæ homi-

homine, aliquo modo consilium cœpisse videri vellet, ostendens eiusmodi rē vehementer grauitati Lacedæmoniorum aduersari. Sed cum omnes illius tamen sententiam laudarent, persuasit, vt eandem ipsam rem, quam eloquens, cæterum parum bonus dixerat, ab alio, quanquam non æquè diserto, bono tamen viro dici iuberent, & sub eius nomine Senatusconsultum conficerent. Quamobrem, ne vt (monebantur) grauitatis immemores fuisse viderentur, bono vti consilio, authoris nomen præterierunt.

De Eumene Cardiano.

Eumenes Cardianus, qui inter Magni Alexandri successores annumeratus fuit, cū ab Antigono Asiæ rege, in Norana arce, in Cappadocia obsideretur, de pace in colloquiū, cum Antigono venit. In eo ingenti seruata verborum grauitate, nunquam de salute sua mentionem fecit, sed tanquā ipse Antigonum superasset, restitui omnia postulauit, grauitatis suæ minimè immemor, & si premente fortuna, grauiter affectus erat.

De Gallis.

Mentio hic de Alexandro facta, in memoriā me trahit, grauis cuiusdā respōsi, quod Gallorū legati, qui in propinquo agebant, ad petendā ipsius amicitiā profecti, dederūt. Nam cū ab eis causam timoris Alexander peteret, propter quē ipsius amicitiā eo tēpore postularent: arbitranti dicturos, Eius rei præpotentes ipsius vires causam esse: subridentes legati responderūt: Nihil aliud Gallos metuere, nisi ne in ipsorū caput cœlū ruereț, & tamen ingentis animi regū, sicuti decebat, amicitiam magnificere.

De Romano Senatu.

Ingenti grauitate Romanus senatus vsus est, cum vrbe à Coriolano atque Volscis obsessa, quanquam Senatusconsultum de pace conscripsisset, aperiri tamen nunquam voluit, nisi prius Romano agro Volsci, cum exercitu excessissent, ne aliquando diceretur, Timore coactos Romanos pacem cum Volscis fecisse.

Item de eodem Senatu.

Non minor etiā in eo grauitas habita fuit, cū tertio die post Cannensem cladē, Annibalis legatis, qui accepta fide,

cum quibusdã captiuis venerant, vt de redimendis ageretur, & sub eo prætextu, pacis mentionẽ inducerent: Lictorẽ extra vrbẽ misit, qui iuberet, vt eo die Romano agro cederent. Tã afflicta fortuna, cui iã vix vltra resistere amplius poterat, eiusmodi grauitatẽ austerè ostẽdit, qui ex præsentis fortunæ ratione optare, nedum non fugere, factam de pace mentionem debebat.

De Scipione Africano maiore.

Cum Scipio maior, in Africam traiecisset, & Carthaginenses bello defessi, aliquot legatos ad eum de pace misissent, dimisit eos, ita ne amplius redirent, nisi Terentium senatorem Romanum, quem captiuum habebant secũ adduxissent. Deductum igitur ab eis Terentium, lateri suo assidere iussit, atque ita Carthaginensium legatos audiuit, ac pacem quam petebant dedit. Vsus enim quæ virum Romanum decebat grauitate, egit, vt Terentius eodem die Carthaginensium captiuus, atq; pro tribunali sedens, petitæ à Carthaginensibus pacis arbiter esset.

De P. Licinio Consule.

Publius Licinius cõsul, cũ aduer Persam Macedoniæ regẽ, bellũ gereret, quanquã primo prælio, duo milia ac quingẽtos equites amisisset, de pace à rege Persa cõpellatus, grauitatẽ suã nõ omisit, dixitq;, Vt Persa totũ Macedoniæ regnũ, omniaq; alia quę possidebat, Romanis relinqueret, seq́ue eorũ arbitrio dederet: quibus rebus nihil maius à Persa peti poterat, si eũ Licinius prælio deuictũ pœnitus affixisset. Ostẽdere enim voluit Licinius, acceptũ in prelio incommodum, non animum ei, sed equos ademisse.

De L. Cornelio Sylla.

Bellum gerente in Asia L. Sylla, aduersus Mithridatem, Romæ C. Marius in vxorem fortunas atq; amicos Syllæ inuectus, grauiter omnes affecit: vt hac iniuria affectus Sylla redire Romam posset, in colloquium de pace cum Archelao Mithridatis copiarum duce, venit: hortatus autẽ Syllã Atchelaus, vt Romam ad vlciscendas iniurias reuerteretur, regis sui nomine daturum se offerebat classem, pecuniam ac milites, modo ei Asia aut Ponto cederet: cui non sine animi indignatione Sylla respondit. Et tu Archelaẽ, quam-

obrem

obrem non adduceris, vt cum po. Rom. amicitiam ineas, & tibi Mithridatis regnum assumas? Itaque cum eiusmodi proditionem Archelaus abominaretur, rursum Sylla dixit: Tu qui Archelaus es Cappadox, Barbari regis seruus precio coëmptus, ne tantum tibi regnum pares, pudore deterreris, ne vnquam regem tuum prodidisse dicaris: mihi qui Romani exercitus dux sum, & L. Sylla, audes proditionis me compellare, veluti si is Archelaus non esses, qui posteaquam parua celoce ab vrbe Roma profugisti, centũ viginti milia virorum bello amisisti? Quæ verba posteaquam Archelaus audiuit, pacem his conditionibus, quas Sylla volebat, accepit.

Item de L. Cornelio Sylla.

Qua grauitate Sylla cum seruo vsus erat, eandem, maioremque etiam, cum Mithridate rege, serui domino ostendit: nam cum ad Syllam oratores redijssent, nunciantes, regem Mithridatem ratã habere pacem, quæ cum Archelao composita erat, in qua id noui inducebatur, quod Mithridates retinere Paphlagoniam volebat. Sylla quanquam magnis necessitatibus premeretur, tamen non secus, ac si apud eum omnia quietissima essent, animi magnitudine aduersæ fortunæ superata necessitate, grauiter se oratoribus commotum ostendit, dixitque, Arbitratus essem, Mithridatem omni alia re contentum remansurum fuisse, si modo à me dextera ei relinqueretur, qua scripsit, vt tam multi Romani ciues, vno tempore trucidarentur: quod cum Mithridati à legatis relatum fuisset, in propinquum tutumque locum se contulit, vt in colloquium cum Sylla veniret. Illic cùm Mithridates, vt mos est Syllæ dextetæ suam iungere vellet: Sylla retrocesit, dixitque, Scire se prius velle, vtrum hostis an amicus Mithridates venisset. Cui Mithridates cum longa oratione, causam suam vt poterat defendens, conatus esset persuadere, vt Paphlagoniam ei dimitteret, ad eum Sylla, Haud me latebat, ô Mithridates, te eloquentia plurimũ valere, & tamen id in præsentia magis, etiam animaduerti, cum tot ac tam speciosis verbis, causam tuam, quæ iniquissima est, persuasisti tibi, æquã posse probare. Sed quæso respondes: Accipísne pacé

cum Archelão factam? cui cum Mithridates, Accipere se, respondisset, Sylla eum amicè complexus est.

De Q. Sertorio.

Post L. Syllæ ex Asia discessum, cũ Mithridates adhuc bellũ Romanis in Hispania mouere vellet, ad Sertoriũ legatos misit, qui ciuilibus bellis pulsus, in Hispania Iberiã, nullo Romani imperij permissu, possidebat: pecuniam autẽ ac classes Sertorio obtulit, si vt populi Romani proconsul, Asiam prouinciam ei concessisset. Cæterum, quanquã omnes, quos super his Sertorius in consilium adhibuerat, suaderent, vt quæ Mithridates offerebat accipere Sertorius vellet: arbitrabantur enim, cum à patria exularet, regis auxilia plurimum causæ eius collatura, præsertim, cum à Sertorio nihil daretur nisi vanum nomen eorum, quæ ipse non haberet. Sertorius quanquam eum necessitas premeret, tamẽ consuetam grauitatẽ non omisit, dixitque, Se nunquam adsensurum, vt Asia à Mithridate in pacis conditionibus accepta, ipsius Sertorij scriptura aut concessione, Mithridati data videretur. Etsi patria exul Romanorum armis infestaretur, id tamẽ tanti apud se non esse, vt Mithridati Asiæ possessione cedendum duceret. Se quidem contentum fore, vt prouinciæ Cappadocia atque Bithynia ei darentur, quod hæ iuris populi Romani non erant. His addebat, non se cũ hostibus decertare, vt Romanũ imperiũ minueretur, sed vt illud potius pro viribus augeret, quoniã etiã salus atq; vita ipsa, ijs postponenda sit, quæ dedecus secum traheret. Quæ Sertorij verba, cum Mithridates accepisset, fertur astantibus dixisse. Quid arbitramini facturum Sertorium fuisse, si & domi & consul esset! cũ exul atq; in extremo terrarum orbe positus, etiam leges imponat & cõminetur, itaq; quas Sertorius voluit, cõditiones accepit.

Item de eodem.

In conditionibus quas cũ Mithridate aduersus Romanos Sertorius iniuit, misso in Asiam Mario prætore, vt suo ac populi Romani nomine, eã prouinciam obtineret: cauit, vt cum fascibus Mithridatem Marius præcederet, donec in ea prouincia Mithridates maneret, neque enim exilium aduersæque res, animum eius infregerant.

De

De Eleazaro Iudæo.

Grauitatem non omisit Sertorius cum Mithridate, eius quoque in vinculis Socrates non oblitus est, cum oratione Lysiæ, quod ipsius iudicio nimis humiliter se demitteret, vti velle negauit. Grauior vtroque Eleazarus Iudæus fuit, cũ Antiochus Epiphanes Syrię rex, ad idololatriã transferre Iudæos tentans, cogere Eleazarum, vt carne suilla vesceretur, enixus est, ad quam rem cum adduci nullo modo Eleazarus posset, ne vi quidem, eius aperto ore, tandẽ ad mortem deducebatur. Id quod grauiter cum nonnulli qui eum amabant, perferrent, seorsum deducto dixerunt: Satis ad effugiendam mortem esse, si vesci fingeret, quanquam re ipsa nihil manducaret, quibus turbato vultu Eleazarus respondit: Egóne, qui iam nonagesimũ excessi annũ, qui scriba, qui nobili genere inter alios Hebræos insignis habeor, vt puſillum vitæ spacium mihi prorogem, hac in re fingere incipiam, à qua multi qui nunc in iuuentæ flore constãter in lege nostra perstant, exemplo meo mori præuaricabuntur? Nolo igitur non modo hoc admittere crimẽ, sed ne id quidem committere, vt illud perpetrasse me homines suspicentur. Longè enim eã infamiam exemplumque quod inde manare poterat, amissa grauitate, pluris fecit, quàm mortem: eam enim præsentem intuebatur. Si quidem statim post illud responsum occisus fuit.

De Catone iuniore.

Pulsus Aegypti regno Ptolemæus, & opis petendæ gratia Romã profectus, ẽ re sua fore putauit, si cũ iuniore Catone de causa sua loqueretur, itaq; quod optabat, Catoni significari iussit, sperans re intellecta, eũ ad se venturum. Exonerabat ventrem Cato cum id accepit, ita respondit, Si quid à se Ptolemeus vellet, domum ad se veniret: ne tum quidem, cum ad ipsum accessit, obuiam se Cato præbuit, sed penè ceu prorsus priuatæ fortunæ hominem excepit, quare Ptolemæus vehementer turbatus, quod Catoni, sub liberæ popularisque vitæ nomine, tãtum inesset superbiæ. Posteaquam grauem eius sermonem audire cœpit, odium in admirationem conuertit. Reprehendere enim eum cœpit Cato, quod propter discordiam, quæ ei cũ popularibus

suis esset, Romam opis petendæ gratia ad eos venisset, qui præ auaritiæ magnitudine eum expilandi nullum finẽ facturi essent: itaq; cum hortari, vt eum suis reconciliare amorem vellet, seq, eius rei gratia in Aegyptum vsq; profecturum offerre, sequestremq; concordiæ fore. Catonis consilium probabat atque illud sequi constituerat, cæterum postea in contrariam sententiam aliorum suasu deductus, diuersam ab ea quam Cato proposuerat, viam inire cœpit, tardeq; eum pœnituit errati, dum quod Cato suadebat, omisit, quia experiendo longè melius quàm alios, rebus suis Catonem consulere palàm perspexit.

De Probo Imperatore.

A rigido Catonis animo, ad imperij culmen transibimus, vbi seueritatis similitudo fuit. Cum ab orientalibus exercitibus Valerius Probus Imperator, nec quærens, nec volens creatus esset, militibus qui eum elegerunt dixit: Nõ est è re vestra, imperium meum ô milites, neque vt arbitror mecum conuenietis: quoniam ego vt vobis blandiar adduci nunquam potero. Magna enim grauitatis suæ commendatione rigiditatem seueramq; vitam suam ostendit.

De Zenobia regina Palmirensium.

Regina Palmirensium Zenobia, cum ab Aureliano Augusto capta esset, Aurelianus ab ea petijt, qua re freta, æquare se Romano Imperatori ausa esset? Ipsa quanquam captiua, atque in vltima fortuna constituta, respondit: Te qui vincere scis Imperatorem agnosco, sed Galienum, Aureolum atque alios eis similes, nunquã Imperatores duxi, itaque si optatis meis fortuna respondisset, imperij consors ac socia tibi esse volebã. Mira res profectò fuit, fœminam captiuãq; de participando imperio, cũ Romano Imperatore mentionem facere ausam esse. Nunc quia de priscis satis est dictum, ad recentiora transeamus.

RECENTIORA.

De Rollone Normando.

Rollo Normandus, cum Caroli opera cognomento Simplicis, Gallorũ regis, qui Imperatoris etiã appellatione insignis erat, recens cum suis ad catholicam fidem esset perductus, Roberti nomine nuncupatus, Neustriæ ducatus iure

(quam

(quam postea à se Normandiam Notmandi vocitarunt) à Carolo, vnà cum regione Britannia dicta, quæ est in Mo rinis in Gillæ Caroli ipsius filiæ dotem donatus. Qui cũ Roberto erant, cum monuerunt morem exigere, vt in eiusmodi re, deflexo genu, pronus, Carolo pedem deoscularetur, sed cum is meminisset sæpè deuictos à se Gallos esse, arbitrabatur profectò indecorum, vt ipse eorum regem tã veneranter adiret. Itaque nequaquam pronus, Carolo pedem cœpit, atque ita eleuauit, vt stans ipse, cum alte in solio Carolus sederet, deosculari eum minimè deflexis genibus posset, quæ res egit, vt nimium elatis pedibus Carolus è solio supinus caderet.

De Hugone Cæsariensi equite Gallo.

Hugo Cæsariensis, Gallus eques, ab Almarico Hierosolymarum rege, legatus ad Elhadechum Calypham Cayri vrbis missus, vt aduersus Calypham Baldacensem cum eo fœdus iniret, cum è more data vtrinque dextra, res stabiliëda esset, vt vidit Hugo, Calypham non dignari eum dextræ suæ contactu, & idem Sulthanum Suar, & Admiratos facere, dicentes Calyphæ personam humanam excessisse conditionem, & ceu sacram fas non esse ab homine contingi, præsertim qui diuersa coleret numina, denunciauit se infectis rebus inde abiturum, nisi Calypha eo modo, quo ipse Almarici regis nomine dextera data, ac iureiurando fœdus sanciret. Coactus igitur, cum ita rerum necessitas vrgeret Calypha, dexteram Hugoni, sed sericeo velatã patino porrexit, contingere autẽ eam Hugo abnuit, nisi cũ ipse nudam porrigeret dextrã, nuda etiam à Calypha porrigeretur. Itaq; Hugonis grauitas extorsit, vt nudam ipse quoque dextram Calypha daret.

De Georgio Despoto Seruiæ.

Nequaquam Eleazaro, de quo diximus, dissimile illud fuit, quod Georgius Seruiæ, ea Mæsiæ pars est, princeps ac dominus egit, quanquam re ipsa, à vera sapiẽtia magis aberrarit. Nã cum Græcorum errorem sequeretur, in catholica fide, & regno suo à Turcarũ rege Mahumete pulsus esset, ad Ladislaũ Hungariæ regem, in Austriam se contulit, vt opẽ ab eo peteret. Cũ autẽ fortè euenisset, vt cũ Ioanne Capi-

Capistrano, qui ordinem minorum profitebatur, atque eo tẽpore aduersus Christi hostes, in ea regione magna apud eos populos existimatione cõcionabatur, sermones per interpretẽ sereret, hortari Georgiũ Ioannes cœpit, vt ad Romanæ ecclesiæ dogma veniret, quia id non animæ solùm, verùm mouendis quoque vehementius Hungaris, vicinisque gentibus ad opem ferendam plurimum esset collaturum: respondit, Haud decenter id agi posse, vt cum iam nonagesimum attingeret annum, neq; aliam induisset vnquam religiosam disciplinam, nisi quæ ei à maioribus tradita esset, nunc quanquam infœlix, prudens tamen, inter suos habitus, mutato dogmate, hac ætate, leuis vanusque iudicaretur: subiungensq;, Malle se regno priuatum laqueo vitam finire, quàm à paterna auorumque suorum religione discedere: à colloquio secessit.

De Sergio secundo pontifice Maximo.

Ludouicus à patre Lothario, qui Imperatoris nomen habebat, Augustus creatus, atque imperij consors et socius nominatus, cum magnis viribus grandique apparatu vrbem Romam peteret, vt ei Pontificis manibus diadema impositum sanctus haberetur, à Sergio secundo Pontifice ad sancti Petri valuas, quæ argentearũ nomen habent, quæ è more tunc Pontificis iussu clausæ erant, deductus est. Cum autem manu sua eum Pontifex teneret, senio confectus, inermisque ac solus, iuueni Ludouico nulla eius virium habita ratione, omnibus audientibus hæc dixit: Si Ludouice pacato animo venisti, recludantur fores, atq; ingredi tẽplum tibi licebit: quod si alio venisti animo, caue ne has fores contingas, quia vindex Dei gladius, in tuum tuorumque caput sęuiet. Cui cũ humanè Ludouicꝰ de animo suo respõdisset, reclusis foribꝰ tẽplũ iniuit, atq; illic è more fuit coronatus.

De Hildebrando qui postea Pontifex Gregorius septimus fuit.

Non minus grauis Hildebrandus fuit, qui ad Pontificatum electus, cum sciret cõsuetudinẽ esse, per id tẽpus, ne electus Pontificatũ iniret, nisi ante ab Imperatore confirmatus esset, ad Henricũ tertiũ, qui Augustus erat scripsit, vt à Simonia abstineret, denuncians se in Pontificatu confirmatũ, illud crimẽ si pergeret, nõ esse laturũ. Res profectò gra-

grauí Pótifice digna, sed nō minus grauis est quę sequitur.

De Rodulpho Imperatore.

Fuit Rodulphus Habspurgensis comes, in Ottochari Bohemi regis aula, magisterij domus honore insignis. Ottocharus autē alio nomine Primislaus fuit dictus. hic Rodulphus, virtute ad imperiū sibi viā fecit: itaq; cū ab Ottocharo, qui iam ei propter imperij nomen subijceretur, peteret. Vt secū fidei atq; obedientiæ sacramento adigeretur, indignatus Ottocharus, ei parere, cui iam ipse imperare cōsuesset, imperium neglexit. Rodulphus, qui cum nomine, animum quoq; Imperatoriū induerat, ne ius suum amitteret, armis id repetiturus venerat. Sed amicorum opera, tandem Ottocharus persuaderi sibi passus est, vt iuraret, modo inter paucos ea res ageretur, quod suppudebat eū, vt coram Rodulpho deflexo genu, in adorantis specie conspiceretur: Rodulphus vt grauis vir, & animi ingentis, sed nec minore ingenio, superbo regi annuit, vt intra tentoriū suū iuraret. Ad eum igitur postero die Ottocharus, rem occultam esse arbitratus, se contulit. Dum igitur in tentorium proficiscitur, inspicit Rodulphum chlamyde atq; diademate Imperatorio ornatū, in aureo throno principibus septū sedere, itaq; stupore captus, cū quid consilij iniret, nō videret, quia iam ad pœnitentiā regressus non erat, deflexis genibus, ad Rodulphi pedes iacuit. Vbi dum scriba lōgis verbis iuramenti formulam recitaret, tentorij latera, quæ ad eam rem per Rodulphum composita erant, cum ad terram corruissent, Rodulphum diademate insignem, Germanis Bohemisque in throno sedentem, Ottocharumque ad eius pedes iacentem, ostenderunt. Eo facto Bohemus rex vehementer indignatus, cum postea in Rodulphum arma cœpisset, vitam amisit. Ostendere enim Rodulphus Ottocharo voluit, pro fortuna animum habendum esse, & qui olim cum ei pareret, officio non defuerat, postea mutata fortuna, alium quoque induisse animum, atque sibi quoque alium deberi honorem.

De Geme Ottomanno.

Qui diligenter intuebitur, quæ iam de grauiter rebus gestis scripta sunt, et hoc quod de Geme Ottómāno scripturi sumus:

sumus: hoc ipsum tãto alijs maius videbitur, quãto hoc etiã plus est, quod superiores cũ liberi essent, hic autẽ captiuus id gessit, quod grauitatis nomen ac laudẽ tulit. Mortuo Turcarũ rege Mahumeto, Gemis patre, contẽtione orta cũ maiore natu fratre Baiazete, Gemes armis pulsus: in Petri Daubussonis potestatẽ venit, cum Hierosolymitanorũ equitũ primarius, Rhodi rerũ potiretur, ab eo postea ad Innocentium octauũ Pontificẽ, Romam missus, & si aliud fingebatur, re tamẽ vera Baiazetis fratris arte atq; pecunia, vt captiuus custodiebatur. Dum igitur Romã perductus, ad Pontificẽ in consistorium tendit (id sacri senatus nomẽ est) petijt, ante qui mos esset Pontificis adeundi? Itaq; ei, neq; pedem, neq; manum vt opinio erat, sed humerum tãtum deosculatus est. Cardinales autẽ solo cõplexu, nec alia re dignatus, inde discessit, haud aliter seruata grauitate, quàm si quietus regni sui possessor esset.

DE IVSTITIA. Cap. V.

GRauitati iustitiam annectemus profectò insignem, neque verò hanc, aut leges, aut id quod ad exercendas leges magistratus gerunt, intelligimus: sed vim ipsam æqui & honesti, qua boni cauere solent, ne alteri faciant, quod sibi fieri nolient. Cui semper pudor comes est, qui continere ab omni re hominẽ solet, quæ etiam, si lege permittatur, aut in ea vtilitatis species sit, honestati tamẽ prorsus coniuncta non videtur.

De Collegio Tribunorum.

Cũ Tullus Hostilius Mancinus ædilis curulis, Manilia meretricẽ ad populum accusasset, quod nocte, prætereunti eius ędes, saxum in ipsius caput demisisset, vulnusque, ad faciendam acceptæ iniuriæ fidem, ostendisset, Manilia autem tribunos appellasset, dicens: Mancinum post cœnæ tẽpus fortasse plus æquo potum, ad ædes eius accessisse, vt ingrederetur, & quia non admittebatur, fores euertere molientẽ, saxis à foribus esse repulsum. Tribuni, maiori iustitię quàm dignitatis ac magistratus Mancini, aut etiã quàm Maniliæ turpis vitæ habita ratione, iudicarunt ædilem iure ab eo loco depulsum fuisse, quem adire ipsi honestè nõ licebat: & propterea prohibuerunt Mancinum, Manilium ad

ad populum in iudicium trahere.

De Augusto.

Augustus iam rerum potitus, cū accepisset à Casio Severo, veneficij reum factum esse Nouium Asprenatem, amicissimum suum, veritus si pro Nouio in iudicio compariisset, ne ipsius præsentia iustitiæ officeret: & si compare abstinuisset, ne præiudicium amico faceret, tanquam de eo male sentiret. Senatum consuluit, quidnā sequi eum oporteret? multorum igitur suasu ad iudicium profectus est, ubi neque pro Asprenate, neque in Casium aliquid locutus, eam rationem tenuit, vt neque amicitiæ deesset, neque iustitiam violasse putaretur. Ita igitur exemplum reliquit summæ moderationis plenum, vt scilicet amicorum quidē periculo subueniatur, sed ita tamen, ne aliorum iustitia oppriматur, & si in alterutro peccandum sit, debere homines præsertim qui publicam personam sustineant, amicitiæ iustitiam anteferre.

De eodem.

Et si in triumuiratu durus admodum habitus est, tamen in proscriptione, cū eorum notaret nomina, quos proscribere volebat, equestri dignitate ornauit Titum Iuniū Phippomenem, quod non sine periculo patronum suum occultauerat, quanquā per triūuirales leges, grauē incurrisset pœnā. Magis enim honestatē quā leges inspiciendas duxit.

De Populo Romano.

Proscriptus Atherius, à seruo suo accusatus est, qui triūuirali lege liberatus, fortunas etiam patroni eadem lege cō sequebatur. Seruus igitur, cum patroni filios despectui haberet, & ipsi rei atrocitate, præsertim cum adhuc tenella ętas esset, territi, lachrymantes silentesque eum sequerētur, veluti sæuam nimis illam rem, omnis populus abominatus est, atque ea triumuiris declarata, voluit, vt ingratus seruus denuo apud Atherij filios in seruitutem rediret, eisque patris bona restituerentur. Inter tam multa proscriptionis infanda facinora, in quibus crudelitas quoq; ingēs undiq; oboriebatur, aliqua iustitiæ imago, eiusmodi in re superuiuere adhuc ostēdebatur: si quidē veteri prouerbio nō insipiēter dicitur. Fieri non posse, vt illic homines diutius

tius viuat, vbi omni ex parte iustitiæ respectus sit extinct⁹.

Item de eodem.

Eadem causa, motus à triumuiris petijt, vt ijs seruus libertate donatus, præmium quoque acciperet, qui in spelunca, in qua eius latebat dominus, ipsius loco se constituit, vt pro ipso moreretur. Et mortuus esset seruato domino, nisi à conseruo detecta res fuisset: qui ob eã rem muneris loco, quod ei triũuirali decreto debebatur, cruci affixus fuit.

De Nerua Cocceio Imperatore.

Eodem modo, Nerua quoque Cocceius, iustitiæ cultorem se ostendit, statim, vt Domitiano occiso, ad imperij successionem vocatus fuit. Nam seruos omnes, à quibus ipsorum dominus accusatos inuenit, ceu ingratos perfidosq; iussit occidi, vt exemplum omnibus illius ordinis constitueret, ne ingrate eos accusarent, quorum seruitutis iure, acerrimi propugnatores esse debebant.

De Vitellio Imperatore.

Vitellius in Germania à militib⁹ Imperator creatus (aduersus Galbam Romæ imperantem, qui per id tempus ab Othone interfectus fuerat) cum postea Othonem in Bebriacis campis superasset, inter Othonis scripta commentarium inuenit, centum viginti virorum, ab Othone præmia poscentium, quod Galbæ morti, ad eam procurandam interfuissent: quanquam autem ipse inimicus Galbæ fuisset, iniquum tamen arbitratus est, non modo eiusmodi hominibus præmia dare, sed ne perpeti quidem, vt viuerent, cum principem suum precio occidissent: quæsitos igitur diligenter omnes, quos nactus est, interemit.

De Maximino Imperatore.

Eadem iustitia vsus est Maximinus, à quo Osdroëni rebellauerant, & Titum, siue vt Herodianus ait, Quarcinum Imperatorem elegerant: nam comiti eius Macedonio, qui Titum ipsum occidit, et in castra Maximino caput eius tulit, posteaquam longa oratione gratias egit, quod hostem Romani imperij occidisset, eum postea, quia socium suum proditione interemerat, securi percuti iussit.

De Aureliano Imperatore.

Aurelianus Imperator, cũ in Asia Tianã vrbẽ obsideret, quia

quia vi capere eam non poterat, Heracleonis Tianæ ciuis (qui in ea vrbe opibus plurimum poterat) opera in vrbem admissus, tulit ut à militibus Heracleon occideretur: quia eius, qui patriã suam prodidisset, cõspectũ ferre non poterat: & ne auaritia id egisse putaretur, quia vir ditissimus Heracleon erat, eius fortunas omnes liberis incolumes seruauit. Cum autem ad Manlium Chilonem rem vt gesta erat scriberet, ostendit, à se proditores diligi nõ posse: neq; illis eum fidem vnquam seruaturũ, qui patriæ non seruassent.

De Alexandro Magno.

Alexander Magnus, haud in dissimili re, sibi quoq; perfidiam grauem esse ostendit. Nam postremò prælio quo Persarum regem euertit, cum Bessum cœpisset qui fugientem regem (quanquàm ei arcta affinitate, proqinquus) occideret, ab eo petijt: Quamobrem id facinus perpetrasset? respõdentem autem, Id se, vt ipsi rem gratam faceret, egisse: pedibus eum deflexis ad terram duabus arboribus alligauit, indeque in pristinum statum redeuntibus arboribus in duas partes eum diuisit, illius perfidiæ ac sceleri munere, ex rei qualitate adinuento.

De Dauide Iudæorum rege.

Eodem iustitiæ genere Dauid erga Rechab & Banaa Iudæos vsus est, cũ occiso Isboseth Saulis filio ad regnũ aduersus Dauidem aspirante, facinus, ei veluti rem pergratam nunciarunt: nam & grauiter eũ casum indoluit, & statim percussores ipsos interimi iussit, manusq; ac pedes eorũ suspiscinam Hebron affixit.

De Mithridate Eupatore rege Ponti.

Si in aliena iniuria, iustum se præbere, laudem meretur, quo præconio satis pro merito extolli poterunt, hij, qui ne vitæ quidem suæ periculo adducti sunt, vt iustitiæ terminos excedere vellent, præsertim cum in principatu constituti, arma gererent: & non ingenio suo tantum, verumetiam vsu immanitati assueuissent, ita egisse inuentus est Mithridates Eupater Ponticus rex. Nam cum bellum aduersus Romanos gereret, Attilius Romanus senator, exilio mulctatus, ad Mithridatem se cõtulerat, tanquã illic tutò futurus, re autẽ vera, sperabat si eũ occidisset, reditũ se in patriã

consecuturum. Sed redetecta. Mithridates Attiliũ consciośque morte cum affeciſſet, ſolis ſetuis ignouit, arbitratus vt regem æquum decuit, ſeruitutis nexu coactus, fortaſſe, ſtudio etiam ac beneuolentia in dominum omnib. in caſibus fidem prẹſtare voluiſſe.

De Cynnamo Parthorum rege.

Cum Parthi ciuilibus diſcordijs regno Artabanum regem deiecisſent, & is Iazate Adiabenorum regis armis adiutus, redire in regnum ſatageret, Parthi non modò propter imminens bellum, verumetiam alijs rationibus moti, cum depulſi Artabani eos pœniteret, ad ipſum atq; Iazatem legatos miſerunt, monentes, Libenter, ſe ab eis optata facturos. Sed cum depulſo Artabano ei Cynnamum in regno ſuffeciſſent, & ceu regi fideles ſe fore iuraſſent, à iureiurando diſcedere religio erat. Quam rem cum Cynnamus intellexiſſet; Artabano atq; Iazati ſcripſit, vt veniret, quoniam Parrico regno Artabano ceſſurus eſſet. Hi autem cũ venirent, Cynnamus regia veſte diademateq́ue ornatus obuiam profectus eſt, & cum primum Artabano appropinquauit, ab equo deſcẽdens, ita loquutus eſt: Cum Parthi te regno pepuliſſent Artabane, atq; ad alium transferre adẽptum tibi vellent, eorum rogatu illud accepi, ſed poſteaquã cognoui, eis cordi eſſe, vt te verum propriumq́ue ipſorum regem, in regnum reſtituãt, vnumq́; illud obſtare, ne id inuito me ab eis agatur, nõ modo eis nõ obſtiti, verũ quemadmodũ vides, (põte mea, neq; ob aliã rẽ vllam regnũ tibi reſtituo. Et cũ hæc dixiſſet detractã capiti ſuo tiarã ipſe Artabani capiti, manu ſua compoſuit. In eo enim iuſtum ſe præbuit, propter quod mortales non modo iuſtitiam deſerunt, verum omni quoque ſcelere manus nomenq́; maculare non reformidant.

De Artaxerxe Longimano Perſarum rege.

Artaxerxes Longimanus Perſarum rex, ſemel rem iuſtiſſimam, & omnibus exemplo futuram peregit. Nam cum Sathybarſes à cubiculo, pergratus eius miniſter, rem ab eo enixè peteret, quàm Artaxerxes iniuſtam eſſe perſpiciebat, ſciretq́ue, inde ad Sathybarſem Daricorum triginta miliũ munus peruenturum, perferre coram totidem quæſtorem ſuum

sum iussit, eaq; Sathybarsi dono dedit: monens, Hac summa data nihilo se pauperiorem fore, cęterum si quod Sathybarses petebat egisset, minus se iustū habitū iri: & re & verbo verè regio, reges principesque alios monens, quantò plus iustitiam quàm amicos aut thesauros facere debeāt. Neque eum largum ac liberalē dici posse, qui alienū largiatur.

De Antiocho tertio Asiæ rege.

Antiochus tertius Asiæ rex, omnibus regni sui vrbibus scripsit, Si quid in literis, quæ eius nomine scriberentur esset, quod legibus aduersum videretur: crederent, ignaro se, eiusmodi literas scriptas fuisse, & propterea eis non parerent. Sanctissimū profectò verbum, & quod iusto regi maxime cōueniat, vt quemadmodū ipse populis præest, ita ipsi leges atq; æquitatem præesse intelligatur.

RECENTIORA.

De Guntramo Burgundionum rege.

Persimilis quibusdā de quib. diximus, Guntrami Burgūdionum regis iustitia fuit, qui cum bellum gereret aduersus Gondoaldum, qui sub falso, tanquā eius frater esset, nomine occupata Burgundiæ parte, regni titulum inuaserat, cum Sagittario atq; Monnialo episcopis, quibus Gondoaldus ceu amicis plurimum vtebatur, Guntramus rationem iniuit, qua Gondoaldus occideretur: quod cū fieret, ipsos quoq; episcopos, quia ministri fuerant, interimi iussit, ne pessimum exemplum maneret, vt aliquis prodere eum auderet, quem semel dominum agnouisset.

De Sancio tertio Castulonensi rege cui Desiderati cognomentum fuit.

Quam laudanda etiam Sancij tertij Castulonensis regis iustitia fuit, cū is voluit vt fraternus amor, & ipsa quoque ambitio cederet, peculiare principū penè omnium crimen ac venenum. Nam delatorum impulsu, qui ceu præsentaneum venenū, amicitias principumq; aulas ac regna euertere solent, Ferdinandus secūdus Legionensis rex, Pontio comiti Minerbæ, veteri paterno amico, bellum intulisset, multaq; iam ademisset, Sancius re audita, statim compacto ingenti exercitu, aduersus fratrē profectus est. Is autē minimè talē casum veritus, repētinoq; ac inexpectato hoste perterritus, in equū cōscendēs, paucis comitātib. in fratris

castra perrexit, seque supremum ipsius ius agnoscere velle obtulit: arbritratus alia nulla ratione, in tali casu suum se regnũ seruare posse. Sancius autem vt iust⁹ rex, ac minimè impius frater, spretis omnib. quę obtulerat, dixit: Nõ idcirco se arma mouisse, vt vel regni eius possessionẽ cuperet, vel eum ditioni suæ subigeret, sed id solum spectasse, vt comiti Pontio, ablata restituerentur, cum is communi parenti verus amicus fuisset, fortemque ei operam, aduersus Mauros præstitisset: quo facto, retrò vnde venerat, in fines suos se recepit.

De Ferdinando rege Aragonio.

Insigne quoque inter iustitiæ egregia facinora illud fuit, quod Ferdinandus patrauit, qui postea per creationem, ad Aragonium regnum conscendit. Hunc Henricus frater Castulonensis rex tutorem filio puero reliquit, is autẽ regnũ tanta iustitia rexit, quod in magno Castulonensium conuẽtu actum est, vt ad ipsum Hispanienſis regni titulus deferretur: quem honorem, cum se accepturum ostendisset, omnesque, in locum rei agendæ designatum conuenissent, ipse ingentem chlamydem regio more amictus, in qua nepotem puerum occultum tenebat, cum omnium sententiam postulasset, quæ eiusmodi fuit, vt ad ipsum Hispaniarum regnum deferretur, repente nepotem paruum, è chlamyde extulit, & cum collo suo imposuisset, exclamauit: En Castulonenses regem vestrum: cui restituto postea regno, auctisque omnibus rebus, ostendit, quàm in eum iustus fuisset.

De Tancredo Normando.

Iustus quoque Tancredus Normandus fuit, qui cum apud Boẽmundum patruum, Antiochiæ principem, in Syria esset, patruo eius in prelio ab infidelibus capto, pro patruo tres annos principatum rexit, auctisque finibus, auctoque thesauro, grãdi precio patruum redemit, eiq; omnia restituit: non minus in patruum ipse iustus, quàm Ferdinandus in nepotem fuerat.

De Balduino Burgensi tertio Hierosolymarum rege.

Huius iustitiæ atque fidei non minora experimenta, maiore etiam periculo, Balduinus tertius edidit: cum mortuo Rogerio, propter puerilem nimis ætatem, Boẽmundi iu-

di iunioris, qui Rogerij nepos Boëmundo seniore patre natus erat, & ea tempestate, in Apulia agebat, ab Antiochenis ciuibus, datam Antiocheni principatus administrationem, suscepit. Nam non solum ingenti impendio, periculoque principatum defendit, verumetiam illius gratia, à Turcis captus fuit, è quorum manibus biennio post, magno auri pondere se redimit. Et tamen, cum ad eum Boëmundus iunior, repetendi principatus gratia venisset, libere statim illum ei restituit, quem à Rogerio patruo, antea impetrare nequiuerat. Admirandus profectò iustitiæ cultus, in eo iustum se prabere, in quo mortalium plerique; ius violant, & impietatem exercent.

De Saladino Sultano Aegypti.

Digna est profecto Saladini Sultani Aegyptij iustitia, de qua mentio fiat, cum in Oriente Syriaque, vbi ea quæ super diximus iustè gesta esse narrantur, is humanum seuerumque ac simul iustum se ostendit. Seuerum quidem, cum captos in prælio Guidonem Lusignanum Hierosolymarum regem, & cum eo multos alios principes omnes humanissimè habuit, excepto Raynaldo Castiliono, qui Antiochiæ principatum obtinebat, cui manu sua caput ademit, quod contra inducias fidem bellum ei intulerat. Humanum postea erga eos qui in arce Crach (olim deserti petra nuncupata) biënium obsidionem post amissas Hierosolymas, Syriamque omnem sustinuerunt, cum vltrà fames resistere eos prohiberet: non modò enim incolumes omnes seruauit, verum filios quoq;, atq; vxores in obsidione duëditos, vt vnde alerentur, haberent, redemit, ac præterea ingentem pecuniam dono dedit, & cum præsidio in Christianorum populorũ fines remisit. Dignos arbitratus qui iuuarentur, quia fidelem fortemq; operam præstiterãt. Omnes enim, prout vel scelus, vel bonitas ac fides, aut pœna, aut munere dignos fecerat, prosequutus est.

De Abenyuza Sultano Marrochi.

Quanquã in parte longè diuersa, ab ea in qua Saladinus ilia gessit, quæ scripsimus, iustum tamen eque Abenyuza Marrochi rex se ostendit, Alphonsum duodecimum Hispaniarum regem, magnis delatorum artibus, Sancius quar-

tus eius filius regno pepulerat, atq; ita eius fortunam attenuauerat, vt diadema pro magna auri summa Abenyuzæ Mauro Marrochi regi, pignus dare cogeretur. Abenyuza autem, vt iustus atq; ingenti animi rex, audita Alphonsi necessitate, nõ solum pecunia iuuit, verum magno quoq; exercitu ei opem tulit, magnaq; in parte regni, pecunia sua eũ restituit. Aiebat enim, Regibus indecorũ esse, vbi possent, alios reges opera sua non subleuare, præsertim qui filiorũ impietate regno pulsi inuenirentur, cũ in his quæ ad parentes pertinent, filij ad eos insequendos, iustam habere causã nequeant: verbum vere regium, & quod iustitię cultorem summopère deceat. Abenyuzæ igitur factum, quis satis ex merito laudauerit? quem nec religionis diuersitas, nec bellorum odia (quæ diu inter ipsum Alphonsumq; acerbè fuerant gestæ) retinuerũt, quo minus eum pecunia militibusque iuuaret, ac corpus etiam ipsum, dum mare traiecit, atq; in exteras gẽtes se contulit, periculis ingentibus obijceret, vnde commodum nullum expectabat. In quo illud etiã nõ parua laude dignum est, quod antequàm arma moueret, per legatos conciliare patri Sancium filium non omisit, id quod magis etiam Mauri bonitatẽ testatur. Nam hoc bellũ, quod nisi bonitate Abenyuza moueretur, alijs rationibus haud incommodum habiturus videbatur, finire quærebat, atq; in eo iustitiã, quàm cõmodũ suũ enixius pẽsitabat

De Conrado imperatore.

Iustus quoque in eo Conradus imperator fuit, cum in imperio Henrico succesisset, à quo Vencislaus Poloniæ dux, olim prælio victus, & imperio tributarius factus, postea rebellauerat & regem se dixerat. Huic cum Misias, in regno atque contumacia erga imperium succesisset, Conradus fratris opera coegerat eum deserta Polonia ad Vlrichum Boemiæ ducem confugere, qui ea tempestate, erga imperiũ hostilem animum gerebat. Vlrichus igitur spreta hospitali fide, Conrado si ipsius res componere veliet, obtulit se Misiam captiuum ei in potestatem daturum. A quo scelere ita abhorruit iust⁹ imperator, vt statim Misiã periculi, in quo versabatur moneret: ea re in qua iustitię cultus insignis apparebat, motus Misias, qui antea Cõradi armis nunquã cesse-

esserat, ad Conradū profectus, diadema deposuit, & consuetum tributum confirmauit.

De Arnaldo Gerardo Cathalano.

Inter tam multa regum atque principum insignia exempla, Arnaldo Gerardo Cathalano eum dabimus locū, qui ei pro immensa ipsius iustitia debetur. Hic in naue sua oneraria, cum Gulielmum Auriam perferret, quo tēpore Pisani Genuenses, graui inter se bello dissidebant, à Pisanorum nauib. captus, quæ Genuensiū tantū merces, ac bona quærebant, nec minis nec promissis adduci vnquam potuit, vt duo milia & quadringentos aureos nummos, qui duplices appellantur, detegere vellet, quam pecuniam dum ab hostibus oppugnaretur Gulielmus Auria ei cōmendauerat: quia non nat Pisanos, nō in Cathalanorū sed solū in Genuensiū bona inuehi. Arnaldus igitur posteaquā eū Pisani dimisserūt, secū eā pecuniā ad Genuēses simul deferēs, vt primū in Balearides peruenit, pecuniā tanto labore seruatam, Consuli Genuensium in Balearibus præsentauit, vt ipse eam Gulielmo restitueret. Facinus profectò nobilissimum, & quod ætas nostra fallax plurimum notare debeat: in qua non pecuniam modo eius generis, quæ sine arbitro tradita esset, verum depositam quoque, aut mutuo datam, auarum hominum genus, negare non erubescit. Pro eo autem facto Genuenses erga Arnaldum grati, ciuitate, multisque alijs commodis, scripto honorificis verbis diplomate eum donarunt.

De Carolo comite Carolois Philippi Burgundiæ ducis filio.

Ioannes Dinus, Ioannem Costanum Burgundionem accusauit, compellatum se ab eo dicens: Vt accepta grandi pecunia venenum perferret: quo Carolus Carolois comes, de medio tolleretur. Is comes posteaquàm Costanum securi percussit, Dinum quoq; ad se vocatum, interrogauit, Si Costanus pecuniā quam promiserat non præstitisset, eúmne accusaturus fuisset. Cui Dinus ne mētiretur, fretus quoq; sibi indultū iri palam fassus est: Se eū nō dete rurū: quāobrem Comes iussum Dinum Christiano more sacerdoti crimina sua fateri, eadem hora ipsum quoq; secuti percussit. Iusta neque tarda mercede ei data, duarum

proditionũ, quas & amico & domino suo simul patrarat.

DE FIDE PVBLICA ATQVE PRIuata. Cap. VI.

PVblicam priuatamque fidem, non patietur solum iungi sibi iustitia, verumetiam veluti mẽbrum capiti suo perneceſsarium inuitabit, & ceu porrecta manu, vt sibi coniungatur, & rogabit & annitetur. Sublata enim fide quid erit, aut quomodo iustitia consistet? Fides quoque sublata, iustitia, quid aliud, nisi nomen esset inane? quamobrem cũ vtramque natura coniunxerit, à nobis minimè disiungentur. Huiusque fidei quædam à nobis, vt ante de iustitia fecimus, exempla commemorabuntur: ex quibus apertè deprehendentur, fidei præsidio, imperia, thesauros, vitam denique non aliorum modo, sed inprimis ipsorum regũ, & principum custodiri. Hac fide per inducias atque oratores fidem immanibus bellis imponi: per hanc paruæ papyri tela, aut etiam fine literis consueta tesſera, ac symbolo, inter medios hostes iter incolumes facere homines. atque ab iniuria seruare. Itaq; iure nostro affirmare possumus, sublata ex terrarum orbe hac fide, pacem atque hominum commerita bonaq; alia, omnia ex humano genere sublatum iri, mortalesq; sine ea, ferarum animos, moresq; in humanis corporibus seruaturos, fuisse.

De Iesu Naue, alio nomine Iosue, duce Hebræorum.

Cum Iesus Naue filius, alio nomine Iosue nuncupatus, Moysi in Israëlis principatu succeſsisset, atq; in terrã à Deo promissam, Hebræos induxisset, & iuxta diuinum imperium, Cananeos omnes, quos capere contigebat, occideret, Gabaonitæ ipsi quoque, Cananei qui loca propè Hierosolymas incolebant territi, ad eum legatos miserunt, dicẽtes: Quanquàm longè à Cananeis abesſent, ad eum, se ceu ad amicum missos, vt cum ipso pacem ac fœdus inirent, & vt regionis suę longinquitatem, vero similem facerent, tritis vestibus venerant. Ea Iosue arbitratus vera esse, pacem cũ eis composuit, ac fœdus percussit, atque vtramq; rem iure iurando sanxit. Detectum postea fuit, eos longinquitatem mentitos, & Cananeos esse, itaque & si sciret Iosue, sibi à Deo imperatum, ne cuiquàm Cananeorum parceret, tamẽ cum

cum ad iusiurandi vim animum adiecisset, atque fidei iã da honorẽ pensitaret, eam cæteris rebus reposuit. Persuasus sibi, Deo ante omnia cordi esse, vt illesa seruaretur fides, sœuti experimento deprehensum est. Siquidem nihil plus de ea re, quàm de cæteris, à Deo reprehensus fuit.

De Senatu Romano & Publicola Consule.

Inita pace, à populo Romano, cum Porsenna Ethruscorum rege, soluta que obsidione Porsenna, initæ pacis pignus obsides que decem patriciorum filios, vtriusque sexus accepit. Facta autem virginibus balneandi copia, quia cuiusdam honoris gratia secesserant, ipsæ traiecto amne, penes omnes Romam abierunt. In eis Valerij consulis filia erat, qui superato paternę charitatis affectu, senatui persuasit, vt virgines ad Porsennam remitterentur, & publica fides illesa maneret.

De Abydenis.

Parem Saguntinis erga Romanos fidem, Abydeni erga regem Attalum Rhodios que fœderatos suos, seruauerunt: nam cum ab eis triremem, & aliquot milites in vrbe præsidij gratia accepissent, oppressi à Philippo Macedonio rege Abydeni, ita vt vltrà se tuendi spes iam non superesset, oratores ad Philippum, de vrbe tradenda miserunt, petentes vt incolumes seruarentur, quos à fœderatis subsidio missos, in vrbe habebant. Hoc cum eis Philippus negaret; statuerunt potius seruata amicis fide emori, quàm eos qui auxilio venerant fefellisse videri: quamobrem omni auro, quod habebant, nauibus impositio, reliquas opes in mediũ foru contulerũt, & profecti ad eam muri partẽ, quæ hostiũ vi diruta, plus periculi habebat, illic iuuentus se hosti opposuit, eo ordine, vt si succubuissent, hostis que, ipsis mortuis, vrbe potiturus videretur, seniores incensis ijs quæ in foro posita erant, ac nauibus quæ in portu aurum continebant demersis, reliquos omnes occiderent, vrbemq; inanem hosti relinquerent. In hãc igitur deliberationem inito prælio seniores, vt acceperunt iuuentutem maiori ex parte cæsam, ad Philippum dedendæ vrbis gratia miserunt, quod cum pauci iuuenes, qui prælio superfuerant intellexissent, occisis primo sacerdotibus qui iusiurandi pricipes fuerant,

rant ne vrbs dederetur, deinde senioribus, cum omni alio sexu, demersis nauibus in portu, vrbem quoque totam succenderunt. Eam rem ob furoris magnitudinem Philippus vehementer miratus, ab oppugnatione abstinuit, edixitq; triduum Abydenis cõcedi, vt ex commodo suo se interimerent. Fides profectò hæc & rara, & cuius perpetuò memoria seruetur digna.

De Sexto Pompeio.

Memoranda quoque Sexti Pompeij, qui Magni filius erat, fides fuit: nam diù post patris mortem, cum Siciliæ Sardinieq; & aliarum insularum possessor esset factus, & propter Cæsaris mortem triumuiris videretur, ex quiete publica esse, pacem cum eo inire, data acceptaque fide, per legatos apud Puteolos ad cœnam se inuitarunt, & cum cœnarũ sors prima Sexto obtigisset, Octauius & Antonius apud eum in ipsius triremi cœnauerunt. Dum autem epulis opera interderetur, Menodorus Pompeianæ classis præfect⁹, qui olim seruus eius fuerat, misit, qui in aurem Sexto dicerent: Meminisse in triremi sua habere ea per quę paternam fratrisque mortem vlciscì, atque insuper imperio toto potiri posset, & propterea nisi ipse id fieri nollet, se ita classem ordinaturum: vt ne vnus quidem eorum, quos in triremi habebat, euadere posset: cui Pompeius respondit: Nulla re dicta, Menodorum potuisse id efficere, qui nec promiserat nec iurarat, verum posteaquàm illud ei significauerat, nullo modo fidem quam dederat violari velle: hoc responso, fidem hosti datam, sanguinis sui vltioni atque imperio ipsius populi Romani antepositi. Cęterum quoniã temporis longitudo interdum historiæ fidem incertam facit, recẽtiora in medium adducemus.

RECENTIORA.

De Petro Aleres comite.

Alphonsus Aragonius rex, qui Vracam Alphonsi sexti Castulonensis regis filiam vxorem duxerat, cum ea quod parum pudicè viueret diuortium fecit: ad eam Castulonensis regni, per patris mortem, hæreditas obuenerat, & communi nomine eam cum viro possederat: cæterum dimissa, in paternum regnum cum se recepisset, prefectos munitorum,

rum locorum, ac minores populorum dominos, qui Castulonensi regno fidem obstrictam habebant, requisiuit, Vt sibi soli tanquàm patris hæredi, in posterum parerent. Petrus Aleres comes Castulonensis, cum inito ab Vraca matrimonio cum Aragonio Alphonso, in Alphonsi manu iuraisset, nunc à regina postulatus, inter has difficultates, hãc vt vir iustus, non sine vitæ suę discrimine rationẽ iniuit, qua vtriq; fidem datam seruaret. Loca enim munita, & alia quæ in manu sua habebat Vracæ dedit, cum iure ei, quę patris erat hæres deberẽtur, vt vero Aragonio quoq; Alphõso pro fide, quã ei dederat satisfaceret, insigni Comitum veste amictus, mane ad eũ profectus est, cũ omnis purpuratorũ numerus adesset, & reste in collũ accepta, regi dixit: Loca omnia quæ fidei meæ credita erãt, quia in Castulonensi regno posita, reginæ Vracæ, vtpote quę mihi domi nata est, hæreditario iure debebantur, ab ea iusus tradidi. Vestri vt nosti, cũ eã duxisti vxorẽ, tibi quoq; fidẽ pro eis locis sacramẽto obstrinxi: itaq; pro ea tibi fide, corpus meũ, manusq; illas quæ iurauerũt, tibi præsens assigno, vt veluti eorum dominus in ipsa quod pro æquitate ac iustitia tua duxeris, statuere valeas. Quam rem cum rex omnesq; qui astabant non sine ingenti admiratione audiuissent, Petrus iuramento solutus est, quoniam eum omnes, pro vtriusque fidei nexu, satisfeciſse iudicarunt.

De Alphonso Petro Gusmano.

Insigne etiam fidei exemplum fuit illud quod Alphonsus Petrus Gusmanus egit, qui cum Tariffæ vrbi, Sanctij quarti Castulonensis regis nomine præfectus esset, atq; in ea arcta Maurorum, Ioannisq; Sancti ij, domini sui fratris hostisq; obsidiõe premeretur, nunquã aut precio aut precibus ad deditionem faciendã flecti potuit: cũ autẽ Ioannes, eius filiũ, quo in obsequio vtebatur, ad muros deduxisset, fœrus filij periculo, patrem motum iri, non modo id pater neglexit, verumetiã à muris gladiũ porrexit, dixitq; Nolle vt ei modus ad occidendum filium deesset: quo autem vultu de muris ensem deiecit, eodem occidi filium, nihil ab eo muratus inspexit. Ratum fidei exemplum.

De Marco Guterio Hispano.

DE

Cum graui longoq; bello Alphonſus nonus Legionenſis rex, cum Vraca nouerca, & fratre eius Didaco Harro decertaret, pulſis è regno ambobus, arcem Giuarrá longa ob ſidione præſsit: arci præerat Didaci nomine Marcus Gutterius, qui aut mortuis, aut profugis comitibus, quos in arce habebat, ſolus ad eam tuendam remanſerat, loci munimento adiutus. Cæterum cum ſuperatis alijs malis, fames hominem ita cõfeciſſet, vt conſiſtere amplius non poſſet, appenſis collo ſuo arcis clauibus in ipſa porta, vt illic incolumi fide moreretur, ſe poſtrauerat: hoſtes mirati, ab arce nec tormentis, qui in præſidio erant aliquid eniti, nec ſtrepitum vllum exaudiri, appoſitis ſcalis in arcem aſcenderunt, vbi penè exanimem Marcũ iacentẽ inuenerunt, quem ſtupore capti, cum ad Alphonſum tuliſſent, illic hortando alijsq; neceſſarijs rebus vt in vita maneret impensè laboratum eſt, poſteaquã ita Marcus ad ſeſe redijt, vt loqui poſſet, indoluit plurimum, quod emori ipſum, in ea arce non permiſiſſent, vt prorſus fidem quã promiſerat præſtitiſſe videretur. Dimiſſus igitur ab Alphonſo, poſt paucos dies, ad Didacum principẽ ſuum perrexit, qui tunc in Africam ſe cõtulerat. Cum in eũ, vt in ſingularis fidei virũ, laudes ab omnibus cõgeſtæ eſſent, quia Didacus dixerat, quanquã Marcus egregiã fidem præſtitiſſet, tamen arcem ſe ſuã optare, in eo Marcus aliquid deſiderari putabat, quod præſtare vltra debuiſſet: abiecta igitur omni viuẽdi ſpe, in extremæ fortunæ habitu, ad Alphonſum reuerſus eſt, atq; vbi eius canes ſtabulabantur, habitatum ſe cõtulit. Alphonſus intellecta reditus cauſa, & quam ob rem in gratam habere ſe uitam Marcus oſtẽderet, precib. lachrymisq; ipſius motus, Giuarrę arcem ei reſtituit. Marcus receptam paulò pòſt, confecto prius inſtrumento, illius neceſsitatis, in quam erat coniectus, Didacũ monuit ne fidei eius vltra obijci aliquid poſſet, Alphonſo, quia retinendi modũ nullũ eſſe, inſtrumento declaratum erat, eã reddidit: longè plus perfidiæ ſuſpitione, quàm ipſius mortis periculo motus: quo facto, triplicis rei iudiciũ, in ambiguo relictũ eſt. Fueritne hic maior Marci fides, an Didaci erga eum ingratitudo, aut inſignis in Alphonſo animi nobilitas?

DE

De Almenone Arabe Tolletano rege.

Non inter Christianos tantùm magni fidem factam esse constat, verùm inter Mauros quoque atque alias aduersæ religionis nationes. Hoc ita esse Almenonis arabis exemplum satis ostendit. Cum enim Sanctius secundus Castulonensis Nauarrensisq; rex fratrem suum Alphonsum, Legionis Lusitaniæq; regem cœpisset, & inuitum monasticã religionem profiteri coëgisset, clàm prius fide accepta, ad Almenonem Arabem Toletanum regem Alphonsus à monasterio profugit. Ab eo benigne exceptus, cum ceu filius haberetur, Sagi quibusdam notis Almenoni ostenderunt se deprehendere, hunc Alphonsum aliquando Maurorum imperij euersorem fore, & ob eam rem, vt interimeret hortabantur: assentiri illa suadentibus Maurus nunquàm voluit, sed iusiurandum modo ab Alphonso cœpit, dum videret, vim Toleto non illaturum: Cum haùd multò post, defuncto Sanctio, ad Alphonsum ipsum, non regna modo, quæ ante habebat, occupatore mortuo, verumetiã quæ fratris erant, hereditario iure peruenirent, Almenoni denuo suasum est, vt Alphõsum retineret, quia tantorũ regno tum dominus, maximi auri pondere redimi poterat: sed Maurus, in fide perstitit, dimissumq; in Castulonense regnum, comitatu ingenti, ac munerib. prosecutus est: quia norat, Alphonsum à suis clàm de fratris morte monitum (essi nõ deerant qui contra suaderent) abire ipso inconsulto noluisse. Qui igitur quatuor ingentia regna, secum conferauerit, cum magnis thesauris ad Alphonsum peruenisse, & præterea à natura insitum Mauris aduersus Hispanos odium, quæ duo, non Maurum modò hostem, sed quẽuis alium ab officio deducere potuissent, Almenonem fidei maximum cultorẽ fuisse iudicabit, nec minus Alphopsum, quod ob eadem causas, non modo clàm profugere non tẽtasset, sed datam fidem præstiterit, atq; vt Almenonem aduersus Cordubẽsem regem iuuaret, Toletum se, in eius potestatem contulerit. Sed nec cessit Almenon, cum Alphonsi fidem secutus, postea in eius castra profectus est.

De Populo Romano.

Rebellauerat Trasemundus Longobardus dux Spoletanus

nus à Luitprando Longobardorum rege, Luitprandus igitur coacto ingenti exercitu, paucis diebus omnia Trasemundo ademit, Is cum iam in vltimum discrimen se deductum videret, fide à Gregorio pontifice ac Stephano patritio Rom. populi Rom. nomine accepta, fore ipsum apud eos incolumem, Galesi arcē, quæ iuxta Tyberim posita est, populo tradidit: Luitprandus autē minis ingentibus Trasemundū dari, virū sibi subditū ac rebellē deposcebat, Romani obstare Trasemūdo datam fidem aiebant, Indignat⁹ igitur Luitprandus, vastato agro vrbem obsedit, diripuitque oppida quædā agri Romani quę ademerat, omnia tamen ferre Romani quàm datam violare fidem maluerunt.

De Genuensibus.

Non est illa quoque prætereunda fides, quàm diligentissimè Genuenses seruauerunt, quo tempore Gibellina factio (ita enim appellabant) in vrbe rerum potita, Obertum Auriam, & alterum Obertum Spinulam capitaneos habebat. Nam cum missi essent in exilium permulti Guelfæ factionis ciues: hi, vt mos exulum est (quibus in patriam reditus semper cordi est) Ottoboni Flisci Cardinalis opera (qui sub Adriani nomine ad Pontificatū euect⁹ fuit) Carolo primo Neapolitano regi proposita magnorum commodorū spe, persuaserunt, se breui Genuense imperium ei daturos, si vnà cum ipsis bellum Genuensibus inferret: Carolus igitur imperij spem, atq; auri cupiditatem secutus, nulla fœderis, quod cum Genuensibus habebat habita ratione, nullo prius indicto bello, vt belli mala, aduersus Genuenses, maiore suo commodo auspicaretur. Genuenses mercatores cū mercibus, quotquot in Sicilia atque Neapolitano regno erant, comprehendi iussit. Siculi autē mercatores, ac Neapolitani regni, item Narbonensis prouinciæ accolæ, veriti, ne idem ipsi Genuę paterentur, vndique vt poterant latebras quæritabant: quàm rem, cum Genuensis populus intellexisset, statim edictū proposuit, vt quicunq; in vrbe sua, qui regi Carolo parerent inuenirētur, quadraginta dies, in vrbe Genua inuiolati manerēt, atq; intra id tēpus, rebus quas in vrbe Genua habebant, ac corporibus suis tutò cōsulere possent, Voluerunt enim hosti qui fidem violarat,

ut, ipsi eam incolumen præstare.

Item de Genuensibus.

Eo quoq; tempore, quo inter Genuenses Venetosq; bellum gerebatur, atque inducijs factis, belli mala suspensa manebant, in quatuor Genuensium triremes, haud longè à Græcię littoribus, quatuor Venetæ irruerunt: Genuenses virtute suas tutati triremes, Venetas cœperunt, & cũ calen adhuc prælij ardore simulq; indignatione, quod in indu ijs illata essent arma, præterea vulnerum quæ acceperant, dolore compulsi sæuire haud iniuria in captos possent, ipsorum iram induciarum fides lenijt, & vt ad se solum respi cerent compulsit: itaque solũ triremium præfectum retinuerunt, alios cum triremibus dimiserunt. Cum autẽ Messanam in Siciliam peruenissent, triremium præfectũ quem captiuum habebant, Consuli Venero tradiderunt, vt is Venetias eum mitteret, vbi erroris sui pœnas dare cogeretur.

Item de Genuensibus.

Non minora etiam fidei experimenta dederunt erga Venetos, cum post longum ac graue bellum, quo inter ipsos tertio decertatum fuerat, vbi auri atque sanguinis vis immensa effusa est, cum occasio se obtulisset, magno Genuẽsium commodo, rei feliciter aduersus Venetos gerendæ fidem, inita paulò ante pace, Venetis datam, commodis doloríque acceptorum in bello malorum, antepositorunt. Nã Cretenses Venetique qui Cretam incolebant, conspiratione facta, à Venetis defecerant, ac Genuã legatos viros grauissimos miserant, qui Insulæ deditionem facerent. Ea autem expeditio, & si nullius periculi, magnique commodi futura videbatur, minoremq; ab causam, finitũ paulo ante bellum, aduersus Venetos susceptum fuerat, tamen legatis respondit: Vehementer dolere, quod integra fide ob pacem cum Venetis factam, ea quæ Cretenses offerebant, recipere non possent, quanquàm adeò recens ea pax confecta esset, vt multi vulnera, quæ eo bello acceperant, nondũ ad cicatricem perduxissent.

DE VXORVM FIDE ERGA MARITOS Caput, VII.

De Chilonia Spariana Cleombroti Spartani regis vxore.

A Pu-

A Publica priuataque fide, ad vxoriam erga viros tran sfituri, Chiloniam ante alias commemorabimus. Hec Cleombroti Spartani regis vxor fuit, ac Leonidæ filia, qui item Spartanus rex erat. Nam cum ciuilibus discordijs, Cleombrotus vir, Leonidam eius patrem in exiliũ misisset, à viro patris restitutionem impetrauit. Cum autem mutata fortuna, Cleombrotum postea Leonidas ab vrbe depulisset, Chilonia pari opera apud parentem pro viro vsa, cum nihil proficere animaduertisset, & si feliciter apud parẽtem in patria agere poterat, maluit cum viro eius exilij comes esse.

De vxore Panthei Lacedæmonij.

Depulso Cleomene Sparrarum rege, ab Antigono Macedonum rege, cum is in Aegyptum ad Ptolemæum regem se recepisset, ac Pantheum sequi vxor vellet, à parentibus prohibito magno studio seruabatur. Cæterum ipsa astu ingenti adinuento, equo ad mare noctu se contulit atq; incognita, nauem conscendens, in Aegyptum ad virum peruenit, amboq; illic vitam pergerunt.

De Sara vxore Abrahæ.

Miranda quoque fides, atque amor Sarę erga maritum Abraham fuit, quæ cum se virumque iam grandes natu otios inspiceret, viro persuasit, vt cum ipsius ancilla Agar cõcumberet, tentaretq;, Si ex ea filios procreare posset: quod cum Abraham fecisset natusque esset Ilmaël, non aliter ac filium ex se natum Sara eum sustulit: nam præter aliarum morem prudens, atque viri sui amans fœmina, zelotypiæ graui in mulieribus malo, propagandæ viri sui stirpis respectum antepositit.

De Stratonica Deiotari Galatarum regis vxore.

Stratonica quoq; Deiotari Galatarum regis vxor, cũ aduersante valetudine, cum viro filios se concipere non posse videret, ei persuasis, vt liberis cum alia operam daret, ad eũque deduxit Electram cubicularem suam ministram, moribus atq; forma insignem: ex qua Deiotarus aliquot filios procreauit, quas Stratonica, post viri mortem, amanter, nõ secus ac suos aluit, atq; in regno succedere permisit.

De Liuia Augusti vxore.

Longè

Longè etiam maior Liuiæ erga Augustum virum fides atque indulgentia fuit, quæ cum sciret Augustum puellis nondum maturis oblectari, clàm magna diligentia perquirebat, secretò ad eum deduci curabat: præ nimia fide amoreque id marito concedens, cuius gratia, nonnullæ, cum pellicem ferre non possent, interdum viros peremerunt: atque idcirco tantò magis laudanda, quantò eius exempla ratiora inueniuntur. Anteponenda etiam Liuia, Tertiæ Aemiliæ fidei erga Scipionem virum. Quantò maius est rem ipsam sponte agere, quàm contrà ipsius mentem, ab alio factam perferre.

De Octauia M. Antonij vxore.

Cum Antonius, Octauiam vxorē Romam remisisset, frater Augustus, Octauiæ suadebat, ne in Antonij domo habitaret, cœptum enim iam inter eos bellum erat, ei igitur Octauia respondit, Se nunquam adduci posse, vt in alia domo habitaret: quamobrem eodem animo Antonij amicos quo antea vidit, & priuignos haud secus habuit, ac si ex ipsa procreati essent, conata quantum permittebatur, fratrē ab armis in Antonium dimouere. Dedecere enim plurimū aiebat, vt duo terrarum orbis gubernatores, vnus quod alter sorori suæ amicam anteferret, alter autem nimio erga amicam amore captus, inter se bellum gererent.

De Herodiade Herodis Tetrarchæ vxore.

Ingentē quoq; fidē, Herodias viro Herodi Tetrarchæ ostendit, cum ad vrbem Romam cum eo profecta, vt Agrippam fratrem accusaret, rem in contrarium cedere vidit: vixo enim Lugdunum exulatum in Galliam misso, etsi multum à fratre, ac fratris causa à Caligula Augusto rogata fuerat, vt redire in patriam vellet, principatus parte, quam vir obtinebat oblata, maluit relicta patria, in Gallia cū vixo inopem vitam degere, quàm sine eo, ingentes opes in patria possidere.

De Antonia Flacilla Prisci vxore.

Pisonianæ conspirationis conscius, apud Neronem accusatus Priscus, perpetuo exilio mulctatus est, Antonia Flacilla vxor, cum Romæ in magnis opibus manere posset, patriæ atque opibus, exilium cum viro prætulit.

De Egnatia Maximilla Galli vxore.

Egnatia Maximilla, Flacillæ exemplum secuta, omnibus relictis, virum Gallum sequi voluit, ob eandem qua Priscus conspirationem damnatum.

RECENTIORA.

De Gisberti Corregiensis vxore.

Singulare quoq; fidei exemplum, Gisberti Corregiensis vxor ostendit, cũ propinquorum conspiratione, & eorum quidem, qui ipsius factionis erant, ab vrbis Parmæ imperio Gisbertus eiectus fuit. Inter conspiratos autem, cum vxoris frater Rolandus Roscius esset, & sororẽ in tumultu rogaret, vt populi impetum in domos suas declinare vellet, qui eiusmodi erat, vt etiam fortem virum terrere posset, ipsa torua facie, ad fratrem conuersa, proditorem eum cõpellans, respondit: Dij faxint, ne me prophanem eius domus ingressu, quæ in propinquum suum adeò perfida fuit, neq; eo pane vescar, quem canes quoq; ob perfidiæ labem, etiam in ingenti fame deuitarẽt: quin potius ad virum meũ profectura sum, quem nuptiarum mearum pignore fefellisti, & coram eo me constituam, vt hãc tuam iniuriam in meipsa vlciscatur. Hæc cum dixisset nudis pedibus, passisque capillis, ad Castrum nouum, vbi vir erat profecta, eius pedibus obuolui cœpit, & flens rogare, vt ipsius morte, acceptam à Rolando fratre iniuriam vlciscaretur. Cæterum cum iam satis scriptum sit de vxorum fide in viros: nunc de Seruorum scribamus, quæ multis rationibus non minus laudanda est.

DE SERVORVM FIDE DOMINOS. Cap. VIII.

De Seruo Menenij.

SI vxorum fides erga viros, ingentem meretur laudem, & digna est cuius exemplo mortales plurimum moueã tur, quæ tamen res & natura, nexu & proprijs bonis multifaria indissolubilia vincula sentit, quantò pluris facienda erit, si tanta aut maior etiam, in seruili genere inueniẽtur? Hæc enim naturæ nulla ope iuuatur, sed maximè in cõtrarium tendit: si quidem libertati nihil magis contrarium est, quàm seruitus & nonnunquã seruis commodum à domini

mini morte nascitur, idcircò, quò hæc seruilis fides ratior est, atque difficilior, eò etiam pluris facienda & laudanda magis. Quamobrem de ea quædam scripturi exempla, initium sumemus à Menenij seruo, ceu ab eo, cui similis aut nullus, aut pauciſsimi fuerunt. Inter proscriptos Menenius erat, & cum eius domum circumseptam armatorum corona, qui Menenium quærebant seruus videret, spreto omni præmio, quod propositum erat, spretis periculis ac deniq; vita ipsa, vt domini vitam seruaret, lecticam vbi Menenius manere consueuerat ingressus, ferri se ab alijs seruis iussit: Menenium eum esse milites arbitrati, ipsum illic occiderunt, et moriens cum milites fefelliſſet, dominũ seruauit, qui seruilẽ vestem amictus, alia via, cũ multis quos eadem fortuna vrgebat, in Siciliam ad Pompeium profugit.

De alio proscripti seruo.

Alius quoque proscripti seruus, ad mare profectus, quærendæ nauis gratia, qua dominum in Siciliam traijceret, dũ seuertitur dominũ offendit, lætali vulnere à Tribuno percussum, qui proscriptorum conquisitioni præerat, adhuc spirare: itaque ad eum accessit, dixitque: Domine aliquantisper morare: & cum hoc dixisset, Tribunum interemit, & super vtrunque ipse quoque gladio incubuit.

De Herone Triumuiri M. Antonij seruo.

Postremo prælio, quo ab Actio Antoniana classis Alexandriam profugit, cum Cleopatra intellexisset, Antonium suspicari, ipsius culpa eam cladem acceptam esse, eius iram vereri, in sepulchra locum inexpugnabilem se recepit, misitque, qui Antonio nunciarent: Eam esse mortuam. Antonius autem longè grauius Cleopatræ cõmotus morte, quæ leuiter de suspicione sua nuncio crediderat, quàm propter cladem, abiecto viuendi desiderio mori constituit. Vocauit igitur clam Heronem seruum suum, quem ante polliceri coëgerat, quando iussisset ipsum occisurum, iussitque vt tunc eum occideret: at Hero domini vitæ, quàm suæ studiosior arrepto gladio, dum fingit Antonium ferire, in se ipsum gladium conuertit, & se interemit.

De L. Pisonis seruo.

Inchoãte Vespasiani imperio, Domitianꝰ res vrbanas, absente

sente patre administrabat: ab eo missi in Africam milites, vt L. Pisonem interimerent, eo tempore Africæ proconsulatum gerentem, cum Carthaginem ingressi, ad L. Pisonis ædes venissent, vbi Piso esset, petierunt, Pisonis seruus veste aspectuq; conspicuus, cum rem quò tendebat animad uerteret, vt dominum ab eorum vi seruaret, seipsum Pisonem esse mentitus est: occisus autem, dominum tamen nō seruauit, quia re detecta, Pisonem quoque interemerunt.

De Cluentij Peligni seruo.

Cluentij Peligni seruus, cum videret dominū suum cōprehensum, vt ad Pompeium deduceretur, fide animoque in dominum singulari decreuit, & dominum & se simul à crudeli supplicio turpitudineque liberare. Repentè enim, in medijs militibus eum, & postea seipsum cum eo, interemit.

De Fimbriæ seruo.

Idem Fimbriæ seruus fecit, nam cum à legionibus suis Fimbria proditus esset, ab eo iussus, vt turpi morte liberaretur, ipsum seque post eum interemit.

De Micito Anaxilai seruo.

A fidelibus seruis, qui atrocia moliti sunt, ad æquè fideles, sed minus truces transibimus. Anaxilaus Messenius, qui olim Messanam in Sicilia condidit, & postea tyrannidem, apud Rheginos exercuit, moriēs, filios in Miciti serui sui tutela reliquit. Is autem tanta fide, bonitate atque iustitia commendatam sibi administrationem rexit, vt Rhegini ciues, haud indecorum sibi ducerent, à seruo æquè vt ante ab Anaxilao domino regi. Cæterum posteaquā Anaxilai liberi adoleuerunt, vrbis administrationem seruus eis tradidit, ipseque pauca secum accepta pecunia, Olympiam habitatum se contulit.

De quibusdam seruis matronæ Adrumentanæ.

Cū Adrumentū obsidione premeretur, à matrona, Adrumētana serui quidā in hostiū castra profugerunt, vrbe autē postea ab hostibus capta, serui quoq; profugi, cū eis in vrbē irruperunt, statimque ad matronā, cuius serui fuerant profecti, eam magna minati cœperunt. Et cum durum seruitium vlcisci velle dicerent, tanquam hostes essent, extra vr

bem

bemin tutum ab hoste locum eam deduxerunt, semperque in fidem quam debebant, præstiterunt.

De Patauinorum seruis.

Cum Afinius Pollio acerbè Patauinos vrgeret, vt pecuniam armaque præsentarent, & ob id omnes laterent, edicto seruis libertatem proposuit, qui latentes dominos detegerent. Mira res profectò fuit, seruum neminem inuentum, qui non constanter eo modo propositam libertatem perneret.

De Cepionis Seruo.

Accusatus Cepio, quod in Augusti vitam conspirasset, ad Tyberim à seruo suo in corbe tectus, & inde Hostiam, vectaque proxima propè Laurentum perlatus fuit: ab eo loco nauem conscendens, contrarijs ventis Cumas vsque rectus, comite seruo Neapolim perrexit, ibiq; cum seruus eum abdidisset, à Centurione qui eum persequebatur, captus seruus ipse, nec promissis, nec minis, sed ne tormento quidem adduci vnquam potuit, vt dominum vbi esset, detegere veller.

De Seruo P. Cornelij Scipionis qui maior est dictus.

Publius Cornelius Scipio maior, prælio aduersus Annibalem grauiter vulneratus, à seruo in equo restitutus est, & cum cæteri eum destituissent, ab illo seruo, in castra perductus est.

De Era & Charimo Cleopatræ ancillis.

Inter virorum exempla, quæ de seruis tradidimus, vnum de duabus ancillis addemus, antequam finem in antiquis de hac re faciamus: Eras & Charimum reginæ Cleopatræ ancillæ, cum essent cum ea, quando se interemit, eamq; regio ornatu composuissent, Eras præ dolore ad Cleopatræ pedes mortua concidit. Charimum autem dum capiti coronam accommodat, vigilum clamore excitata, cum nondum peregisset responsum, ipsa quoque mortua est.

RECENTIORA.

De duobus seruis Cozagiani Persæ.

Inter fidei insignia recentiorum seruorum exempla, hoc quoque scribemus, de quo tamen nihil præter auditum habemus. Cozagianus Persa, cum tenuis fortunæ mercator,

in Indiam Cambaiam vrbem vsq; penetrasset, ab Indo rege, ad magnam fortunam sublatus est, opesque ingentes apud eum congessit: postremò apud regem (vt in aula mos est) per inuidiam falsis criminibus accusatus, ab eo morte affectus est: hic cum ad regem ingressus occideretur, duos in exteriori conclaui seruos reliquerat, qui postea à rege in cubiculum vocati, vt ab eis de domini pecunia certior fieret, statim vt iacentem humi herum mortuum viderunt, adeò eos in dominum charitas incendit, vt spreta vita, ambo vnanimes, cultellis quos secum habebant, regem occiderent, atque haud multo pòst ipsi quoque interierint.

De Franconio Ioannis Andreæ Lampugnani ministro.

Quanquã hactenus de seruis tantum scripserimus, hunc tamen liberæ conditionis ministrũ addemus: qui quod in humili natus erat fortuna, & quod inops, vili precio operã suam locabat permultis seruis, de quibus scriptum est, inferior haberi poterat: itaque haud iniuria inter seruos annumerabitur à nobis. Hic Franconius nomine, Ioãni Andreæ Lampugnano seruiebat, qui cum patronũ, mane eius diei, qua Galeacium Sfortiam Mediolanensem ducem occidit, turbato vultu tumultuariè omnia gerere conspexisset, orando, blandiendoq; adeò institit, vt ad ea detegenda, quæ animo moliebatur, patronũ expugnaret: itaque re intellecta, in eius periculi parte esse voluit, minimè territus mortis metu, quæ impendere videbatur, neque etiam præmio, quod re detecta sperare poterat, à fide in Ioannem Andreã reuocatus. Quartus igitur in eorum fuit numero, qui tantum facinus adorirentur, paruo tantum pugione armatus in militari cohorte, quę Galeacij corporis custodiã obibat. Omnia enim pro nihilo duxit, vt patrono fortè aliquã prę stare operã posset. In hoc autem, quia arbitror, par aliud exemplum nõ inueniri posse, de seruorũ fide finẽ faciemus.

DE MORVM AC FORTVNAE *mutatione.* Cap. IX.

MOrum atque fortunæ mutatio, quam persæpè in multis videre contingit, quẽadmodum ad bonam nos spẽ erigere debet, vt ex quocunque etiam detestandæ vitæ genere fortunaq;, lætum cernere exitum possimus, ita etiam con-

continere nos debet, ne primordia rerum, in quibus boni aliquid eluceſcit, nimis citò laudemus: Neque præſentis fortunæ fœlicitati nimium fidamus, cum vtriuſque rei ingentes fieri mutationes videamus: quæ res, vt magis etiam appareat, de ea veterum recentiorumq; exempla permulta hìc annectemus.

De Fabio Gurgite.

Fabius, in vrbe Roma nobiliſsimo genere ortus, à prima ætate, quam multis infecerat notis, abſumptis perditè paternis opibus, Gurgitis cognomentum ſibi comparauit, cæterum poſtea relictis primæ ætatis libidinibus (id quod etiam nunc interdum fieri contingit) in eam temperãtiam peruenit, vt dignus haberetur, cui populus Romanus morum cenſuram crederet. Senex enim inſigne ſe virtutis ac modeſtiæ exemplum patriæ præſtitit, cui iuuenis, in venere gulaq́e nimius, atram nubem obtenderat.

De Auguſto.

In triumuiratu, qui magiſtratus vndique rapinas ac ſæuitiam ſpirabat, nullus legitur Auguſto acerbius in ſanguinem atq; fortunas ciuium ſæuijſſe: nam durum ſe, atq; inexorabilem in multis præbuit, ad quæ cæteri inclinabãt, & falſis paruisq́; criminibus motus, ciuium ſanguinẽ opesq́; auarè crudeliterq́; nimis hauriebat. Cæterũ poſteaquam ſolus rerum potitus eſt, nemo neq; ante neq; pòſt, illo vel humanitate maior, vel bonitate legitur fuiſſe: neque enim contentus fuit illis peperciſſe, qui in eius vitam conſpiraſſe conuicti erant, ſed multos quoq; ex eis affectos beneficijs, vt amicos ſibi conciliaret enixus eſt. Sed iam, à malitia bonũ mutatione, ad eã quæ contraria eſt tranſeamus.

De Tiberio Cæſare.

Longè magis varia fuit Tiberij Cæſaris vita atque fortuna, qui ab Auguſto ſocero, atque eodem vitrico, non ſine vitę periculo Rhodum relegatus, haud multo pòſt ad imperium conſcendit: humanum ſe ab initio, atque ciuilis boni tatis ſtudioſum oſtẽdẽs, omnẽ rerũ adminiſtrationẽ Cõſulib⁹ permiſit: ad id patiẽtiæ perductus, vt palã in Senatu etiã perexiguę exiſtimationis Senatores ei cõtradicerẽt. Cę terũ cũ ætate mutatis etiam moribus, adeò crudelis, ſuper-

bus atq; immanis fuit, vt mortuũ populus Romanus exclamauerit, in Tyberim proijciendũ esse. Hic igitur, & fortunam & mores tã varios habuit, vt ab extremo, nulla mediocritatis ratione seruata, ad aliud extremum transilierit.

De C. Caligula.

Non minor etiam mutatio illa fuit, quæ in C. Caligula Imperatore visa est: nam posteaquam ad imperium conscendit, vt timore omnes liberaret, factas aduersus fratres, quos Tyberius occiderat, accusationes publicè combusit, & vt clarius humanitatis studiũ ostenderet, legere chirographum recusauit ad se missum, quo inita contra salutem eius conspiratio detegebatur. Ob id, vt dicebat, ne aliquẽ supplicio afficere cogeretur. Sorores quoq;, vt fratrem æquum erat, vehementer dilexit. Cæterum ficta eiusmodi virtus bonitasque haud lõgè abijt, neque diu ostẽsum ante ingenium præstitit, breui enim fratrem occidit, crudeliter sorores vrbe expulit, in Romanorum ciuium, qui nobilitate fulgerent, quanquam innocentium vitam atque fortunas, atrociter sæuijt: adeò, vt ijs, qui eum ante norant Caligula ille non videretur, quem ab initio alijs moribus ad principatum conscendisse viderant.

De Nerone Imperatore.

Quis Nerone in morũ mutatione magis varius fuit? qui prima ætate, matris obseruãtissimus, vt qua bonitate esset clarius appareret, perlatis ad eum literis, quibus damnati hominis supplicium mandabatur, vt eis è more subscriberet, dixit: Quàm vellẽ nescire literas: ne cuiusquam mortem mandasse videret. Vectigalia, aliaque grauia populis imposita onera, diminuit, Senatoribus fortunę casibus, nulla sua culpa ad inopiam vergentibus, de publico salaria cõstituit. Sed posteaquam ætas inualuit, in matrem impius, mortem eius procurauit, Senatores clarosque alios permultos viros, leuissimis de rebus interemit, nec eo contentus, tormentis interesse voluit, multas in se tanquam factæ essent coniurationes finxit, vt sæuiendi materiam haberet. Cum autem in prouincias Procuratores mitteret, præter generalem normam augendorum vectigalium, monebat seorsum, Scire ipsos, quæ ipsius necessitas esset: tandemq;

in

nibiles omnes, ceu in hostes inuectus est, virtutibus, quas adolescens præseferebat, in contraria longeque maiora vitia conuersis, vt non homo, sed infandum monstrum, inter homines emersisse videretur.

De M. Othone Sylua Imperatore.

Illi de quibus est dictum, semel tantū mores mutarunt, at Otho, de quo sumus dicturi, sæpius, nam à prima ætate, impudicitiæ nota laborauit, & præterea iniustus habebatur. A Nerone in Lusitaniam missus, eam singulari iustitiæ laude, vt omnibus mirum videretur, rexit: factus postea Imperator, ad primas libidines conuersus est, denique morigenus, adeò ab eo, qui ante videbatur, diuersum se ostendit, vt animi fortitudine Catonem Brutúmq; superaret: breui vitæ suæ cursu, sæpius morum mutatione facta.

De Domitiano Imperatore.

Domitianus primus imperij initijs, nō abhorrere modò videbatur, vt humanus spargeretur sanguis, verum etiā, ea loca, tanquam molesta deuitabat, in quibus cæsis ad vescendum animalibus, eorum cruor manabat. Relictas quoque hæreditates repudiabat, sed vt alij de quibus diximus, ex bono in pessimum conuersus, leuissimis de rebus, nobilissimos viros permultos occidit, bonáque eorum publicauit, mortuorū bona inuasit, qui vel vno teste probarentur dixisse, Velle bonorum suorum hæredem principem esse, prorsus igitur à bonitate atq; abstinentia, quā primis initijs ostenderat, ad ingentem immanitatem atque rapacitatem se transtulit.

De Antonino Caracalla Imperatore.

Huic persimilis Antoninus Caracalla fuit, qui in prima iuuenta, si quem ad supplicium deduci vidisset, oculos in aliam partē, manantibus lachrymis auertebat. Is postea mortuo patre immanis factus, sine causa Antoninū Getā fratrē, itē Senatores, pmultósq; alios, crudeliter interemit.

De Diogene Cynico philosopho.

Non minor quoq; ea fuit morum mutatio, quam Diogenes Cynicus philosophus fecit: qui Synope ortus, vrbe Pōtica, adulterinæ monetæ infamia notatus, à patria pulsus fuit. Is postea Athenis data philosophiæ opera, in tanto

opes odio habuit, vt nudus degeret, atq; nautico dolio pro domo vsus, à nullo vel pecuniam, vel aliam rem acciperet.

RECENTIORA.

De Saulo Apostolo.

A priscis exemplis, mutatis moribus ac fortuna, ad recentiora tranfituri, Saulum Tharsensem primò cõmemorabimus. Quis enim tam crudeliter in oues lupus, quàm ipse in Christiani nominis homines ſeuijt pro viribus suis, vsquequaq; vbi inueniri per Syriam eos contigit? nam id vsque adeò enixè egit, vt quanquã admodũ adolescens, ad lapidandum Stephanum Leuitam, cum eius persecutoribus cõueniret, mutatis postea moribus, mutato etiam nomine, eius fidei, cuius fuerat acerrimus persecutor, dux atq; prædicator extitit, & qui martyrum sanguinem sparsit, dũ Christianam fidem impugnaret, suum postea vt eam tueretur effudit. Nec minus studiosum se, promptumq; Christi discipulum, quàm ante sæuus fuisset hostis, ostendit.

De Augustino Aurelio Episcopo Hipponensi.

Aurelius quoq; Auguſtinus, Manichææ hæresis sectator, Catholicam fidẽ acerbè impugnauit: modica ortus fortuna, sed ingenio tanto, vt ei neq; ante, neque postea vllus, vi debatur posse præferri, is posteaquam Ambrosij opera, ad catholicæ fidei gremium se conuertit, mutatis moribus, Manichæorum cæterorumq; hæreticorum dogmata impugnauit infregitq; : ac tantum in Christiana eruditione profecit, vt è quatuor (quorum scripta ad alios in catholica fide erudiendos recepta sunt) vnus, nec is quidem nisi clarissimus habeatur, nulla re minus, quam Hipponensi episcopatu notus.

De Maria Aegyptia.

Maria mulier Aegyptia, primam ætatem, vulgato corpore, vt fœdissimum scortum egit, vino etiam plus æquo vsa: sed posteaquam petitis Hierosolymis, ante actæ vitæ eam pœnituit, & alios mores induit, profecta trans amnem Iordanem in deserta Syriæ loca, ætate sua, singulare virtutis, ac præsertim abstinentiæ atque honestatis exemplum extitit: libidinum quibus adolescentiã macularat, post mutationem hostis tam sæua, quã ante petulantiam, ad alios in re-

venerem rapiendos, pronam se præbuerat.

De Pelagia Mima Antiochena.

Huic similis Antiochena Mima, non modo corpus vulgauerat, verum Antiochiæ quoque scænæ ac theatro operã iam locabat. Hæc postea mutato viuendi genere, cum in desertaloca se contulisset, libidines delitiasque in vitæ rigiditatem solidamque virtutem commutauit, ita, vt abstinentia, aliisque virtutibus, permultos monachos atque heremitas superaret, editisq;, & dum vixit & posteaquã mortem obijt, miraculis, in sanctarum numerũ referri meruit.

De Mutio latrone.

Mutius latro Aegyptius, ita in hominum corpora, sicuti animos Pelagia sæuiebat, alienis enim opibus inhians, tãs obsidebat, atque in eos, qui iter facerent, grassabatur, postea aũt quã cor ei⁹ de cœlo tactũ fuit, & is viuẽdi studia mutauit, ad eremũ profectus, non modò per virtutẽ plurimum profecit, verũ sancti quoque nomen consecutus est.

De Dauide latrone Aegyptio, & Moyse Aethiope.

Dauid quoq; Aegyptius æquè vt Mutius latrociniũ exercuit, atque insuper latronum dux fuit in Thebaida superiore apud Hermopolim: hic immutata similiter vita, monachalem ordinem professus, ad singularem morum sanctitatem peruenit, Idem quoque Moyses Aethiops egit, cũ monasticam vitam latrocinio permutauit.

De Ptolemæo & Herone heremitis.

Cõtrã hæc quæ scripsimus, Ptolemæus Aegyptius quinquagesimum annos in eremo commoratus est, atque vitam, solo pane ac rore ducens, orando tempora sua transigebat, sed postea ad priorem scelestam vitam reuersus, apostatauit. Hero quoque Alexandrinus, cum magnam temporis partem austerè atque cum virtute egisset, religione cum virtute relicta, ad secularem vitam, vt inter scorta viueret, conuersus est. Cæterum illius etiam vitæ pœnitentia duct us, ad eremum denuò se recepit.

De Gulielmo Gienæ duce & comite Pictonensi.

Gulielm⁹ dux Gienæ (ita enim in Aquitanis vrbs nũc dicitur) cũ in prima ætate sæuus esset, & multipliciter catholicam impugnaret ecclesiam, tandem vitã moresq; mutauit,

nam

nam cum seculo renunciasset, heremiticam egit vitam, thoracémque quã olim aduersus ecclesiam induerat, super nudo indutus, macerandi corporis apud se instrumentum esse voluit, congregationem quoq; religiosorum hominum, salutis anno cẽtesimo ac quinquagesimo quinto supra mille, instituit: qui ab eo Gulielmitæ appellati sunt.

De Alphonso II. Neapolitano rege.

Fuit magna quoq; morum fortunæq; mutatio, quam Alphonsus secundus Neapolitanus rex fecit: nam simul cùm iuuenta, armis literisq; relictis, hortos vnà cum vino epulisq; secutus est, itaq; ex forti manúq; prompto, ac militaris prudentiæ pleno egit, vt secors, ac propter obesum corpus, ad res gerendas ineptus, postremo penè amens etiam haberetur. Amisso enim vigore, ad primum Caroli octaui Gallorum regis aduentum, cum is in eum animo moueret, attonitus, Ferdinando filio regnum tradidit, ac nauem cõscendẽs, in Siciliam terroris plenus profugit, cum & hostis iuuenta, quæ consilij plerunq; indiga est, itẽ parum copiosa rei pecuniariæ ratio (ita enim esse docebat, corrogata in primo aduentu, ab omnibus pecunia) præterea hyems quæ venientem hostem adoriebatur, satis magnam spem facere possent, vt non resisteret modò, sed in Galliam ipsam illatum bellum transferret, id quod haud difficulter poterat, cum affatim milites & pecunia ei superessent, cæterum animo captus, omnibus neglectis, cum preciosa permulta præproperans, item arma atque innumerabiles equos, præterea munitissima loca relinquerent, qui in iuuenta inexpugnabiles arces deuicerat, qui Turcas ipsos, magno labore expugnata Hydrunto vrbe, Italia depulerat, nihil vltra quæsisse videtur, nisi vt se ac rationem aliquam indulgendi genio seruaret. Sed ne Sicilia quidem, in quam se profugus recepit, longo tẽpore ad seruandam vitam adiumento fuit, siquidem illic nulla re minus, quam hostium armis oppressus, sine regno in ea breui diem suum obijt, manu vehementi cancro debilitatus. De Pyrrho Epirotarum rege, qui in prima ætate armis ac bello par videbatur, inclinata ætate, non Dionysius quidem postremus (nam Dei atque religionis, quanquam fortuna affectus, nunquam se immemorem

ostendit) sed tamen, ab eo qui in iuuenta fuerat, tam dissimilis, quam obscurum sydus soli comparatum, factus.

De Io. Iacobo Triultio Gallici regni Marescallo.

Quanquam mores vno tenore incolumes seruasse videa tur, Ioannes Iacobus Triultius in Gallico regno Mareschal lus honore insignis, variè tamen eum fortuna habuit: adeo vt quamuis de viuente scribenti pudor atque assentationis vitio difficilem materiam faciant, tamen propter rerum magnitudinem, in quibus vitæ cursum hactenus transegit, non iniuria præteriri videatur non posse, in eorum numero, de quibus varietate fortunæ mentionem facere cœpimus. In paucis enim enixius vires suas fortuna exercuisse videtur, si diligenter primordia eius cum medijs, mediaque cum postremis collata fuerint. Sub principe nato honestior ortus contingere vix potuit, quam vt Mediolani patricium nanciscereturFrancisco Sfortiæ, & ante & post in eo rum ducatus honorem, propter gentis nomen ac virtutem gratissimo, quàm vt ab eodem principe, ipse quoque vehementer in prima ætate diligeretur, sed nec minore gratia apud Galeacium fuit, qui Francisco patri in regno successit, inter eius præcipuos sodales semper annumeratus, ad potentiam quoque maiorem conscendit, postea sub Bona Galeacij coniuge, siquidem post Galeacij mortem, in eorum ascitus fuit numerum, qui primas in principatus administratione partem tenebant. Cæterum his successibus, plurimum etiam addidit, posteaquam Mediolanensis ducatus moderatio, ad Ludouicum Sfortiam, Galeacij fratrem translata fuit: omnibus enim tam externis quam domesticis bellis, quæ Ludouicus, dum nepotis personam sustineret, gessit, magna ex parte primarios honores Triultius sustinuit, id ostensum fuit, cum ijs qui ad Venetos Parmensi agro defecerant, illata arma fuerunt, cum Ferraria, quàm Veneti inuaserãt defenderetur, cũ motum ab eisdem bellum, à Mediolanen. vrbis finibus, in Brixianum atque Veronensem agrum translatum fuit: cum Innocentius Pontifex, susceptа contra Ferdinandum Aragonium arma, omittere coactus fuit: cum Bochalini tyrannide liberatam vrbem Auxinum, Innocentio 8. atque Romanæ ecclesiæ

clesiæ ipse restituit. His rebus blandiri plurimum Triultio, & tanquam indulgens in eum parens esse visa est fortuna, quæ haud multo pòst, ceu nouerca facta, cum ergà eum Ludouici immutasset animum, Nónne ea, quæ citra mortem homini grauissima sunt, intulit, cum patriæ finibus ipsum cedere coëgit, & illa cum Aragonijs regibus, Neapoli ad sustinendam vitam quærere, quæ domi debere propter res bene gestas, largè adaugendam dignitatem expectare videbatur? sed haud longo tempore immorata his malis fortuna, præstitit, vt Triultium exilij sedes altius eueheret, & ab Aragonijs regibus inter primarios militares duces creatus, nihil de pristina fortuna, dum res ipsorum steterit, & tueri sua armis voluerunt, desiderare posset. Quid postea Carolo 8. Gallorum rege, Neapolitani regni possessore facto, Nónne ab eo benignè exceptus pristinam fortunam incolumem seruauit? qui vnus ipse quoque præstitit, vt in Galliam rediturus, cum parua manu, Italiæ longitudinem, inter armatos populos, hostilesque exercitus calcaret, & Astam vsque, id est, in suos, incolumem se reciperet. Idem etiam cũ Ludouicus 12. qui paulo pòst Carolo in Galliarum regno successit repetere tanquam hæreditario iure debitum Mediolanensem ducatum, armis decreuisset, Nónne effecit, vt quanquam viribus minimè inferior Ludouicus Sfortia, 16. die omnibus relictis, in Germaniam profugeret? atq; inde quinto mense pòst reuersus, cũ iam ducatus magnam partem recepisset, apud Nouariam in regis potestatem veniret? Alia quoque, ad fœlicitatem, cum virtute testandam Triultius egit, vt magis fortunæ varietas ostenderetur, sed quia expeditionum alios habuit comites, non est, vt vnius decori ascribamus, quod ad plurium laudem pertinere posse videretur: illud quidé ipsius erit proprium, quo magis quanta sit fortunæ vis pateat, quod in patriam reuersus, eorum possessor est factus, quæ ab ijs parata fuerant, quorum opera ipse patria caruerat. Quod autem de expeditionibus, quas communiter à Triultio cum alijs confectas diximus, ad Transalpinorum motus id pertinet, quibus reprimendis, etsi ipsius virtus enituit, solius tamen decori, ea res cedere non debet,

cui

Carolus Ambosia intererat, qui magno nomine, regis
dignam in Italia sustinebat: qui paucis annis post, ar-
is de Ioannis Bentiuoli manu vrbem Bononiam extor-
at Iulio secundo pontifici, atque Romanæ ecclesiæ libe
m restituit.

DE HIIS QVI AB HVMILI FORtuna in grandem emerserunt. Cap. IX.

NOn minus mira res est atque inconsueta, vt ab ignobili stirpe humilique fortuna, ad magnam aliquis dignitatem, magnúmque rerum statum conscendat, quam mores sicut ante diximus, in contrarium vertat. De hac igitur mutatione scribemus, vt hi qui in paruis fortunæ vi
, & maiorum suorum culpa inueniuntur, ad spem excitentur, sciántque fieri posse vt virtute laboréque, viam ad excellentiorem fortunam sibi astruent.

De Abarthomio Sydoniæ rege.

Huius rei primum exemplum in Abarthomio ostendetur, qui cum irrigare hortos Alexandro Magno consueuisset, ab eo Sydoniæ rex constitutus est, vt eo facto Alexandri magnitudo testata maneret.

De Seleuco Syriæ atque Asiæ rege.

Hoc quoque Seleucus testabitur, qui inter Alexãdri successores annumeratus est: hic Asia Syriáque, ac multis alijs rebus potitus, cum obequitanti Alexandro pedibus officium præstare consueuisset, virtute in tam excellentem fortunam conscendit.

De Spartaco gladiatore.

Idem ostendit Spartacus Thrax, Romæ inter gladiatores, ad edendos ludos asseruatus: inde enim cum profugisset, cum quatuor ac septuaginta alijs gladiatoribus, adeò vires auxit, vt confecto septuaginta milium virorum exercitu, triennium cum Romanis bellum gesserit, pari sæpius ingentibus victorijs, qui demum ad eas vires atq; in eam existimationem peruenit, vt solus Lucinius Crassus Romanorum omnium illius tempestatis potentissimus, idoneus haberetur, qui ei resistere posset. Tantum enim sibi no-

bi nomen armis comparauerat, vt de seruo ac gladiatore, gerendo bello par Romanis factus videretur.

De Opilio Macrino Imperatore.

At non meliori fortunæ gradu, ad longè maiorem Macrinus fortunã conscendit, quem seruum quidam putauerunt, sed liberatum postea, lupanari operam suam locasse, relegatumque non multò post in Africam, causarum actorem factum esse (alij gladiatorem fuisse aiunt) & postea in Africam munerum causa causa missum. Vndecunque autem emerserit, hoc liquet, ex humili fortuna, virtute atque industria sua, per Caracallam palatio præfectum, ad imperium deinde conscendisse.

De Maximino.

Maximinus parem fortunam tulit, Miceæ Gothi & Ababæ Alanæ filius, in prima ætate, sub parentibus pecora pauit, arma postea secutus, à Romano exercitu ad Augustale culmen euectus est.

De Martiano tyranno.

Ad hunc honorem, à seditiosis exercitibus, in Germania aduersus Galienum promotus est Martianus, quanquam triduum tantum, pòst creationem vixerit. Is in prima iuuenta ferrarius faber fuit, quod ei in contumeliam, à percussore, qui eum interemit obiectum est, cum diceret: Martianum ipsum ensem excudisse quo occidebatur. Verum iã à liberis ad seruos transeamus.

De Fœlice ac Pallante.

Quantum etiam Fœlici atque Pallanti Claudij Cæsaris seruis fortuna aspirauit? & ad quantam potẽtiam eos extulit? Pallas enim imperium regebat: tanta existimatione, vt offerente ei senatu consularia ornamenta, ostenderit dignitati suæ indecorũ ea accipere, opes autẽ ipsius adeò creuerunt, vt querẽte Claudio inopia se laborare, dictũ fuerit, vt à Pallante se adoptari curaret, quoniam ita dives futurus: neque vero hæc ipsius fortunæ satis fuerunt, consulatus, præturæ atq; alij magistratus ipsius consilio atq; arbitrio dabantur. Fœlix autem Iudeæ gubernandæ præfectus, in eum dignitatis sublimem gradum peruenit, vt Agrippę regis neptem vxorem duceret.

De

De Cleandro.

Haud minorem gradum, apud Commodum Imperatorem Cleander habuit, ipse quoque seruus: is enim vnus imperatorio cubiculo præerat, atque ipsius imperatoris custodiæ curam habebat, quinetiam Palatinæ præfecturæ curam gerebat, in tantis opibus tantaque existimatione, vt putatus fuerit ad imperium aspirare. Sed auaritia rapinisq; populo Romano inuisus factus, cum ad mortem vocaretur, Commodus occidi eum cum filijs iussit, corporaque ipsorum per vrbem trahi. Ludi, quibus in eos sæpè fortuna vtitur, qui in principum aulis nimia honorum cupidine incendit, vltrà quam fas est conscendere non verentur.

De Hermia Eunucho.

Hermia Eunuchus Trapezuntij ciuis seruus, Athenas profectus est, vt studijs operam daret. audito igitur aliquod tempus Platone, doctus euasit. Itaque Asiam quæ patria erat, cum domino reuersus, virtute sua, patriæ vrbis imperium sibi peperit: ab infima enim fortuna, quæ seruilis est, debilitatoque per euirationem sexu, in eum excellentem gradum industria, quam per doctrinam parauerat euectus est: sed postea finis miserabilis fuit, Captus enim cum in colloquium cum Menone Rhodio venisset, & ab eo Persarum regi datus, suspendio vitam finiuit. Verum quoniã satis de veteribus scriptum est, iam tempus videtur, vt ad recentiora transeamus.

RECENTIORA.

De Narsete Eunucho.

Quoniam de Eunuchis mentionem facere cœpimus, veluti de his, quorũ infima est fortuna, nõ modo propter seruitutis humilitatẽ, verumetiã ob debilitatem sexus: qui fit, vt nihilo meliores Eunuchi quã fœminæ dici possint, in recentioribus enarrandis, ab Eunuchis non discedemus, vt quò humilior eorum fortuna est, eo magis mirus ipsorũ in tantam altitudinem consensus videatur. Primum autẽ Narsetem Eunuchum, vt virum admodum virtute insignẽ, commemorabimus. Is à Iustiniano imperatore, ex muliebri seruitio sumptus, secretis ac regiæ gazæ præfectus, deinde cum Exarchatus honore in Italiam missus, magna in-

 dustria

duſtria, multisq; præclarè geſtis Gothicã barbariem pœnitus Italia depulit: quã 17. annos tãta prudentia iuſtitiaq; rexit, vt cum à Sophia Auguſta, Valerij Iuſtini ſecũdi (qui Iuſtiniano ſucceſſerat) cõiuge, per inuidiam reuocatus eſſet, Italia ab Auguſta rebellare potius decreuerat, quàm illi parendo perpeti vt Narſetes Exarchatu cederet. Ioannis autẽ tertij Pontificis opera, poſtea Iuſtino reconciliatus, conſul creatus fuit. Per id tempus, & Romæ & Venetijs, de manubijs atq; hoſtiũ præda permulta templa cõdidit. Itaq; qui eius victorias conſideraverit, ac ſimul tempus, quo diu Italiã ac conſulares faſces, atq; Italicum Exarchatum, ex tã infima fortuna naturaq; euectus rexit, lõgè maiori, ad ea gerẽda ætate, quã ille vixit opus eſſe dicet, fortaſſeq; ſi Scipione ſuperior nõ videbitur, illi eũ ęquãdo nõ errauerit.

De Eutropio Eunucho.

Pari fortuna, ſed diſſimili virtute, Eutropius Eunuchus ab Archadio factus eſt Conſul, adeò in homine natura moribusq; tàm vili, fortuna vires ſuas oſtendit. Nam ſi orientales populi ſeruituti aſſueti, à ſeruis reguntur (id quod noſtra quoq; ætate fieri videmus) inſita à natura ignauia, lõgusq; vſus facit, vt res non tam noua, & propterea non mira videatur, ſed quod Romanus exercitus, ingenio ferus, in quo par animi ac corporis ineſſe robur, conſueuit, homini eunucho (ſi modo euiratus ſexus hominis nomẽ recipit) paruerit, quò res ipſa plus habuiſſe difficultatis videtur eò etiam magis eſt miranda, Hocigitur cogit, vt huiuſmodi hominũ ſiue virtutem, ſiue fortunã dicere malimus, nõ ingentem ſolũ, verũ maximam quoq; fateamur fuiſſe.

De Eurythrio eunucho.

Idem Eurythrio Eunucho contigit, qui à Leone imperatore, Exarchus in Italiam miſſus fuit, vt ſemi vir, qui paulo ante culinæ ſeruiuerat, tot tantosq; regeret populos. Sed quoniam ſatis de eiuſmodi diximus, iã ad alios ſublimiores nos conuertamus.

De Eugenio Tyranno.

Eugenius tyrãnus, qui à Theodoſio rebellare auſus eſt, ante magiſter ludi fuerat, mox Valentiniani à ſecretis ſcriba, poſtremò Anguſtum ſe compellare auſus eſt.

DE

De El. Val. Iustino.

Longè minore fortuna, post Anastasiũ ad imperiũ prosiit Iustinus primus, nepotēq; Iustinianũ reliquit: Thrax enim ignobili loco ortus, subulcus ob inopiam fuit, inde subulcus factus, postremò operā suā lignario fabro locauit

De Mauritio Imp.

Mauritius, qui ab initio notarius fuit, deinde vigilũ præfecturam, sub Iustino secundo gessit, in Oriente imperator creatus, Tiberio socero successit, vigintique annos imperium rexit.

De Theodosio III, Imperatore.

A simili officio, ad imperiũ Theodosius tertius in Orientem conscendit, publicanorum enim scriba fuit,

De Basilio Imp.

Basilius qui olim Abbati minister fuerat, à Michaële Constantinopolitano imperatore, in eam fortunę magnitudinem euectus est, vt post imperatorem primus haberetur: is demum, domino per scelus occiso, ad imperium in eius ascendit locum: non minus infamiæ propter proditionem, quam honoris propter augustale nomen assecutus. In eo enim verum est inuentum vetus adagium, quo ferunt homines: Ab infimo ad summũ gradum, rarò nisi per magnam virtutem, aut grande nefas conscendere.

De Mahumete Auelanaginaro Arabe.

Insignis ab infima fortuna, ad ingentē ascensus, Mahumeti Auelanaginar Arabis in Hispania fuit, regnāte enim Alphonso Legionensi rege, adeò is fauentem habuit fortunam, vt è bubulco, à Mauris, ad Bęticæ (siue vt nunc fertur) Granatæ regnum fuerit euectus.

De Roberto episcopo Atrebatensi.

In sacerdotali quoq; ordine, perspępè miranda hæc fortunæ incrementa conspiciūtur, ad eum igitur transibimus. In eo ordine Robertus fuit fabri ferrarij Carnotēsis filius, quem ipsius fœlicitas, ad Atrebatensem Tornacemsemq; simul episcopatum euexit.

De Ioanne Balua Cardinale.

Similiter Ioannes Balua Cardinalis, in Pictonibus caligarij sartoris filius, astu fœlicitateq; simul, in eā fortunā,

cum Ludouico XI. Gallorum rege peruenit, vt regē vnus pro arbitrio regeret, & per eum se ad Cardinalatum euexit. Quanquàm postea deprehensus in regem conspirasse, in vinculis diu habitus fuerit, ac demum Sixti Pontificis opera liberatus, Romam inops iuerit, vbi eum se gessit, vt sub Innocentio octauo, postea mortuus ingentes reliquerit opes.

De Gulielmo Brissonetto cardinale.

A simili gradu, ad maiorem Gulielmus Brissonettus Turonēsis cū Carolo VIII. Ludouici filio cōscendit: nam apud eum ita gentem suam extulit, vt in eius propinquis quatuor Galliæ totius primariæ publicæ pecuniæ procurationes ac quæsturæ, permultique alij magistratus inuenirē tur: ita, vt per ipsum eiusque propinquos, omnis regia pecunia tractaretur, quibus eas sibi suisque quas volebat partes faciebat, eoque puerilem Caroli ętatem perduxit, vt penes Carolum regis tantum esset nomen, cæterum regendi fruendique regni potestatem arbitriumque, Gulielmus haberet: ob quam fœlicitatem Cardinalatus honore insignis factus, insuper Rhemensem episcopatum, atque titulum vnius è duodecim Galliæ Paribus accepit.

De Ludouico Patauino Patriarcha.

Simili fortuna, Ludouicus Patauinus vsus est, qui Chirurgus erat, cum ab Eugenio quarto, in cardinalium numerum receptus fuit & Aquilegiensis patriarchatus honore factus insignis, opum magnitudine, & apparatus magnificentia, excedere, nedum multos æquare, reges putatus est.

De Petro Riario Cardinale.

Aetas nostra, non sine admiratione, Petrum Riarium Sauonensem vidit, ordinem minorum profitentem, qui quanquam non ignobili prorsus genere ortus, inops tamen panem vt ordinis eius mos est, mendicabat: eum Sixtus quartus, cui diù in ordine suo ministrarat, ad Cardinalatum euexit, & præterea Constantinopolitani quoque Patriarchatus honore decorauit. Is in tantis opibus, tantaque aureorum vasorum, ædificiorum, ac omnis generis vestium pompa, tam prodigè ne largè dicamus, vixit, vt æquari multis regibus posset, Luculloque potius ac Xerxi, quam Franciſco

cisco aut Bernardino (quorum ordinem profiteretur) videretur conferendus: atque omnes qui eius originis notitiam haberent, in admirationem conuerteret,

De Hieronymo Riario Imolæ ac Foroliuij comite.

Petri frater Hieronymus nomine, nulla maiori fortuna, quàm frater, cum honestiore se negocio exercere non posset, in patria, vili mercede, publicanorum scriba fuit. Is à Sixto Pontifice auctus ac Foroliuij atque Imolæ vrbium, nonnullorumque aliorum locorum principatu honestatus, ad Neapolitani quoque regni Conestabulatum (qui post regem primus est honor) & militarium Pontificis coparum ducatum, ascendit. in cuius manu ita esse Pontificis voluntas putabatur, vt regum principumque legati, itē magni antistites, Pontificis aliqua in re assensum cupientes, prius Hieronymū adirent, tanquàm ad Pontificis flectendam mentem perneccssarium: neque vero is solus fuit, qui per Sixtum Pontificem, ab infima ad magnam fortunam creuerit, etenim haud paruus eorū numerus fuit, quos propter sanguinis propinquitatem humillimo natos loco (vt alia minora taceam commoda) Cardinalatus honore, ducatibus, ac vrbis Romanæ præfectura, insignes reddidit.

De Iacheo Corde Bituricensi.

Cum autem ab ecclesiasticis ad seculares transierimus, Iacheum Cordem Bituricensem ponemus, qui inops, minora mercimonia, per propinquam patriæ regionem venditabat, idemque ob rerum tenuitatē, mercibus suis nō institoris modo nomen, sed iumenti quoque officium præstabat: verū is postea apud Carolum VII. in eam peruenit gratiā, vt principes ipsos, opum magnitudine superaret, & quod maius putari debet, per eum, Carolus regnum totum administraret.

De Sulthanis Aegypti.

Sed quàm aliam magis mirandam, ab humili sordidoq; loco mutationē, ad ingentem fortunam, quam Sulthanorū esse dicemus? Eos enim videmus prius oportere seruos fuisse, quàm ad eum honorem conscendant, manumque illam quæ aureum tantorum regnorum sceptrum acceptura est,

neceſſe eſt ante defricandis equis, aut culinæ immũdis mi niſterijs deſeruiſſe, ex tã ſordidis autẽ initijs, in eã principatus ſublimitatẽ efferuntur, vt ceu numina à populis ſuis colantur, eisq; Aegyptus tota, item Arabia, Iudæa, Paleſtina, Meſopotamia, deniq; Syria omnis pareat, quorũ ſingulæ partes, quondam magnorum regum ſedes fuẽre.

DE HVMANIS CASIBVS AC FORTVnæ Varietate. Cap. XI.

De Marco & Barbula,

DE varijs Caſibus, quæ materia ſuperiori coniũcta eſt, ſcripturus: à Marci prætoris, ac Barbulæ mutatione, quæ peruaria fuit incipiemus. Marcus cum in Bruti partibus præturam geſsiſſet, hoſtis iudicatus eſt, & poſtea acie in Philippicis campis ſuperato Bruto, vt plerisq; alij captus fuit: aſtu verò, cum ſeruũ ſe fingeret, à Barbula coemptus eſt, qui cum in eo & prudentiam & ingenium animad uerteret eſſe, alijs eum ſeruis ac ſimul domui gubernandæ præfecit, ſed cum in dies re ipſa videret, modeſtiæ atque veræ vrbanitatis plus in eo quam communiter in ſeruis ſoleat eſſe, ſecretò compellatum efficacibus verbis vrgere cœpit, vt ſi in rebellium numero eſſet, illud ne occultaret, quoniam eius liberandi rationem initurus eſſet: ſed Marcus riſu diſcutere rem quærebat, negans eo ex numero ſe, ſed verè ſeruum eſſe, eos quoque quibus ante ſeruiuerat, tempuſque quo venundatus fuerat, ceu rem veram appoſitè narrabat. Verum Barbula, vt certiora hac de re argumenta elicere t, dixit, Velle ſe Marcum Romam ſecum ducere, ratus ſi inter rebelles haberetur, præ timore Romam ire recuſaturum. Marcus autem nihilominus quam Barbula ingenioſus affirmat, libenter ſecuturum. Profectus igitur ad vrbem cum Barbula: dum ad Conſulis valuas dominum moratur, à ciue Romano agnitus eſt: qui Barbulæ, ceu amico, eum detexit. Is nulla mentione de hoc cum Marco facta, ſtatim ad Agrippã pfectus, per eũ ab Auguſto impetrat, vt Marco ignoſceretur, atq; eũ poſtea ad Augu. deduxit, à quo in amicorũ numerũ acceptus eſt. Nõ multo pòſt Barbula inter Antonij amicos, poſt Actiacam pugnam captus eſt, atque incognitus à Marco emptus, ſed cum Marcus paulo

poſt

post Barbulam esse cognouisset, ab Augusto salutem eius impetrauit. Horum casibus fortuna satis varietatem iam expressisse videtur, cum eum qui Prætor fuerat, seruum fecit: nec multo pòst egit, vt dominum, cui Prætor seruierat, Marcus seruum haberet.

De Lepido & Balbino.

Varij quoq; & mirandi casus, Lepidi atque Balbini fuerunt, nam Lepidus olim Triumuirorum primus, vtpote, cui potentior erat, ius vitæ fortunarumq; in Romanos ciuis habuerat. Sed postea ab Octauio triũuiratu depulsus, Romam venire coactꝰ est, illic Balbinum rogare oportuit, qui superiore anno proscriptus fuerat: sed postea, pace cum Pompeio facta, Romam reuersus, Cõsulatum obtinuerat: paruo enim tempore, fortuna quę Lepidum ad tantam potentiam extulerat, eò deiecit, vt rogare eum cogeretur, qui Lepido rerum potiente, vnus maxime infelix ipsum rogabat, cuius etiam calamitas hoc magis augebatur, quod Balbini seruis inuisus, aditu ad Balbinum prohibebatur. Qui enim alijs audiẽdo se difficilem prębuerat, apud alium sibi quoq; restrictum ad res agendas aditum sensit.

De Appio proscripto.

Cum Appius proscriptum se à Triumuiris nosset, opes quas habebat, seruis suis diuisit, & cum eis nauem conscẽdit, vt in Siciliam traijceret, orta ingenti tempestate, serui eum in lembum demiserunt: monentes, illic à tempestate tutiorem fore, & ipsi cum naue atque opibus abierunt: sed ita pro iusticia agente Deo, qui tutius se in naui futuros duxerũt, paulo pòst cũ naui demersi sunt. Appius autem, quę serui in lembum demiserant vt mergeretur, in Siciliam, ventorum vi incolumis perlatus est.

De Vitellio Imperatore.

Varij quoque ac graues Auli Vitellij casus fuerunt, à Galba enim in Germaniam ad regendos exercitus missus, in viaticum pecuniarum rationem nullam habebat, nisi vxoris margaritas vendidisset: quæ postea cum socru, in parte alienarum ædium habitauit. Ipse quoque, dum ab vrbe discederet, vix àcreditoribus explicare se potuit, is tamẽ ex tã humili fortuna, ab exercitu in Germania creatꝰ impe-

rator, Romam venit Augusti nomine salutatus: cęterum fortuna, quæ tam feliciter arridere ijs iniurijs visa est, breui tantam fœlicitatem in miseriam luctumque conuertit, captum atque vinctum, Vespasiani militares duces: per vrbem traxerunt, appositogladij mucrone sub mento, ne vultum obtegere ab iniuria posset, cum cœno sordibusque eũ pueri incesserent, cæsus per hunc modum, & ad scalas gemonias coniectus, ad quas aliorum corpora proijciebantur, quibus sepeliendi ius negatum erat. Tam variam fortunæ vim habuit, vt qui tam paruo tempore, vtriusque fortunæ casus, tam variè tam grauiter tulerint, perpaucos fuisse arbitrer.

De Celso tyranno.

Imperante Galieno, cum Celsus priuatam in Aphrica vitam ageret, vbi Tribunus aliquod tempus fuerat, ob insignem iusticiam venerabilemque aspectum, Pasieni opera qui in Aphrica proconsul erat, item Pomponiani, qui fines Libycos turbatur, ab exercitibus imperator creatus fuit. Sed cœptum hunc fauorem, mutante fortuna, Galienæ opera, Galieni imperatoris propinque, post septimum diem interfectus est, & corpus à canibus deuoratum.

De Maximiano Herculeio,

Quam varia Maximiani quoq; Herculeij fortuna fuit, is Diocletiani opera iussuque è priuato homine Augustus factus, non multo post Diocletiani suasu, imperium deposuit, atq; ad pristinum vitæ gradum reuersus est, cum autẽ breui postea huius facti eum pœnituisset, Diocletiani filiũ Maxentium spoliare regno (quod eum Maxentius exercitui præfecerat) conatus, vix militum effugere impetum potuit. In Gallia quoq;, quò se ad Constantinum generũ contulerat, cum deprehensus esset pares tetendisse insidias, in fuga comprehensus, misere suspendio, vitam finiuit.

De Constantio Cloro Cæsare.

Meliorem quidem exitum sortita est, sed non minus tamen ante varia fuit in Gallia Cõstantij pugna, qui magni Constantini parens fuit: nam à Germanis prælio victus, atque in Lingones profugere coactus, cum oppidani,

præ

ne hostium metu, aperire portas non auderent, fune per muros in vrbem receptus est, in quam magna pars eius copiarum se contulerat: cum eodem tempore, aliæ quoque eius copiæ superuenissent, eruptione in hostes facta, eodem ipso die quo victus fuerat, hostes delevit, è quibus, eo prælio, sexaginta hominum millia desiderata fuerunt.

De Zenobia Armeniæ regina.

A Romanis ad aliorum exempla transeuntes, Zenobiã Rhadamisti Armeniæ regis vxorem annectemus: quæ propter populorum rebellionem, cum vnà cum viro fugeret, & in via pariendi dolore capta esset, ita vt vltra progredi non posset, Virum rogauit, Vt eam occideret, neque in hostium manus venire pateretur. Vir pòst multas lachrymas matrem amplexus, ne dedecus pateretur apud hostes, ferro regulum eius petijt, & mortuam esse arbitratus, in Araxem fluuium qui prope erat proiecit, ne corpore hostes potirentur. Sed postea à quibusdam inuenta pastoribus, cum adhuc viuere perspiceretur, ad Tiridatem mariti hostem, perlata fuit.

De Saulo Iudæorum rege.

Inter hos fortunæ varios casus, annumerari potest illud quoque quod Saulo iuniori contigit: nam cum duas asellas amisisset, ad prophetam se contulit, vt amissas inueniendi de eo iudicium acciperet, sed propheta Saulum Iudæorum regem, vnctione sanxit. Itaque qui rei vilitatem quam Saulus quærebat (vix enim inter iumenta asino vilius aliud inuenire potest) & eius rei magnitudinem quam à propheta vnctus accepit, non modò non petitam, sed ne optatam quidem confiderauit, & varia & mira res esse profecto videbitur.

De Hyrcano pontifice ac rege Iudæorum.

Nónne etiam & varij & miserandi casus fuerunt, Hyrcani Iudæorum regis atque Pontificis? qui à fratre Aristobolo ejectus, & postea per Pompeium recuperato regno, cum omnibus quæ ante possederat, eius possessionem quadraginta annos quietè retinuit. Deinde à nepote Antiocho, Aristoboli filio, atque Parthis pulsus, desectis auribus, in Parthiam captiuus est deductus. Cum autem temporis la-

pſu poſtea Antigono Herodes ſucceſsiſſet, & arte magnisque ꝓmiſsis, iterū in Iudeā ꝓduct⁹ Hyrcan⁹ poſt tantā calamitatē in priuata fortuna quieturū ſe ſperaret, ꝓpter falſas ſuſpiciōes ab Herode occiſus fuit, in eoq; Aſſamoneorū regnū finē accepit, In quo fortuna viſa eſt voluiſſe, quā magnæ varietates atque inconſtantiæ ipſius vires oſtendere.

De Sedechia, qui etiam Ioachim dictus eſt, IIII. Hieroſolymarum rege.

Quàm miſerādi quoq; caſus fuerūt Malachiæ, qui etiā Ioachim dictus eſt? cū opera Nabuchodonoſor Chaldæorū regis deiecto à Iudaico regno Ioachim qui Iechonias quoque dict⁹ fuit, ipſe nepotis loco ſuffectus eſt, cū nominis in Sedechiā permutatione. Sed cū vana ſpe inductus, præſtare pactū tributū negligeret, à Nabuchodonoſor rege, magnis viribus obſeſſus, dū euaſurū ſe arbitratur, vndecimo quo regnare cœperat anno, cū vxore ac filijs captus, omnes ante filios interimi, patriā ac tēplūſimul incēdi cū vidiſset, erutis oculis Babylonē perductus, illic cū cōiuge, in carcere inter homines lingua moribusq; diuerſos diē ſuū obijt.

De Perſeo Macedoniæ rege.

Nequaquam fœliciore exitu vitā fortunāq; terminauit Rex Perſeus qui amiſſo regno, ſimulq; ingētib. theſauris, à Paulo Aemilio ductus in triumphū, perpetuo carceri dānatus eſt: cuius cū vigiles tæderet, ſomno ab eis ꝓhibitus, eo tormēto perijt, Neq; verò his malis ipſius fortuna cōtenta fuit, ſed filiū eius Alexandrum, in eam coniecit miſeriam, vt notarium profeſſus, ſcribendo vitam duceret.

De Adonibezech Chananeorum rege.

Quid vero de Adonibezech Chananeorū rege dicemus? qui in prælio à Ioſue Iudeorū iudice captus, amputatis manuū pedūq; digitis, in hūc modū miſerrimè in vita ſeruatus eſt. Siquidē viuere is dici pōt qui eo modo habitus, in longā potius mortem cōiectus videtur? faſsus enim fuit ea ſe morte, ſeptuaginta reges vicinarū vrbiū affeciſse: cū longo eos tēpore, veluti canes ſub mēſa ad pedes ſuos pauiſſet.

De Demetrio Nicatore Syriæ rege.

Eorum de quibus diximus, varij fuerunt caſus, ſed longe incōſtantiores Demetrij eius, cui Nicatoris cognomen

tum

um fuit: nam cum in prælio pater Demetrius Soter, Seleuci filius, aduersus Alexandrum Balantem, qui se Antiochi Epiphanis filium ferebat, vitam cum Syriæ regno amisisset, & ob eam causam ipse in Cretam profugere coactus esset, inde amicorum ope adiutus, Alexãdro magnis virib. resistẽte ꝓfecisset, nisi fortuna inexcogitato casu eũ subleuasset. Nã cũ Ptolemæus Philometer cuius filiã Alexãder duxerat, genero opẽ in eo bello magnis virib. ferret, discedẽte ꝓditione, quã in eũ Alexãder moliebatur, mutata in Alexãdrũ volũtate, iniuriã vlcisci decreuit. Itaq; ereptã ex eius matrimonio filiã Demetrio Nicatori cõiunxit, fœdere; inito, cũ in Alexandrũ arma, quæ ante ꝓ eo habuerat conuertisset, Alexãder in Arabiã pulsus, illic est occisus, relicto filio Antiocho, quẽ Græci Theon appellarunt: qui Dionori Apameni Triphonis cognominati opera, Demetriũ in Syria persecutus, paruo tempore, vt pater, regno eum deiecit. Nicator vero, cum se in Ciliciam recepisset, seruante eũ ad alios grauiores casus fortuna, misso Syriaco bello, à Græcis quibusdam vocatus, in Parthiam se contulit, fretꝰ Parthica expeditione confecta, facilius Syriæ se recepturũ eius regnum: sed in contrarium res ei cessere: quippè in prælio à Parthis captus, apud eos in carcere est aseruatus. Variãte autẽ sæpius Syriæ fortuna, post Antiochi Theonis ac Diodori mortem, item fratris Antiochi Soteri, qui in prælio à Parthis cęsus fuerat, Nicator à Parthis liberatus est, atque in aui regno restitutus. In quo variante iterum fortuna haud diù mansit: nam ab Alexandro Zebenna, qui apud Ptolemæum Phisconem regem Aegypti, in magna gratia erat, motis in eum armis, superatus pulsusq;, cum Ptolomaidẽ ad Cleopatrã coniugẽ se recepisset, ab ea reiectꝰ dũ ceu attonitꝰ inde abiret, in fuga captus, ac demũ crudelissime interẽptus fuit: cũ inter hos varios casus Nicatoris finẽ, vt persępè solet, lachrymis fortuna terminasset.

RECENTIORA.

De Romano Constantinopolit. Imp.

A Priscis Græcorum atq; Barbarorũ exemplis, ad recentiora transituri, inter eos Roman. II. qui Diogenes dictus fuit Constantinopolitanum Imperatorẽ primò ponemus qui

qui in bello, à Belfech Turca Persarũ rege captꝰ, deinde auro redẽptus, cũ se tutiore putauit esse loco, contẽptus à suis ceu iners & excors, luminibꝰ simul atq; imperio priuatꝰ est.

De Iustiniano II. Imp.

Quanquam re vera tragica res magis, quàm historica Iustiniani II. Cõstantinopolitani Imperatoris casus dici possint, quorum recordatio, mortalium mentes merore possit afficere, nedum propter ipsius in sæuiores semper casus varietatem, vt mirentur, moueret: tamen quia veri fuerunt, vt exemplo terreantur, quorum insolentia, propter nimiam felicitatem crescit, & qui in miseriam deuenerunt, sperare posse discant, haud ab re putamus esse eos enarrare. Iam decimum annum Iustinianus imperabat, cum eo ipse tempore, quo se in imperio firmiorem arbitrabatur, à Leontio patricio captus, & imperium & nasum simul amisit, atque in exilium Chersonam, quæ in Ponto est, missus fuit. Leontius tertio anno post malè ademptum imperium, pari sorte, qua Iustinianus & naso & imperio priuatus, à Tyberio Absimaro quẽ Punici exercitus, per seditionem ad occupandum imperium iuuerat, in carcere ita vt erat asseruatus est, Deiecto Leontio, Tyberius imperium occupauit, suspitionum plenus, vt eorum natura fert, qui malis artibus in magnam fortunam conscendunt. Is cum accepisset iuuenẽ patricium, Philippicũ Bardanium nomine, in somnis vidisse, capiti suo aquilam insidere, arbitrabatus ea re imperiũ portendi, in exilium Chersonam eum misit, tollere quoq; è medio Iustinianum decreuerat. Cæterum Iustinianus re intellecta, ex virtute cõpulsus opem sibi parare, ad Chaganum Turcarum regem profugit, atque eius sorore in matrimonium accepta, cum eius quoque opera, cum Trebelio (Bulgarorum qui inter Scythas numerantur rege) fœdus iniuisset, magnis viribus, ab vtroque adiutus, depulso Tyberio imperium recuperauit, inuentumq; in carcere Leontium, post longa tormenta publice interemit, & propter priora mala suspicios us, vt Tyberius, cum eum bello cœpisset, ipsum quoque occidit. Cum eodem modo perdere Philippicum vellet, & Chersonam euertere, quod in ea exulem se contemptum fuisse dicebat, contra multorum sen-

ten-

niam, qui ad humanitatem atque clementiam eum horbantur: magna classe Chersonam profectus, à Cherronē bus atque Philippico, quos desperatio ad rebellionem im lerat, armis exceptus, atq; insuper ab exercitu proditus in fuga, vnà cum Tyberio filio captus fuit. Ambos Philip picus exul, vt erat, securi percussit, qui de exule imperator ctus, nec multo pòst ab Anastasio proditus, & lumina & mperium amisit. Gaudente fortuna ex Iustiniani casu, ve ut ex equo Troiano, non milites, sed alios casus atque cala mitates creando, dum de imperatoribus exules, atque de exulibus rursum imperatores facit, atque eosdem ad gradiorem etiam quam ante haberent, miseriam deducit, in vtroque fœlicitatis ac miseriarum statu quantæ sint eius vires, & quam ipsa varia atque sæua, nihil in rebus humanis certi ac firmi relinquat, ostendens. Huic autem Iustiniano, cum exituum similitudine, vnius imperatoris ac duarum regionum casus respondeant, eos subiungemus.

De Andronico imperatore.

Pulsus in exilium Andronicus, à patruele fratre Emanuële secundo imperatore, ortis seditionib. ad Turcas profugit: cæterum postea reuocatus, ab eodem prouinciæ Ponticæ præfectus est. Interim, cum Emanuële defuncto, filium impuberem, qui successerat, Alexius patruus regeret auricia, atq; crudelitate insignis, vt eius administratione, quæ omnibus inuisa erat, remedium daretur, Andronicus à populo vocatus est, qui Constantinopolim profectus, & pupillum & patruum occidit, cum ipsorum stirpe, ita vt vnus Isacius eam vim effugeret. Per hunc modum Andronicus imperio potitus, dum acerbè Isacium insequitur, quia fuga parere sibi salutem desperaret, coëgit, vt impar præter omnem rationem arma tentaret: quamobrem, id quod omnium minimè Andronicus verebatur, & propterea paratos milites in vrbe nullos habebat, nocte Isacius Constantinopolim ingressus populum ad arma excitauit, obsessoq; in patratio Blaquerna Andronico, paruo tempore locum expugnauit, atque Andronico manus iniecit: quem primum effosso oculo, nudum in asino auersum constituit, asini cauda pro imperatorio sceptro data, cum caput illi reste, tanquam

quã diademate cinxiſset: deductus autem per totam vrbẽ Andronicus cũ in hoc ſtatu eſset tandem furcis ſuſpenſus, fœdiſsimè vitam amiſit.

De Iezabel Regina Samariæ, & Brunichilda regina Gallorum.

A me ſcribendo, ſeorſum nequaquam ponentur Iezabel & Brunichilda ambæ reginæ: cum eas aduerſa fortuna, quã quam diuerſis tẽporibus, grauiũ caſuũ atrocitate ſimiles fecerit. Fuit Iezabel Ionabal, Tyri atq; Sydoniæ regis filia, Achab autem cõiunx, qui in Samaria regnabat, ac Ioram mater: & tamen quæ fœlix viſa eſt eſse, ab Iehu milite duce ſuo, qui ab ea rebellauerat, filio regnoque ſimul priuari ſe conſpexit, & poſtea ab alta turri præcipitem demitti. Cũ demum corpus eius equorum pedibus detritũ, eſca canib. daretur: ita vt cũ Iehu conquiri corpus ad ſepulturã iuſſiſſet, nihil præter manuum digitos fuerit inuẽtum. Fuit ſimiliter Bruneuſch Atanagildi Gothi Hiſpaniarũ regis filia, Sigiberti Metenſis regis vxor, quæ cum poſtea ex Arriana catholicam ſe feciſset, & mutato nomine Brunichilda diceretur, haud multo pòſt viro à fratre eius Childerico Gallorum rege occiſo, ipſa in exiliũ acta fuit: cum autẽ elã Merouco Childerici filio nupſiſset, vt noua affinitas in eam Childerici animum leniret, cõprehenſo Merouco, ab irato patre, quia inuiſas ei nuptias fecerat, denuo vidua facta eſt: quia Meroueus cum patris iram ferre nõ poſſet, ſibiipſi manus iniecit. Poſt autem aliquod tempus, cum Childericum, qui in regno Metenſi patri ſucceſſerat, accepiſset mortuum eſse: magno labore aſsecuta eſt, vt ad regendam nepotum Theodeberti atq; Theoderici infirmam ætatẽ proficiſci poſſet: quibus liberisq; eorum mortuis, à Clotario ſecundo, qui ad ſe vnum Gallicarum rerũ ſummam traxerat, regno ſe priuari vidit: atq; inde grauiſsimis criminibus, falſo inſimulatã, miſerandum in modũ diſcruciari. Nam non cõtenta fortuna, nudã nudo ac macilẽto equo impoſuiſſe, atq; per tota caſtra ſpectandã traduxiſſe: egit, vt pedibus ipſi equo alligata, per ſaxa, per vepres ac dumeta traheretur, dilaniataq; crudelẽ in modũ corpus totũ vitã ageret. Res profectò & mira & cõmiſeratione digna vt regũ filiæ, regũ coniuges, ac regũ matres, in eam calamitatẽ venirent,

ad

alquã ne humili quidem fortuna ortus, nisi rarissimè & grauibus patratis facinoribus, vllus vnquam peruenit.

De Elizabetha & Maria Vngariæ reginis.

Similitudo casuum, magis quam ordo temporum facit, vt ijs de quibus est dictum reginis, duarum aliarum casus subnectam, & si atrocitas aliquãto dispar fuit, ex eis enim cognoscetur, quanquã fœmineus sexus, multis rationib. à violentę mortis ac vulnerum periculo abesse videatur, ad vtrang; tamen fortunam nouos aduenire modos & casus. Mortuo Ludouico Vngariæ rege, Maria eius filia, regni hæres, sub matris Elizabethæ tutela regebatur: rexque & nõ regina, gentis illius more nũcupabatur. Neapolitanus rex Carolus, qui eo nomine postremus fuit, Mariæ patruus, à multis Vngarici regni proceribus vocatus, cum ad eius regni fines, cũ valido exercitu venisset, & si quo animo venerat (quamuis ipse propinquitatis beneuolentiam prætenderet) reginas non latebat, tamen quia resistendi falcutas nulla erat, exceptus fuit. Primo sub gubernatoris illius regni nomine, deinde cum deteriora impẽdere viderentur, vt ipsarum reginarum postulatione Vngariæ regno coronare tur. Cũ hæc, nõ sine reginarũ ingẽti dolore fierent, & si fortuna risum ab inuitis extorquebat, atq; ipsæ quãquã in priuatam iam fortunam redactæ, in arce tamẽ Budæ manerẽt, sub aliarũ rerũ prætextu, rex Carolus in inferiorẽ arcis partẽ, vbi reginæ habitabãt, ab eis vocatus, Elizabethę reginæ cõsilio, in caput lætale vulnus accepit, infusoq; vulneri veneno, cũ præterea in carcere cõditus esset, haud multo pòst animã egit, infantib. Ladislao & Ioãna secũda, liberis Neapoli relictis. Ad hæc in Carolũ patrãda, reginas Pannoni⁹ eques iuuerat, q gẽtis illius more, dũ iter facit arma tus, sub ducẽdæ vxoris prætextu ad eas iuerat: per eum igitur reginæ tota arce potitæ, pristinam fortunam recuperasse videbantur: sublato enim hoste, paruo negocio, consilio atque arte magis quam viribus, in regni quod eis magno exercitu Carolus ademerat possessionem redierant. Itaq; cum eo metu solutæ, Budã profectæ, inuisere regni fines vellẽt: Ioannes Horuathbanus (id præfecturæ nomen est) multis barbaris comitat⁹, in eas impetũ fecit, cũ autem in

earum

earum cõspectu, omnibus quia Caroli neci interfuerant, caput ademptum fuisset, in tam fœdo spectaculo, in quo omnia sanguine madebant, reginę, vt in ipsas quoque crudeliter sæuiretur, expectabant. Sed tunc à vi temperatum est, & conuitijs ingentibus onerate, ad arcem, quæ in Ioannis potestate erat deductæ fuerunt. Illic ab Elizabetha iureiurando multipliciter certior factus Ioannes, filiam Mariam conspirationis in Carolum factę consciam non fuisse, eam in carcere asseruauit: Elizabetham autem, id est matrem, vulnere affectam, dum primus in mulieres ipsas impetus fuit factus, noctu in flumen demersit: neq; verò hoc satis fortunę visum est, ostẽdere enim in tanta calamitate voluit, quantæ ipsius vires essent: nam cum eo ipso tempore, quo Carolus interẽptus fuit, reginę, Sigismũdum Marchionem Brandeburgensem, quod ei Maria desponsata fuerat, vocauissent, is iam ad regni fines venerat: Quãobrem territus Ioannes Horuath, cum Mariam reginã sacramento adegisset, vt omnem iniuriam remitteret, ad virum eam dimittat: à quo igitur, ea in arce, quam tenebat obsessus, captusq;, in magnis cruciatibus mortem obijt. Cũ autẽ intra breue tempus, Sigismundus ad imperium cõscendisset, Maria quæ paulo ante de regno, ac paulo post de vita, magno in discrimine versata erat, Augustæ nomẽ indepta, quàm varij sint fortunæ casus, & quam etiam in miseris rebus, spes tamen haberi possit, exemplo mortalibus extitit.

De Adaleda Augusta.

Non minus varia Adaledæ fortuna fuit. Nam mortuo eius viro Lothario Italiæ rege, à Berengario, qui imperium occupauerat, in carcere habita est, in Gardẽsi arce: in qua aliquot tẽpus tam anguste vixit, vt rerum omnium inopia premeretur. Inde cũ clã Veronam profugisset, in Leardi episcopi domũ, atq; ab eo in villa sua occultata, eius opera Ottoni primo nupsit, recuperataq; libertate simul cũ imperio, cum ex viro Ottonem II. genuisset, ab eo Berengarios euerti, & carceris sui graues pœnas sumi vidit.

De Othone II. Imp.

Matris exemplum filius sequetur Otto II. qui ex Germania in Italiam profectus, cum in Calabria aduersus Græcos

ter bellum gereret, ab Alexio atque Constantino Imperatoribus prælio superatus est, fugiens autem, cum in paruã nauem conscendisset, incognitus à piratis est captus, atq; in Siciliam perductus illic precio redemptus, cum Romam venisset, intra paucos dies captos ipsos piratas, qui eum coperant, omnes suspendit.

De Sanctio secundo Castulonensi rege.

Magna quoque Sanctij Castulonensis regis fortunæ varietas fuit, nam cum ingentibus copijs, fratrem Garsiam, Galliciæ atque Portugalliæ (Lusitaniæ enim portio est) regem obsedisset: is in rerum desperatione, ab vrbe eruptione facta, prælio Sanctium superauit ac cœpit: interim autem, dum Garsias fugientes insequitur, Aluarus Hauez, Sanctiũ ab hoste recepit, & cum ei Rodericus Biuar cognomento Cidus se coniunxisset, statim prælij mutata fortuna, ambo ex victore Garsiam captiuum fecerunt. Inde cum se hoc fortunæ successu, Sanctius in alium fratrem Alphonsum Legionensem regem cõuertisset, conserta manu superatus est, per noctem autem collectis copiarum suarum reliquijs, Sãctius ex rerum desperatione, ad tentandam fortunam commotus, fratrem Alphonsum ob victoriam secure nimis agentem, & propterea imparatum adortus, fudit ac cœpit. Cæterum instaurato validius à Legionensibus exercitu, cũ iterum pugnasset, nouo prælio fusus Sanctius, ducebatur captiuus, nisi fortè Cidus superueniens, denuò ex hostium manibus eum recepisset, & cum Legionensibus egisset, vt contenti Alphonso, qui ipsorum rex erat, liberato, Sanctiũ liberè dimitterent. Ita paruo temporis momento, Sanctius bis se dominum eorũ inuenit, à quibus, ipse captus fuerat: quo experimento clarè ostenditur, nullius prælij quenquam victorem dici posse, nisi posteaquam bellum finitum est.

De Petro Castulonensi rege, & de eius fratre Henrico.

Nõnne etiã admodum varia Petri Castulonensis regis fortuna fuit, atq; Henrici eius fratris? Petrus Alphonsi XI. filius, magnis criminibus populis inuisus, ab eis regno pulsus fuit, atque Hericus eius frater nothus ei suffectus, quãobrem præmente fortuna, Petrus Bononiam ad Galetanũ

principem Eduardi III. Britannici regis filiũ, se recepit, eius ope adiutus Henricum eiecit, qui in Aragoniam se cõtulit: vnde prius exul, ad capiendum regnum à populis vocatus venerat. Illic cum exul miseram traheret vitam, ægrè ferentibus Gallis, Petrum Britannorum armis restitutum, Beltramus Claquignius, Galliæ magnus Conestabulus (ea enim post regem suprema dignitas est) Henrici causam suscepit, profectis iam inde Britannis, Petrum in arce Menteila obsedit. Cum autem vltra resistere posse desperaret, duplex ab eo casu fama manauit: alij ferunt noctu accepta fide, ad Conestabuli tentorium venisse, alij profugum ab arce in hostium manus incidisse: vtcunq; res fuit, constat, cum in Conestabuli tentorio esset, Henrici fratris manu, qui tunc forte illic erat, interemptum fuisse.

De Radagaso Gothorum rege.

A secundis casibus, ad infœlices transituri, miserandum Gothorũ regis Rhadagasi casum scribem[9]. Qui cũ in Italiam aduersus Honorium, cum ducentis equitum milib. veniisset: à Stilicone consule, inter Fesulanos mõtes obsessus, cum eius fugeret exercitus, ipse in Stiliconis potestatem venit, à quo catenis vinctus, & per omnem Italiam deductus, turpiter interijt, omnibus admiratione captis, cum eum captiuum atque vinctum cernerent, ad cuius famam paulo ante omnes præ formidine contremuerant.

De Conradino Germaniæ rege.

Conradini Germanici regis, haud multum à Rhagadasi casu dissimilis fortuna fuit, is in Italiam aduersus Carolũ I. Neapolitanum Siciliæque regem venit, cum ius sibi in illis esse regnis diceret. Illic cum superatus ac mutata veste fuga sibi consulere vellet, captus, inusitato miserandoque in regem more, in medio Neapolitano foro securi percussus, carnificis manu caput amisit, quod Germaniæ, Siciliæ atque Neapolis regnorum diademate ornari consueuit.

De Gulielmo III. Neapolis atque Siciliæ rege.

Non minus etiam varia atque miseranda ante fors fuerat Gulielmi tertij Neapolitani Siculique regis, nam cum Gulielmus hoc nomine secundus, in eis regnis, sine liberis decessisset, regnaque ad Tancredum hæreditario iure peruenis-

enissent, aduersus Pontificem pro feudo contumaciter a-
gente, Celestinus III. Pōtifex ex Panormitano virginum
monasterio, Constantiam olim Rogerij regis filiam, iam
annum, ad se acciuit, eamque matrimonio coniunxit, cum
Henrico Friderici Aenobarbi filio: hinc graue cum Tancre
do bellum est ortū, in quo cum ipse decessisset Gulielmus
eius filius, in regno successit. Cū eo Hēricus insidio-
se pacem cum iniuisset, fraude Gulielmum comprehendit,
quem cum tribus sororibus vinctum, in Germaniam misit,
sed non contentus eum luminibus priuasse, vt spem quo-
que successionis adimeret, genitales partes desecuit: itaque
Gulielmus exemplum humanæ varietatis, satis grande re-
liquit, cum se ex ingenti rege, cum sororibus ad eam gentē
captiuum vidit deductum, cuius linguam non norat, & de-
natis genitalibus, non tolli solum propagādi nominis sui
spem, sed ad grauiorem etiam calamitatem reseruari, pror-
sus extincta Guiscarda gente, ex qua olim permulti magni
reges prodierant.

De Francisco Iuniore Carrariensi Patauino principe.

Recentior, quanquam non minus sæuus variusque Fran
ciscj Carrariēsis iunioris casus fuit, qui à Galeacio Vicecō-
mite Patauino principatu deiectus, patre eius in vinculis
mortuo, cum in Germania aliena ope victum quæreret, mu-
tatis rebus, vt sæpe solet, Venetorū Florentinorumq; armis
adiutus, Patauinum principatum recepit, eiq; etiam Vero-
nam addidit, qua fœlicitate non contentus, cum pro more
humani ingenij, maiora etiam parare cuperet, molitus Vi-
centiam Venetis adimere, prælio superatus & captus, vni-
uersa quæ possidebat amisit: deductusque Venetias cum
duobus ex liberis quos habebat, vnà cum eis miserandum
in modum strangulatus est, salutis anno 406. supra mille.

De Sarra Columnensi.

Ne tam multorum infœliciū casuum continuatio, fasti-
dio mouear, ad aliquanto fœliciorem fortunā, quanquam
non laboris plenā trāsibimus. Cū Bonifacius 8. Anania vr-
be in Latio ortus, nimiū Guelfo nomini addictus, acerbè
Iacobū Ioannemque Columnenses cardinales ambos, itē
Sarrā eorū fratrē, insequeretur, non contentus ecclesiasticis

eos honoribus priuasse, patrimoniũ etiam atq; alia bona, quæ possidebant ademit. Itaq; cũ vitæ suæ Sarra vehementer timeret, diu per nemora errans furtim his cibis, quos à pastoribus accipere poterat alebatur, nemini propter Bonifacij odium, ac vires se credere ausus. Squalore igitur confectus, cum insuper promissa barba demissique capilli totũ obtegerent hominem, effigiem prorsus à consueta specie mutauerat, ac lacera veste tectus, feræ potius, quàm homini similis videbatur: huius vitæ, iam propter longitudinẽ impatiens, ad mare descendit, vt videret si quo modo, inde ad tutiora loca, abeundi viam inuenire posset: illic à piratis Cathelanis, qui vt pecora in victum raperent, ad terrã descenderant, captus, non ausus se, ne Bonifacio pontifici venderetur, detegere, remigariam seruitutem, patienter accepit. Cum postea piratæ, cum triremibus Massiliam attigissent, non ignarus Sarra, inter Philippum Gallorum regem cognomine Pulchrum, ac Bonifacium pontif. grauc odium atque inimicitias esse, clã se ei detexit, redemptusq; à piratis, in Galliam ad Philippum perducitur, qui cum in Italia mortuus putaretur, in eam cum pecunia missus est, iussique pauci quidam Galli milites, non simul, sed seorsum sequi, vt sub alio prætextu Italiam petijsse viderentur. Sarra igitur cum Anagninis ciuibus Gibellinæ factionis inita conspiratione, scalis vrbem ingressus, Bonifacium securè in patria agentem, neque aliquid minus, quam Sarræ arma verẽtem, cœpit, ei primum thesauros omnes ademit, deinde re, verboque non secus atque in hostẽ inuectus, vinctum ad vrbem Romã deduxit, vbi eum Tyberi immersisse putatus est: quanquam quidam scripserunt, Sarram à vi in Bonifacium temperasse: sed Bonifacium, nimia indignatione, propter hũc casum, in furorem versum interijsse: sed vtcunque Bonifacius perierit, non est quin in ipso atq; Sarra, in vario casu, fortuna quantæ sint eius vires, ostenderit.

De Castrucio Castracano duce Lucensium.

Varij fuere eorum casus, de quibus iam dictũ est, sed Castrucij Castracani Interminelensis admirandus extitit, hic vrbe Luca pulsus, per Guelfam factionem, in Gallia atq; Britannia aliquot tempus militauit. Inde Lucam reuersus,

vbi

bi rerum potiebatur Vgucio Fagiolanus, non Lucensium
dium, sed etiam Pisanorum princeps, Vgucioni, quia Gi-
belline factionis fautor Castracanus putabatur, suspectus,
in vincula coniectus fuit. Cum autem Vgucio, Nerio filio
ordinasset, minimis quibusdam criminibus Castrucio ob-
rectis, vt eum capite mulctaret, Nerius verò Pisas ad patrē
scripsisset: Non posse id sine tumultu fieri propter amico-
rum, quos Lucæ Castrucius habebat multitudinem, Pisis
Vgucio discedens, vt huius rei gratia Lucam peteret, vix ex
vrbis conspectu abierat, cum populus Pisanus, clausis por
tis, arma arripuit, statimque de eo Lucensem populum cer
norem fecit. Lucenses quoque ex composito arma capiūt,
& vrbis portas claudunt, ita paruo momento, Pisis atque
Luca Vgucio exclusus, pulcherrimum principatum amisit.
Cæterum à Lucensibus per tumultum effracto carcere, Ca
strucius liberatus, vt vir præstans, & Vgucionis hostis, à Lu
censibus princeps creatur, & à Ludouico Bauaro Imp. titu-
lum Lucensium ducatus impetrat, cui haud longè post Pi
sas atque Pistoriam vrbes addidit: fortuna igitur rebus, vt
eius est mos, variè mutatis, principatum ademptum ei qui
Castrucium morti damnauerat, ad damnatum transtulit:
& eum qui dominus fuerat, in exilium egit.

De Petro Vngariæ rege.

Vt Italicis exemplis egrediamur, minuendi fastidij gra-
tia, ad Pannonas redibimus: illic Petrus, qui rex erat, cum à
proceribus pulsus esset, Aba in regno sufficitur. Petrus, Hē
rici Imperatoris ope adiutus, Aba interempto, regnum re-
cuperauit, sed quo tempore firmiorem se in regno esse pu-
tauit, noua eum grauique calamitate fortuna circumue-
nit, nam à principibus Vngaricis clàm vocato Andrea, qui
è regis Stephani stirpe ortus, ab Vngaria pulsus, per orbem
terrarum inops errabat, captus atque oculis priuatus, in car
cere haud diu post miserandum in modum perijt. Sed ne
Andreæ quidem fœlix hæc, vt videbatur, fortuna, perpetuā
se præbuit: nam cum filium admodum puerum, diademate
impositio, regni successorem, imò præsentem possessorem
facere vellet, Bela eius frater, qui mortuo Andrea ad regnū
aspirabat, adeò grauiter rem tulit, vt illato bello, eum pre-

lio vicerit atq; interemerit. Itaq; partũ post exilium Pannonium regnum, ei acerbæ mortis causa extitit: satisq; apertè ostensum est, in occulto manere, ea quę meliora sunt, persæpeque ab hominibus mala sua optari.

De Bela I. cæco rege Vngariæ.

Belæ mira fortuna, præter multa alia, quæ diximus, satis docere potest, humano consilio, aut nunquã, aut perraro fata mutari, quæ res persæpè efficit, vt prudentes parum videntes, & præcipitis consilij homines, sapientes atq; audaces videantur. Fuit Bela in Vngaria dux (quæ secunda à rege in Vngaria potestas erat) ipse cum à patre à Colomano Vngariæ rege propinquo, luminibus priuatus, quanquam in eas tenebras ac miseriam coniectus, minimè tamen animum cum lumine amiserat: itaq; in Græciam profugit vt meliori se fortunæ seruaret, quæ non defuit, nam mortuo Colomano, eius filius Stephanus Belam in patriam reuocauit, & cum sine liberis mortuus esset, in regno Bela successit. Itaque cum annos nouem cæcus regnasset, filium Geisam secundum successorem reliquit.

De Matthiã Coruino Vngariæ rege.

Perraro puerorum regna, quietè atq; iustitiã sortiuntur, sicuti inter alios, et in Ladislao Alberti filio perspectũ fuit, nam cum ad eum per mortem patris Vngariæ Boëmiæque regna, præterea etiam Austrasiæ ducatus peruenissent, ipseque regi potiusquam alios regere dici posset: adeò creuere odia, inter Ioannis Huniadis Vaiuodæ Vngariæ gubernatoris filios, atque Vlrichum Ciliæ comitem Austrasiæ gubernatorem, Ladislao affinitate coniunctum, vt Ciliæ comes, eorum opera, in vrbe Alba dum in templo esset, occideretur. Ob eam cædem, reuersus Budam rex comprehensis Vaiuodæ filijs, maiorem natu Ladislaum securi percussit, minorem natu, Matthiam in custodia asseruauit, cum autem secum postea in Boëmiam eum deduxisset, & sine liberis illic decessisset, Georgius Pogibratius, illius regni gubernator, à Boëmis ad regnum vocatus fuit, in Pannonia quoque legitimus rex in Ladislai morte ereptus erat, itaque cum intelligeret Georgius, Matthiam & propter virtutis paternæ memoriam, & propter magnas propinquitates

tes similiter, à Pannonijs electum regem, multis ab eo remissis oneratus, in Panoniam ad capescendum regnū remittitur. Vbi qui ante cathenis in custodia fuerat vinctus, regio diademate decoratus fuit.

De Iacobo Lusignano Cypri Rege.

Matthiæ Coruini casibus, haud dissimilis Iacobi Lusignani fortuna fuit, nam in Petri Cypri regis adhuc pueri coronatione, cū controuersia inter Venetos atque Genuenses de procedendi forma esset orta, atq; Iacobi opera, regis puerui, quidam Genuensis nationis cæsi fuissent, Genuenses vt iniuriam vlciscerētur, missa in Cyprum ingenti classe, præfecto Admiratoque Petro Fulgosio, Dominici ducis fratre, vrbem Famaugustam per arcem ingressi sunt, regina viduæ opera quę cum filio male à Iacobo habebatur. Ille inter alios captus Iacobus, ac Genuā perductus, cū quibusdam alijs in turri Pharea asseruatus est. In ea cū nouē mansisset annos, mortuo demū Petro rege, sine liberis, quia iure hæreditario regnum Iacobo debebatur, à Cyprijs populis ad regnum electus est, missique Genuam ab eis legati Iacobum à Genuensibus petierunt. Genuenses autē acceptā Famaugustā, magnumq; pacti census nomine auri pōdus, atque alia qudęam, Cyprijs Iacobum dedēre. Qui à Genuensium duce ac magistratibus, à turri in qua captiuus, sine vlla libertatis spe degebat, ad nauem ingenti honore, sub vmbella perductus est.

De Argon Cham.

Haud dissimili fortuna Argon Tartarus, cū arma in patruum cœpisset, Tangodor Cham, id est, Tartarorum in Perside atque Armenia regem (qui alio nomine Mahumetes dicebatur) prælio superatus ac captus, cum ad mortem damnatus, Taurisium in Armeniam perduceretur, incidit in principem Tartarum, olim Argi parentis ministrum, à quo nocte proxima vi facta, liberatus est: & Tartarorum princeps salutatus, Taurisiumq; vbi morti designatus erat, vt princeps est deductus. Coactis autē illic copijs, in Mahumetem inuectus eum interemit, atque per hunc modum in ipso Tartarorum regnum firmatum fuit, anno salutis ducentesimo octuagesimo quinto supra mille.

De Melechnaser Sulthano Aegyptio.

Magnam quoque similitudinem cum ijs habuêre, varij casus Melechnaser, qui fratri Melacassaraph in Aegypti regno, ita volentibus Mamaluchis successit, salutis anno ducentesimo nonagesimo quinto supra millesimum, nam cum propter teneram nimis ætatem, gubernator ei Gurboga Tartarus esset datus, qui alio nomine Melechadel dicebatur, regno spoliatus ab eo, in carcere conditus fuit, vbi aliquot tẽpus infœlicem duxit vitam. Sed quãquam Gurboga regno à Lachin Melechnaser pulsus esset (tamen nunquam captiuitatis finem habuit, nisi posteaquam Lachimes à suis cæsus fuit) tunc per Mamaluchos liberatus Melechnaser, atq; in regno restitutus, longum tempus regnauit.

De Casimiro Poloniæ rege.

Casimirus quoq;, alio nomine Carolus appellatus, adhuc puer, post mortem Mestui regis Poloniæ patris sui, à regno in exilium pulsus, in Abbatia Cluniaca, Monachali habitu sumpto, septimo exilij sui anno, cum minimè amplius se in regnum putaret reuersurum, tunc apertam in regnum viam inuenit. Nam cum sine duce regnum discordijs esset agitatum, & propterea dilaniaretur vicinorum præda factum, cum tantis malis vnius ipsius reditu occurri posse videretur, à populis in regnum vocatus fuit, atque à Benedicto nono pontifice ei concessum, vt monachali habitu deposito, regnum susciperet, atque vxorem ducere posset, quod cum egisset, liberos procreauit, & regni successores reliquit.

De Henrico quarto & Richardo secundo Britanniæ regibus.

Variam valdè fortuna se ostendit in Henrico quarto & Richardo secundo ambobus Britanniæ regibus. Indignatio vehemens Britãnos populos cœperat, quod Richardus cum Carolo sexto Gallorum rege, pacem atque affinitatẽ iunxerat, cum ante ipse ob eam suspicionẽ Patruum ducẽ Gloucestrẽsem interemisset, & filium Henrici Derbicensem comitem, fratrem patruelem, in Parrhisios relegasset. Post autem aliquot annos, cum Richardus parata classe, aduersus Irlandenses (Batauorum enim populi sunt) nauigaturus esset, Londinensis primarius Britanniæ populus, ad se

Hen-

Henricum vocauit, coniunctisque viribus, vtriq; arma in Richardum mouerunt, cum omnes eum deseruissent, in vrbe Eluic obsessus, breui Henrici fidei se credidit. Demum in Londinum vrbem deductus, cum iudicium de eo rite actum fuisset, indignus regno Richardus iudicatus est, atque coram eo ipsius magistratus occisi, eo metu impulsus Richardus regia veste, atque diademate ornatus cum palam per contumeliam nothum se, atq; sacerdotis filium appellari audiret, Henrico regnum tradidit, imposito ei manu sua regio ornatu, quem ipse duos & viginti iam annos gesserat. Ita exauctoratus & in carcere conditus, mortem obiit. Henricus autem confirmatis cum Gallorum rege induciis, de exule rex, ob eam ipsam causam factus est, propter quam Richardus regno pulsus fuerat.

De Henrico VI. Britanniæ rege.

A varijs casibus principum qui exitus fœlices habuerūt, rerum ad infœlices reuertemur. Scripturi enim sumus de Henrico sexto, qui tempestate nostra Britannicum regnū obtinuit, is cum duodecimum annum non excederet, patri Henrico quinto successit. Britānicis autem populis per discordiam ad arma compulsis, ipse in prælio à Varuicensi comite captus fuit, sed haud longè post, apud sanctum Albanum à regina Henrici coniuge amicisque eius superato Varuicense Comite, captiuitatem exuit. Cæterum cum ad Londinum vrbem Henricus cum victore exercitu veniret, Londinensi populo seditione agitato, cui Varuicensis ac Marchiæ comites opem tulerunt, iterum Henricus prælio superatus capitur, regnumq; ad Marchię comitē postea Eduardum quartum nuncupatum defertur. Sed hoc non contenta fortuna, post duodecimum annum quo Henricus carcere maceratus erat, Varuicensis comes, aduersus Eduardum amorem in odium conuertit, coniunctoq; Georgio Clarencēsi comite, Eduardi fratre, Henricus liberatus atq; in regno restitutus est Eduardus autē in Belgicæ Galliæ partem, quę nunc Flandria nuncupatur, fuga se recepit, vnde post sex menses in Britāniam cum exercitu reuersus, Henricum non solum regno depulit, verum etiam cœpit, atque in carcere interemit.

De Moseyde Tartarorum rege.

Ex parte Moseydis quoque Tartarorum regis, magni Tamburlani nepotis, casus similis fuit. Nam cum aduersus Vssancassanum Persarum regem, cum innumerabili exercitu profectus esset, quod ei in gerendo bello cõsilium deerat, fusus, ac captus, atque ad Vssancassani pedes, cũ vxoribus deductus, quarum ex gẽtis more magnum numerum habebat. Primum diuidi eas vectoribus, deinde multis contumelijs affectum, se captiuum dedi, Vzaibaicharæ qui ab ipso rebellauerat vidit, à quo per dedecus necatus fuit.

De Carolo Simplice Gallorum rege.

Nónne miserabilis quoque Caroli cognomento Simplicis Gallorum regis fuit casus? cum partis multis victorijs, egregieq; rebus gestis, Herberti comitis Veromandorum suasu, ac verbis Peronam deduci se passus est, vbi carcere cõditus, interijt.

De Ludouico quarto Gallorum rege.

Non minus varia, sed exitu fœliciore, fortuna habita est Ludouici quarti, qui Caroli filius fuit, cum eo adhuc puero pauoris plena mater, post virimortem, in Britanniam ad patrem se contulerat. Cum Rodolphus Burgũdio, Gallicum regnum occupasset, quo post aliquot annos defuncto, cum Galli principes Ludouicum reuocassent regnum recepit ac patrem vltus est. Sed haud multo pòst, cum Normandi in bello captum in carcere asseruarent, fortasse illic vitam amisisset, nisi Lotharium filium obsidẽ, pro his quæ ab eo Normandi petierant, dedisset, per eum modum carcere liberatus est.

De Ludouico Comite Flandriæ.

Persæpè contingit, vt prælio vincantur, qui honestis cõditionibus pacem abnuunt, quemadmodum Ludouico Flandriæ comiti euenisse, parentum nostrorum ætas vidit: nam cum Gandauensem vrbem, quod ab eo rebellauerat, longè ab ea positis castris obsideret, in magnam populum Gandauensem rerum necessariarum egestatem coniecerat: itaque cum missis oratoribus, lachrymantes veniam errori suo peterent, Ludouicus superbè respondit, Se id nunquam facturum, nisi pedibus nudis, abiectis exteriori-

tenoribus indumentis, aperto capite, extra vrbem fune in collum accepto ad petendam veniam venirent. Tunc igitur cum id egissent, se responsurum dicebat: hoc responso commota ciuitas, cum nullum iam nisi audendo remedium saluti suæ superesse putaret, decreuit armis sumptis, potius in acie cadere quam per hunc modum venia petita ludibrio haberi. Egressi igitur ad eruptionem tentandam, cum quinque milium numerum non excederent, magnamque tormentorum vim in curribus, & simul quatuor dierum cibaria secum deferrent, prius Christiana confessione signati, aduersus Comitem, qui in vrbe Brugensi cum suis agebat, agmen direxerunt. Cum longè ab eo abessent munitis iam Castris, in eos Comes cum circiter trigintà hominum milibus impetum fecit, ipsi autem omnibus tormentis vno tempore in Comitis exercitum vsi, & vna omnes Castris egressi, ingenti sublato clamore, tanto animorum ardore in eum irruerunt, vt temporis momento omnes eius copias funderent. Fugientes autem insecuti, superueniente nocte, cum eis Brugensem vrbem ingressi sunt, nec multum abfuit, quin Comes in ea clade caperetur, qui cum se in furnarij lecto abdidisset, proxima nocte, vrbem pedes egressus, vix ad Insulas (ea vrbs est) tutum in locum recipere se potuit. Cum autem post paruum tempus sine liberis decessisset, gener eius Philippus Burgundiæ dux, vir socero longè temperantior, omnem eum motum atque controuersiam composuit.

De Ioanne Gallorum rege & Eduardo Vualensi principe, Eduardi tertij Britannici regis filio.

Memorandus quoque casus, & ei persimilis, quem de rege Iuba Valerius scribit, salutis anno trecentesimo quinquagesimo sexto post mille nono Calend. Octobres, in Pirenæis montibus Gallico populo cõtigit. Eduardus Vualensis princeps, vir magni animi magnæque virtutis, non maiore quã octo milium hominum numero in Galliam penetrarat, aduersus eum, Ioannes Gallorum rex, ingenti exercitu profectus est, vtpote qui supra sexaginta hominum milia, potio remis, Gallorum principum partem secum duceret. Eduardus qui biduum sensim cedendo, iam abire longius se non posse,

posse, quin prælio decertaret, videbat, quia longè impar viribus erat, obtulit: Capta se eo bello restituturū, atque inducias cum Gallis in septimum annum confirmaturū: sed ob militum eius paucitatem, superbè nimis elati Galli oblati spreuerunt, atque in ipsa munimenta, aduersus Eduardum impetum fecerunt. Erant autem munimenta, sepe, frequentibus prunis densa ducta extrinsecus fossa, illic cū diu prælıatum esset, atque in eo Eduardi milites, magnum Gallorum numerum sagittis eminus confixissent, conspicati eos iam lassos, rarosque in acie ordines nō seruare, magno impetu, in eos cum bipennibus abiecto arcu eruperunt, atque in mediam potissimum aciem inuecti, omnes in fugā verterunt: captus in eo prælio Ioannes rex fuit, à Picardo exule, nomine Dionysio Morbequo, & Principi datus: captus quoque Philippus eius filius, & principes alij permulti, ostenderunt quæ sint fortunæ vires, cum honestæ pacis conditiones respuuntur.

De Ferdinando Castulonensi rege.

Ferdinandus Castulonensis, item Siciliæ atq; Aragoniæ rex, qui Bætice partem (nūc Granatā nuncupatam) octingentos annos à Mauris possessam perdomuit, cū Barchinonem veluti in speciem triumphi veniisset, fœliciſsimus ab omnibus habebatur, & tamen illic variante res humanas fortuna, parum abfuit, quin vitam regnumq; simul amitteret: quidam enim Canemas nomine, Cathelanus, qui iam diu atra bili laborare videbatur, gladio eum confodere conatus, collum ingenti vulnere petijt, neq; eius facti, per omne tormentorū genus alia elici causa potuit, nisi quod interempto Ferdinando regem se futurū sperabat, id quod sibi sæpius ab Angelo nunciatū dicebat: adeò paruo momento regna consistunt, vt sæpe in vesani hominis manu, ea posuisse fortuna videatur. Quod idcircò contigit, vt fortunæ, aut potius Dei, cui hoc fortunæ nomen seruit, vires immensæ cognoscantur esse, & nihil humana superbia vanius atq; incertius haberi.

De Henrico Pomeraniæ duce.

Aetate nostra miserabilem in casum Henricus incidit, qci olim Pomeraniæ ducatū obtinebat: ea autem regio, Po

Ionis

nis paret, ad mare Balthicū sita, quæ pars recentiori nomine, Sterlingorum sinus dicitur. Nam cū Aquinus Norwegiæ rex, Olao filio impuberi, testamento matrem Margaream tutricem reliquit, & ante puberratem filio decedēte, Margaritæ ipsi regnū, ipsa virtute insignis fœmina, ac pœne inter excellentes belli duces, quàm inter mulieres referenda, aduersus Albertum Naupolensem ducem armis regni egregiè defendit, belloque superatū hostem in triumphi duxit: quæ postea mortuo Olao filio, regni successorē Henricum constituit, quem Pomeraniæ ducem diximus, qui ei vicinus erat. Is cum in Norwegia, Suetia, Datiaq; annos quinq; & quinquaginta regnasset, quo tempore senio per quietē traducturū arbitrabatur, à Christophoro Bauariæ duce, tam multarū prouinciarū regno pulsus est, solaq; Gothica insula concessa. Sed postea mortuo Christophoro, cui Carolus successit intra breue tempus, ipsa quoque pusilla insula, vbi exulare magis quàm regnare dici potest, Henrico adempta est, qui iam decrepitus in Pomeraniam miserandū in modum redire coactus fuit. Neq; verò Carolo fortuna certior fuit, nam cū aduersus Deū hominesq; impiè se gereret, Ioannis episcopi opera concitatis ad arma populis, ipse quoq; in exiliū, in parua fluminis Vistulæ insula pulsus fuit, in qua diem suum miserè obiuit.

De Ioanne XLIII. Pont.

Ad sacerdotalem quoq; ordinem, conuertere orationem oportet, vt eorum status, quem permulti à varietate tutum arbitrabantur, intelligatur, non minus quàm cæteras humanas res in fortunę arbitrio esse. Experimēto ita esse Ioānes XIII. Pontifex docuit, qui populo Rom. ad arma per seditionem compulso, in vinculis habitus miserrimè diem obijt, vt quidam tradidēre fame confectus.

De Ioanne XXIII. Pontifice.

Magis varia quidem fuit, sed non tam sæuum exitū Ioannes 23. fortuna habuit, qui post quartū indepti Pontificatus annū, cū esset in Constantiensi concilio, damnationem suam confirmare, deinde Pontificatum deponere coactus: cum fugam tētauerat, in insula Rheni, cui sancti Marci nomen est, in carcere asseruatus est, atq; ab eo loco, ad Bauariæ

riæ ducem transmissus, in vrbem Dalbergam, illinc Manheyta in castrum deportatus, trienniũ per ignominiam, in rerũ omniũ necessitate peregit. Coëmpta demũ (ab occultis amicis adiutus) magno auri põdere fuga, Florentiã petijt, vbi Martinus quintus erat, eius in Pontificatu successor. Illic non sine omnium admiratione ac simul cõmiseratione, quia in fugitiui hominis forma, lachrymabundus humi genu nixus, supplicare alijs cernebatur, cui principes, reges, Imperatorq; ipse non modo paruerant, verumetiam pedes venerabundi consueuerant deosculari: qui præterea multos ad Cardinalatus honorẽ euexerat, qui tunc in eo concilio Pontifici assidebant, Pontificatu priuatus, ingentis muneris loco Cardinalatum accepit.

De Ioanne Vitellio Cardinale ac Patriarcha.

Duobus Pontificibus, Cardinalem vnum annectemus, is fuit Ioãnes Vitellius, paruo loco, Corneti ciuitate Ethrusca ortus, à prima ætate literis operam dedit: postea mutatis animi studijs, libros armis atque equis mutauit, stipendia cũ Tartalia (militaris is insignis dux fuit) prima fecit, eius quoque precibus à Martino quinto Pontifice protonotariatus honorem adeptus est. Deinde ab Eugenio quarto in Cardinalium numerum receptus, ecclesiasticõ equitatui præerat, atque per hanc potentiam, aut vi, aut alia arte, Eugenio successurus putabatur, aut fortasse viuentem etiã Pontificatu deiecturus. Sed fortuna quæ ad eam diem vehementer arriserat, ei, quem in tam sublimem locum extulerat, terga dare cœpit: nam cum armatus ecclesiasticũ equitatum, trans amnem Tyberim duceret, per Pontem qui arci sancti Angeli adhæret, repentè tensis cathenis, ad Pontis portam, ita vt vltra progredi prohiberetur, cernẽtibus suis, vulneratus ac captus, intra arcẽ tractus est, eaque nocte vt emori posset adiutus, tum nudus in publicum elatus est, vt per ludibrium à populo Romano spectaretur. Exemplũ profectò memorabile, ne nimium sẽ homines lætæ fortunæ credant, sed ea tanquam, quæ mutari in horas possit, fruantur.

De Corso Donato ciue Florentino.

Ne vllus hominum ordo prætereatur, ad priuatos quoque

que ciues descendemus. Corsus Donatus, ciuis Florentinus, & opibus & amicorum numero in patria plurimũ potuerat, ciuilibus discordijs in exilium pulsus, Caroli Senzaterræ opera, qui eum ad Pontificem miserat, vt vrbem Florentiam pacaret, in patriam restitutus est. Illic Nigræ partis adiunctus, Candidã eiecit, neq; Nigrorum solum, sed totius vrbis princeps habebatur: adeò enim opes aliaq́ue omnia adiumenta auxerat, vt ciuilem statum transcendisse videretur, præsertim posteaquam Vgutionis Fagiolani Pisani principis filiam duxit vxorẽ. Quamobrem populo in suspicionem venit tanquam tyrannidem in vrbe affectaret, furens igitur arma populus, itaque libertatis vexillum cœpit, & ad Corsi ædes profectus, oppugnare eas cœpit. Ipse autem frustra conatus se armis tueri, cum in momenta singula, augeri aduersum se populi arma, eosq́ue qui pro se arma cœperant, imminui videret, clàm in equum conscendit, & cum milites quidam insequerentur, ipse aduerso casu, ab equo delapsus, cum pes ephippij retinaculis vinctus adhæsisset, collisus detritusq́ue in equi fuga, vitam amisit, illic sine vllo honore tumulatus. Cum alijs exemplis ostensum sit, magnò his stetisse, qui nimium fortunæ crediderunt, in hoc particulatim declaratur, multo plus eos delirare, qui populari gratia freti, ad honores conscendere nituntur, cum plebis animis nihil incertius sit. Nam quod cito eius opera homines consequuntur, id longè celerius per ruinam & cladem adimitur.

De Paulo Guinisio.

Haud fœliciorem finem sortitus est Paulus Guinisius, qui ex priuato ciue, patriæ suæ Lucæ factus tyrannus, inter opulentissimos Italiæ principes nomen assecutus erat. Mirum enim in modum fortuna eum extulerat, & cum eius temporibus bello Italia arderet, is in summa pace, ac rerum suarũ quiete versabatur. Triginta igitur iã annos Lucæ rerum potitus, cum liberos adultos haberet militari arte præditos, ad omnes fortunæ casus satis se munitum tutumq́ue arbitrabatur, cum repentè à populo Florentino bellũ est illatũ. Sed cum subsidio, ei Philippus Mediolanẽsis dux, Franciscũ Sfortiã misisset, orta suspicione, tanquã

cum

cum populo Florentino Paulus de vendenda ei Luca ageret, captus à Francisco cum liberis ac fortunis, Mediolanū missus fuit, vbi in arce Modœcienſi, tetro carcere conditus, misere vitam finiuit. Filij quoq; tandem liberati, vitam per omnia extrema traxerūt: quod auri Venetijs, à Paulo cum fœlix esset, vt ad grauiores casus subsidio foret, depositū erat, Veneti inuaserūt, quia quibusdā in rebus à Paulo vio latam fidem esse criminabantur: ostensum est igitur, finem solū in rebus humanis, verū de fœlicitate iudiciū ferre, neq; quenquam consilio rebusq; eniti tantū posse, quin illud leui momento posit fortuna subuertere.

De Aluaro Luna.

A ciuili varietate, ad aulas transibimus, vt ita fortunę casibus finem celerius faciamus. Aluarus Luna Aragonius, quanquam nobili ortus genere, tamen quia minimè legitimus erat, in magna rerum inopia versabatur: cæterum vir erat magna industria, maioriq; animo præditus: his virtutibus, apud Ioannem Castulnensem regem, in eam gratiam conscendit, vt non contentus rex etiam eū ad Sancti Iacobi magisterium, atq; ad Castulonensem Conestabulatum euexisse, ab eo & se & regnum regi pareretur, vnus pecuniā publicam, vnus arma tractabat, vni etiā secreta omnia credebantur, propter hæc, tantum sibi contraxit inuidię, vt eū patrueles regij, regina ipsa, filius quoque regius grauī odio insectarentur. Itaq; ob eam rem per factiones diuisum regnum, grauiter laborabat, sed tandem mutata fortuna, rex Ioannes, qui ad eā diem immobilis erga Aluarū manserat, expugnari se delatorum scelere permisit, tulitque, vt Aluarus comprehenderetur, atque publicè in valle Oletana bonis publicatis interficeretur, ad tantam miseriam ex ingenti fœlicitate deiectus.

De Petro Vinea.

Fuit Petrus Vinea ciuis Campanus, obscuro natus loco, cæterū doctrina atq; eloquentia, quantum ætas illa tulit, apprimè insignis: quem ob eā rem Frederic. Secundus adeò dilexit, vt arcanorū suorum omnium participem faceret, ac penes se omnium rerum moderatorem haberet. Cæterū per inuidiam, quæ in aula & oritur, & nutrimenta habet,

bet, atque virtutis perpetua est insectatrix, Federico in suspicionem adductus, tāquam cum Pontifice sentiret, (quo cum Federicus bellum gerebat) luminibus est priuatus, cuius rei impatiens, atque ob id in furorem conuersus, in sancto Miniato, quod Ethruriæ oppidum est, sibi ipsi manum consciuit.

De Petro Brochia, & Enguerra Marigniano.

Inter omnes mortalium gradus, quos versare fortuna cōsueuit, nullus eo incertior minusq; stabilis habetur, quam is, qui à principum voluntate pendet, quorum beneuolentia, veluti in fœmineo sexu, vt leuibus momētis persepè patatur, ita etiam facilè dilabitur, & in alios mutatur affectus: id quanquam ex ijs, quæ iam fuerunt scripta satis pateat, clarius etiam ex nonnullis alijs ostendetur. Primus in his erit Petrus Brochias, qui ex Chirurgo per Philippum Gallorum regem, ingens factus, honorem primum cum eo obtinuit, inter eos qui regij cubiculi administratione insignes habebantur, solusque omnium rerum moderamen sustinebat. Tandem insimulatus, quod regis archana detegeret, publicatis eius fortunis, suspendio vitam finiuit. Simili exitu Enguerra Marignianus, cum diù post Philippi mortem, Philippum cognomine Pulchrum ita rexisset, vt vnius ipsius arbitrio omnia in eo regno gererentur, à Carolo Valois comite, pueri regis tutore, paruis quibusdam, & nullius momenti criminibus aspersus, publicè suspensus fuit: ex tam magno rerum fastigio, in extremam calamitatem deturbatus.

De Calir Bassa.

Altius Calir Bassa cum Mahumete Turcarum rege, atque eius patre, quam Enguerra cum Philippo conscenderat: nam domi belliq́ue cum consilio armisque polleret, omnia penes Mahumetem patremque eius, moderamine suo gerebat, & tamen nulla legitimâ declarata causa, siue quod eius magnitudo Mahumeti suspecta esset, siue quod eius thesauris, qui ingentes erant, inhiaret, Mahumetes mane vnius diei Calir strangulari iussit.

De Petro Landoës, Britonici (vt nunc dicitur) ducatus quæstore.

Quantò aularum fortuna, citius solet in magnam homi-

nes interdum fœlicitatem euehere: tanto etiam maiorē, non à principibus ſolum ipſis, verum etiam ab alijs ſecum pericula fert: contingit enim ſæpius, vt ab ijs qui penes principes plurimum poſsunt, longè plures lædantur, quam beneficium accipiant, quemadmodum Petrus Landoës, inter alios exemplo eſſe poteſt, qui caligarij ſartoris filius, non Quæſtor tantum, ſed principis ſui ducis Franciſci, qui poſtremus fuit, in Venetis & Morinis (quibus vt ſæpe dictum eſt, nunc Britonum nomen eſt) ceu dominus factus, in eam apud omnes inuidiam venit, vt ducis nepos Orangiæ princeps, atque alij quidam Britonici proceres, in ipſum manus inijcerent, & ſuſpendio interimerent.

De Oliuerio Dama.

Hoc quoque ipſum Oliuerio Damæ contigit, poſt Ludouici vndecimi Gallorum regis mortem: nam cum ei tonſor fuiſſet (quanquam natus in Belgica parte Galliæ, cui Flandriæ eſt nomen) immenſis congeſtis opibus, in eam apud regem gratiam peruenerat, vt omnium cōſiliorum eius particeps, permulta quæ alios latebant, ipſe nota haberet, magnisque de rebus multas legationes obiret. Cæterum mortuo Ludouico, qui filium ipſius Carolum, adhuc impuberem regebant, obiectis quibuſdam criminibus, eum vnà cū fortunis omnibus damnarunt. Is igitur apud Parrhiſiorū vrbem, vbi furcæ extructæ ſunt, ſuſpenſus, miſerabiliter vitam amiſit.

De Philippa Catinenſi.

Inter varios virorum caſus, quos aula extulit atque perdidit, veluti rem inſueram, & propterea quæ magis ad eā notandam, mouere homines debeat, mulieris Catinenſis ſubiungemus exemplum: in quo quoniam magna regnorum fuit varietas, eiusque ante hoc tempus notitia fortaſse ad paucos peruenit, haud ab re putauerim, aliquantò pluribus verbis eius ſeriem enarrare. In Siciliam traiecerat Robertus dux Calabriæ, Caroli ſecundi Neapolitani regis filius: atque in ea aduerſus Fredericum, vrbem Panormum obſidebat, in caſtra Robertū virū, Iolanta ducē ſecuta erat, forteq; euenit vt pariendi neceſsitas eam vrgeret: cum aliæ illic matronæ non eſſent, obſtetricis officiū diligenter præſtiti

fitit Catinensis mulier Philippa nomine, quæ quondam piscatoris vxor, lauando victum quæritabat: illi postea ornatus puer alendus est datus, qui etsi haud multo pòst decessit, Philippa tamen in aula ad Iolantæ seruitia mansit: præerat eo tèpore Roberti culinæ, Raimundus Campanus, is seruum Maurum emerat, quē baptismatis charactere insignitū, à nomine suo appellauit. Cum autē ipse ad maiorē esset fortunam euectus, curauit vt Raimundo Mauro, culinæ præfectura traderetur. Inde Cāpano Raimundo, rex Philippam coniugem dedit, cum ante equestribus eum ornamentis donasset. Interim Iolanta decedit, & Robertus Sānciam ducit vxorem, penes eam quoque, honesto loco Philippa remansit. Ei Robertus ad regnum euectus, Ioannam primam ex filio Carolo Calabriæ duce neptē, regendam dedit, & Philippæ virum, domus administrationi præfecit, cui in eo honore mortuo, filius sufficitur: & cum is quoq; decessisset, relicta Sanctia filia, Robertus alius frater, in eo honore succedit. Interim auo patreq; defunctis, Ioanna prima regnum accipit, atq; Andreæ patrueli, qui in Pannonia erat, nubit. Cū in hoc statu res essent, tanta fuit Philippæ felicitas & industria, vt filius eius Robertus, à domus administrandæ præfectura, ad magni Conestabulatus honorē conscenderet, & neptis Sānctia, Morconi comiti in matrimonio collocaretur, ipsaq; arbitratu suo regni habenas moderaretur. Cæterū cum postea Andreā Ioanna sustulisset, atq; ex Pannonia profectus Ludouicus rex, Ioannæ ad vltiscendam Andreæ fratris mortem arma intulisset, à principibus Neapolitani regni Ludouici studiosis, Philippa cū omnibus suis capta est, cū ipsa Andreæ mortem molita putaretur: habita per varia tormenta eius rei disquisitione, omnes è Philippæ stirpe, Philippa ipsa spectāte, occisi sunt, & post eos ipsa quoq;, inter omnium conuicia, candentibus forficibus totum dilaniata corpus, viua tandē cōbusta est: quam fortuna visa erat, ex lotrice, in eum sublimē gradum, ad regendum ingens regnum euexisse, vt quo altior eius fuisset fortuna, grauior quoque casus atq; ruina foret.

De Ioannino Caraçolo Neapolitano.

Non minus apud Ioannam secundā, quā Philippa Catinensis,

nensis, cum prima gratia valuit, Ioanninus Carazolus Roseus, ignobili gente ortus: nam qui nobiles putantur, non Roseorum, sed Schirzorum cognomẽtum ferunt: hic, cum in aula amanuensis esset, in eius flammas Ioanna secunda incidit, ita vt perditissimè eum deperiret, primum Auelinij comitatu, sub vxorię dotis nomine eum donauit, postea ad Melphitẽsem quoq; ducatũ, atq; ad magnũ Conestabulatũ extulit: illũ postea finẽ, quem aula infida, atque inconstans præstare solet, Ioanninus tulit, ab ea enim magnitudine, ad quam turpis amor repentè eum extulerat, non minus quam ascenderat celeriter corruit. Nam eius imperio, quæ tam multa propter amorem dederat, crudeliter opibus honoribusque spoliatus, ac cæsus fuit.

De Cicho Simoneta.

Ceu agmen tam multorũ, qui in aula varie à fortuna habiti sunt, claudet Cichus Simoneta, quẽ nos ipsi vidimus, qui alia pleraq; quæ scripsimus, apud bonos tamen tantũ legimus: hic nõ magnis, honestis tamen natalibus ortus, in Calabria, Franciſci Sfortiæ Mediolanẽsis ducis, & post eũ Galeacij filij consiliorũ in moderando imperio particeps, ob fidẽ egregiã, atq; longi seruitij merita, & opibus & honoribus plurimum auctus erat, & quem locum apud Sfortianos principes patrem ac filium habuerat, incolumem etiam, apud filij coniugẽ, illiusq; filiũ tuebatur: atque diutius obtinuisset. Nam & singulari prudentia preditus erat, & in multorum beneuolentia versabatur, sed fortuna inuidit, quæ in humanis rebus firmi atq; diuturni nihil esse patitur: eum enim, ceu scopulum inter Galeacij fratres ac cõiugem obiecit, & quia Cichus, vt viduæ ducis ac pupilli saluti consuleret, Galeacij tres fratres, cum Roberto Sanseuerino, quorum magnitudo animusque iam formidolosus esse cœperat, in exilium egerat, Ludouicus ac Robertus, armis in patriam reuersi, cum res suas cum Galeacij coniuge composuissent, in Cichum fœmina duce permittente, sæuierũt: direpta domo, populatis possessionibus, filijs per orbem terrarum sparsis, ipsum demum post grauia tormenta, senio iam confectum, neque de dominis quos habuerat, neque de populis aliqua in parte male merentem, in Ti-

cinensi

cinensi arce securi percussserunt.

De Ludouico Sfortia Mediolanensi duce.

Vererer si Ludouicũ Sfortiam omitterem, de his scribẽs, quos varie fortuna affecit, atq; in graues cõiecit casus, id odio ne dedisse viderer, quod ante omnia abesse ab historico debet. Nã patrui scelere, olim à Genuensi principatu deiectum, ipse quoq; Nouensi oppido me, vt patruo meo mo rem gereret, profugere seminudum coëgit. Sed vt hęc in me egerit, erepta post aliquot annos restituit, nec minus iucunda fuerunt, quæ postea amicus præstitit, quam grauia, quæ hostis ante fecerat. Post Cichum igitur ei locum dabimus, quia non minus sæuè à fortuna habitus, in ancipiti relinquit, dulciora ne fuerint, quæ secunda fortuna assecutus est, an acerbiora, quæ omnibus honoribus, quos optare poterat cumulato, ceu irata postremò inflixit? Pueritiam eius non commemorabimus, in qua magnam indolẽ præ se ferebat, non parentes, nisi quatenus ducibus patre, auo, ac proauo ortum, cum postremo omnia amisit, ostendamus in grauiorem casum conijci non potuisse: resecabimus igitur omnia, in quib⁹ nulla insignis in eo visa est fortuna fuisse. Ab exilio reuersus (nam mortuo Galeacio fratre, cedere patrio solo coactus fuerat) non exilio solum finem fecit, verum susceptа etiam nepotis tutela, diu Mediolanensis rei moderamen, sine controuersia obtinuit. In eo statu, bello quo Florentinus populus Sixti IIII. pontificis ac Ferdinandi regis Neapolitani armis premebatur, finem fecit. Idem Ferdinandum ipsum, occupata à Turcis regni parte, grandi pecunia iuuit, Robertum Sanseuerinũ in administranda Mediolanensi re honoris participem, finibus expulit. Parmensis agri principes, qui cum Venetis sentiebant, cum per alios debilitasset: postea præsens ipse debellauit. Ferrariam contra Venetorum arma, defendit, illatũ Mediolanensi agro à Venetis bellũ, in ipsorũ viscera, per magnos militares duces transtulit, ac deinde dãdę pacis penes eũ honor fuit. Haud multo pòst, iterũ laborantẽ Ferdinandũ principũ suorũ rebellione, in regnũ armis asseruit, atq; Rom. ecclesiæ opem tulit, vt de Boccalini tyranni manibus vrbs Auximum eriperetur. Genuã quæ sub du-

ce Bona Galeacij cõiuge defecerat, vt imperiũ agnoſceret, cõpulit. Alexãd. V I. Põtificis inopiã, põtificatus initio (nã parando pontificatu omnium egens factus fuerat) gratuita pecunia, atq; ingẽti ſuſtẽtauit. Carolo Subaudiẽſi duci, vt principatus ſui proceres ad officiũ cogeret, auxilio fuit: ac poſtea Ludouicũ Salucienſem Marchionẽ patria extorrẽ & cũ eo alios proceres, quia per inuidiã pulſos apparebat, in reb. ſuis reſtituit. Blancã neptẽ, Maximiliano Romanorũ regi, matrimonio iunxit. Veniẽti Carolo VIII. Gallorũ regi, ad Neapolitanã expeditionẽ, cũ odia cũ Aragonio Ferdinãdo, atq; eius filio Alphõſo intercederẽt, & pecuniã & arma dedit: redeuntẽ cõfecta expeditiõe, quia ſuſpectus erat factus, vnà cũ Venetis, phibere conatus, ad Tarrũ amnẽ, in Parmẽſi agro, nõ ſine ſuorũ clade pugnauit, & cũ ante Aſtam vrbem Aurelianẽſi duci eripere tentaſſet, vt ſibi in aperta ſuſpicione à Gallorũ armis caueret, ipſe Nouariam amiſit, ac demũ cõfecta cũ Gallis pace, recepit. Nõ contentus titulo regendi nepotis, rei fauentẽ fortunam habuit, vt Dux ipſe à Romanorũ rege crearetur. His rebus quid maius, aut ipſe optare, aut fortuna præſtare potuit? & tamen omnia, quæ in vita optare poterat aſſecutus, ea momẽto penè amiſit: mutata enim fortuna, quod dũ ad recipiendas Piſas Florentinũ populũ, veterẽ quidẽ amicũ, ſed tunc nullo fœdere coniunctũ iuuare cõtendit, Venetos fœderatos, parũ cautè læſerat: Ludouici X I I. Gallorũ regis, & Venetorũ ipſorũ bello diuerſis partibus, eodẽ tẽpore petitus, partũ patris virtute Mediolanenſem ducatũ, cũ neq; milites, neq; pecunia deeſſet, Alexãdro põtifice ſimul annitẽte, intra 16. diẽ (quia ita trahere fata videbãtur) amiſit: cũ interim è tãto eorum numero, quos ipſe in periculo ſeruauerat, nullus opẽ ferret: & domeſtici, quos in magnã fortunã extulerat, eũ prodidiſſent. Sed hæc vtcunq; ferre poterat, quia amiſſo principatu, libertate tamẽ fruebatur: cæterũ hanc quoq; amiſit. Ex Germania V. menſe poſt reuerſus, cũ Nouariã de Gallorum manibus, magna virtute recepiſſet, Tranſalpinorum enim magna manu conducta, cum plus apud eos hoſtium artes ac pecunia, quàm fides valuiſſet, non modo deſertus ab eis, ſed etiam ducibus Gallis venundatus fuit, à qui-

quibus in Galliam perductus, non se solum atque Ascanium fratrem captiuum sensit, sed insultantium quoque inimicorum, quorum ipse vitæ necisque potestatem habuerat, in casu ipso, contumelias ac iurgia coram pertulit. Cuius vt fortuna grauior fieret, cum postea spes aliqua libera no Ascanio fulgere visa esset, Romæ ad cumulandas ærumnas decessisse eum audiuit, exẽplo humano generi semper futurus, vt neq; nimia mortales optare velint, & quam periculose spem in eorum ope reponant, qui diuersam habeãt linguam, diuersisque moribus vtentes, hoc etiam mali habeant, quòd in longinqua regione agentes, vt velint, raro in tempore opem ferre longinquitas permittit.

De Elisabella Aragonia.

Reprehendi opus nostrum magnopere posset, si insignẽ varietate fortunæ fœminam, quam præsentia tempora tulerunt, quamuis etiam nunc viuat præteriremus: hæc fuit Elisabella Aragonia, cui quid maius ad honestandos natales, dari potuit, quam vt magnorum regum filia, neptis atque proneptis, fratrem, ac mox etiam patruũ Neapolitani regni possessores videret? quàm vt ipsa auunculi filio, ætate forma atque fortuna clarissimo, vtpote qui in Mediolanensi ducatu, patri successerat, ipsa quoque in ætatis flore nuberet? sed postea, quæ acerbiora hostilẽ in eam induta animum fortuna infligere potuit, quam vt aui regnum puella Turcarum armis infestum, in summo discrimine versari videret? quã vt parentẽ, fœminam omnibus animi bonis in cœlestium numero magis, quam inter mortales referendã, ante nubiles annos amitteret? quam vt nupta, cum viro, quamuis integra ætate essent, ceu pupilli grauius, quã sub tutore tenerentur? quam vt auo, à Gallorum rege Carolo VIII. inferri arma videret? quam vt belli formidine, è bona mente depulsum, parentem à regno profugum, & fratrẽ à patre successorẽ regni factum, inimicorum armis eiectum audiret? Grauissima hæc fuerunt, sed quid, quod postea frater, recuperato regno, in ipso flore ætatis ereptus est? & patruus, qui fratri successerat, Gallicis armis tunc regno depulsus est, cum rebus compositis, se quietum regni possessorem fore putaret? Accedũt etiam miserandæ magis

fortunæ mala, quod viro orbata, filium in paterni ducatus
ſucceſsione præteriri, & ſe ipſius iure priuari, vidit, ac de-
inde ſibi auunculi manu extorto Mediolanenſi ducatu, do
tem adimi, filium quoque ipſum, in Galliam apud exteras
gentes in cuſtodiam duci: Minus quidem ſæua ſunt, quæ
poſtea ei contigerunt, ſiquidem in Neapolitanum regnum
profecta Barienſem ducatum, alias quoque nonnullas vr-
bes indepta, principatus formam aliquam retinere vi-
deretur: ſed priſtinæ ac maiorum fortunæ, ſi hæc
conferantur, non plus veterem reſtituiſ-
ſe dignitatis ſplendorem dici poſ-
ſunt, quàm ſolis fulgorem
nocturnum atque exi-
guum ſydus
æquare.

DE

DE FOELICITATE LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De Enoch & Helia.

EXigit ordo, vt post fortunæ varios casus, in huius libri primordio de fœlicitate scribamus: de qua minimè mirum videri debebit, si tot insignia exempla, quot alijs de rebus iam scriptis edidimus, à nobis posita non fuerunt. Nam cum inter mortales in hac cõmuni vita fœlicitas nõ existat, quomodo quod non inuenitur, tanquã sit describi potest? Impositę enim mortalibus à natura necessitates quibus permultæ corporis molestiæ coniungũtur: item auariciæ ac libidinis ardor, ac simul leuis ambitionis & gloriæ aura, quibus rebus plurimum hominum mentes perturbari solent, ad quas res humanæ conditionis natura accedit, non insatiabilis modò, verum etiam irrequieta, hunc ipsum fœlicitatis effectum, ex viuętium societate auferũt. Nec verò Valerio crediderim, Q. Metellum inter fœlices annumeranti, quandoquidẽ vis ei ab Catinio Labeone Macerio tribu. plebis illata est, quam neque publicè, neque priuatim vnquam vltus est. Præterea pater eius in extrema ætate, luminibus captus, ne fœlix esse posset, id est, vt omni corporis & animi affectu atque molestia careret, effecit. Idem de Aglao quoque Psophidio dicemus, quem quanquam temperato fuisse animo fateri posimus, tamen si in eo solo fœlicitas consisteret, fœlices philosophi quidam, item fœlices permulti Christianæ religionis viri nominari possent. Quos tamen non idcirco cæteris fœliciores pluſquam Afros inter Aethiopes candidos esse fatebi-

mur. Nec vero Apollinei oraculi attestatio me mouet, cũ mentiendi pater in Apolline locutus, non patiatur, vt veritatis est hostis, dixisse credamus. Ab hoc quoque numero Alexandrum Macedonem, Cyrumque excludemus, neque plus, eos quam C. Cæsarem aut Augustum inter fœlices admittemus. Nam præterquam, quod ijs malis non caruerunt, quæ omnibus mortalibus generatim ineſſe diximus, ipsorum plerique grauibus vitijs, aut priuatis incommodis atque indecoris rebus vehementer laborarunt. Cæterum cum vitæ fœlicitas in animi ac corporis quiete consistat, quæ futuri alicuius mali timore expers sit, affirmabimus ob hanc rem, in his solis fœlicitatem inueniri, qui præcipuo Dei munere, mentem corpusque syncerum, atque ab omni humani affectus contagione illæsum, nullius mali formidine territi, melioraque semper sperantes seruauerũt. Quod diuinum munus, quantum hactenus consequi legẽdo potui, nemini alteri concessum esse deprehendi, nisi sanctis Enoch & Heliæ prophetis: quia putantur à Deo, cum adhuc viuerent, ad eas incolendas sedes deducti, quarum fœlicitatem, nimia cura sua, primus hominum parens amisit. In quibus sedibus non modo molestia nulla sentitur, quæ vel corpus vel mentem possit afficere, sed vna lætitia eorum mentes capit, cum certa melioribus semper fruendi spe. Idcirco hos ipsos duos inter viuentes, & non alios videmur posse solos connumerare fœlices.

DE SAPIENTER DICTIS *aut gestis*. Cap. II.

SIcuti rem veram imitari vmbra solet, ita fœlicitatẽ sapientia sequetur, cuius dicta factaque scripturi, ab Amasi Aegyptio rege incipiemus: is enim magna animi dexteritate, dignitatem suam sine inuidia (quod difficillimum est) à contumelia atque neglectu vindicauit.

De Amasi rege Aegypti.

Amasis ignobili ortus familia, ad Aegypti regnum conscendit, qui propterea, cum se æque ac alios reges, qui ante eum fuerant, non haberi in honore cerneret, statuam numini condidit, ex quorundã vasorum auro, in quibus Aegyptij, cum interdum regum conuiuijs adhiberentur exonerare

rare ventrem, atq; euomere solebant, quod numen, cum postea ab Aegyptijs reuerenter coleretur, Amasis habita oratione, eis ostendit, statuã quam colerent, ex eo auro confectam esse, in quo cum vasorum formam haberet, omnes ventrem leuauerunt: quòd aurũ, quoniã nunc in numinis formã mutatũ erat, adorare ipsi minimè aspernabantur, idẽ de se esse dicebat: Qui quanquã, cũ in priuata fortuna esset, abiectus videretur, tamen cum postea ad regnum ascendisset, dignus erat cui honos atque reuerentia haberetur.

De eodem.

Non minus quoque sapiens fuit illius verbum erga Polycratem Samium tyrannum amicum suum: nam cum audiret omnia illi prospere cedere, scripsit, Vt tentaret aliquo quoque incommodo affici, quia fieri non poterat, vt fortuna præter naturæ suæ cursum, constans maneret: cuius consilium cum sequi Polycrates constituisset, in mare demisit magni precij annulum, quem percharum habebat, quod eo incommodo secundæ fortunæ tenorem iuxta Amasis consilium, interrumpi posse putabat: sed cum eum annulum breui in pisce inuentum esse à se Amasim monuisset, prudenter animaduertit Amasis, Polycratem ad grauiorem, quam vnius amissi annuli casum, à fortuna reseruari. Itaq; vt illius ruina minus doleret, ad eum misit, qui communi amicitiæ renunciaret. Polycratis autem exitus, sapienter ab Amasi iudicatum fuisse ostendit: neque enim longè res abierunt, cum Persæ illatis armis, Polycratem regno deiectum, vita quoque priuarunt.

De Philippo Macedoniæ rege.

Simili verbo, non sine prudentiæ laude, Philippus Macedonum rex vsus est, cum eodem die, nuncium accepisset, quadrigas suas in Olympicis ludis, alias cursu vicisse: item Parmenionem ducem suum, hostes prælio fudisse: ac præterea natum sibi filium esse Alexandrum: Veritus enim, ne fortuna cum tot bona eodem tempore cumulasset, mutata, grauioribus malis hanc fœlicitatem repensaret, dixisse fertur: O fortuna celeriter potius, aliquid paruę molestiæ, ad pensanda hæc tanta bona, quam differendo, maiora mala afferto.

De

De quodam Lacedæmonio.

In eandem sententiam fuit verbum quoque cuiusdam Spartani erga Diagoram Olympicis ludis: nam cum victo res Diagoras, vidisset coronari filios, atque ex filia filioque nepotes, eaque re multum lætaretur, dixit: O Diagora, nũc pulchrum moriendi tempus esset, magna enim prudentia ostendit, fieri non posse, vt tantus fœlicitatis cumulus, alicuius rei infœlicitate, ante mortem non compensetur, & tunc moriendum esse cum viuentem plus vita delectat.

De Themistocle Athenienſi.

Eorum dicta, de quibus scriptum est, plurimum prudentiæ credita sunt habuisse, sed non minus sapiens Themistoclis factum fuit, cum ingraueſcente fama, de Persarum ad petendam Græciam apparatu, Athenis magistratuum petendorum tempus appeteret. Nam cum Epicides electus fuisset vir lingua solum promptus, propter quam rem viri, quibus aliquid existimationis inerat, magistratum abnuebant, ne ille eis collega daretur, Themistocles patriæ studioſus, atque in hoc, quemadmodum in reliquis prudens, Epicidem suadendo impulit, vt magistratui renunciaret, eo ipso tempore, tantum ei largitus, quantum eo anno, si magistratum obiuisset, consequi posse videbatur. Eo modo, in quo & prudentiæ & quietis plurima ratio habita est, hominem tantæ rei tractandæ, quanta impẽdebat, ineptum, non turbatis publicis ordinibus, ab administratione dimouit, viamque alijs ad magistratum, expeditioni magis idoneis patefecit.

De eodem.

Non minus quoque prudentem se eo tempore ostendit, cum ducta Græcorum classe ad Artemisium, vt cum Persis confligeret, quanquam & ipse dux Athenienſium, & nauium numerus, quas Athenienses in ea classe habebant maior esset: tamen cum accepisset, Eurybiadem Lacedæmoniarum triremium ducem, velle cum eo, de præcedendi ratione contendere, sine vlla verborum controuersia, locum ei primum concesit: affirmans, eum primarium ducem habitũ iri, qui aduersus Persas pugnãdo maiorẽ melioremq; operã nauasset: neq; enim ex publica vtilitate putauit, cũ esset con-

nstigendũ de eiusmodi re, quæ minima erat, contende-
. siquidem tunc nulla alia re facilius, quàm hac conten-
tione, hostis victor euadere potuisset. Itaque haud multo
post deleta Persarum classe, partæ victoriæ laus, ac gloria
omnes solos Themistoclem atque Athenienses mansit.

De Alcibiade Atheniensi.

Alcibiades quoq; prudẽter feciſſe putatus eſt, cũ cani mi
speciosũ, quẽ paulo antè magno precio coẽmerat, caudã
omnibus abscidit, ac passim ire permisit: nã cũ ex amicorũ
numero factũ quidã reprehendissent, dixissentq;, illud per-
mã factũ esse: respondit, Voluisse se paruo illo errore, ma-
mã sui criminãdi Atheniẽsibus dare: vt dũ de eo loquere-
tur, de maioribus, quæ pertinerent ad ipsum, silerent. Per-
spicaci enim ingenio animaduertere visus est, difficulter fie
ri, vt qui virtute aut dignitate alijs superemineat, ita homi
nũ linguas cõpescat, quin aliqua in re male audiat. Et pro-
pterea enitendum esse dicebat: Vt populo, de leuioribus re-
bus loquendi materia, daretur.

De eodem.

Sapiens illud eius verbum habitum fuit, cum missus in
Siciliã, cum exercitu, paulo pòst ad iudicium reuocatus
esset: nam cum in iudicio apparere nollet, & nonnulli eum
monerent, debere ipsum patriæ fidere: respondit, In his,
quibus hominis vita contineatur, se ne matri quidem cre-
dẽturum: ne fortasse cum suffragium suum datura esset, er-
rore ducta, nigrum pro candido calculum porrigeret.

De Pyrrho Epirotarum rege.

Cũ Pyrrhus Epirotarum rex vouisset, Palladi in Athe-
niensi arce rem sacram facere: Athenienses liberè eum in vr
bem, atque arcem receperunt: verum posteaquam vrbe e-
gressus fuit, Pyrrhus dixit: mirum in modum gratam exti-
tisse fidem, quam sibi Athenienses habuissent, cæterum si
sapere, in posterum regi nemini portas aperturos esse. Eo
enim verbo ostendit, nõ esse ex re liberæ ciuitatis, in cuius-
quam principis manu libertatẽ suã credere. Cuius consiliũ
nõ secuti Atheniẽses, cũ postea Cassandrũ quoq; in vrbem
accepissent, magna atq; innumerabilia mala ex eo tulerũt,
re ipsa experientes, à Pyrrho sapientissimè monitos fuisse.

De

De Cabria Athenienſi.

Habitum quoq; ſingularis prudentiæ Cabriæ verbum fuit: cũ dixit, Magis timendũ eſse ceruorũ exercitũ, cui leo dux præſit, quàm leonum, qui ducem ceruum habeant. Acutè enim declarauit, ducis vel vilitatẽ vel virtutẽ, totius exercitus vilitati vel virtuti præponendam eſse.

De Piſiſtrato tyranno Athenienſi.

Prudens Cabriæ verbum, cæterum ſapientius etiam Piſiſtrati factum fuit, quo tempore Athenis tyrannidem exercebat: nam cum ſimultas ei, cum filijs orta eſset, ſciretque, ea re inimicos lætari, in magno ciuium cætu dixit: Se à filijs quædam exegiſſe, quæ bona eſse arbitrabatur, & cum duros, vt patri obſequerẽtur inueniſset, ſe tandem, ne cum eis ſine amore viueret, ſuam in filiorum voluntatem mutaſſe. Ex quo omnes noſse volebat, familiam ſuam concordem eſse: ſapienter enim præuidit, perſæpè ex inimicorum vultu, veluti per ſpeculum homines moneri poſse, quid in rebus ſuis cogitare ac decernere debeant: ſemperque damnanda eſse quæ inimicis placere videantur: & ſatius multo eſſe, ſuis obſequi, quam ob ſuorum indignationem, id cum inimicis agere. Cum plerunque his, qui adultos habeant liberos, neceſſe ſit, vt in alterutrum incidat.

De Theopompo Lacedæmoniorum rege.

Cum Theopompo Lacedæmoniorum regi dictum eſſet, eo tempore, bene Lacedæmonijs eſſe, quòd bene regere reges didiciſſent: prudentiſsimè is reſpondit, Id potius accidere, quòd populi parere didiciſſent. Eo enim verbo oſtẽdit, bonam popularium vrbium adminiſtrationem, non tam principum regimine, quam in populorum obedientia cõſiſtere: nã ſi populi in diuerſum à principib⁹ traherẽt, difficillimũ arbitrabatur eſſe, vt principes bene regere poſsẽt.

De Dionyſio Seniore tyranno Syracuſano.

Dionyſius Senior, Syracuſanus tyrannus, cum filium reprehenderet, quòd Syracuſani cuiuſdã ciuis vxori vim intuliſſet, atque inter alia diceret: Si vnquam audiuiſſet, à ſe rem ſimilem factam fuiſſe? filius ex tempore reſpondit: Id accidit, quòd nunquam patrem regem habuiſti: ad quem pater: Ne tu quidem fili, niſi hæc facere deſieueris, filiũ vnquam

am habebis, qui regnum obtineat. Cuius verbum, res ip
rerum ostendit: nã cum Dionysio Seniori filius succes-
set, haud multo pòst, ob prauã virã Syracusis pulsus fuit.

De Agesilao Lacedæmoniorum rege.

Quàm prudens quoque, Agesilai Lacedæmonij regis ver
um fuit! aiebat enim, Non minus laudatoris inspiciẽdos
os mores, quam eius qui laudatur: nam eo verbo significa
voluit, perrarò contingere, vt aliquis, quæ moribus suis
contraria sint laudare velit. Forsitanque, etsi aliter videre-
t, persæpè ex laudatoris ingenio posse eius quoque mo-
s qui laudetur agnosci.

De eodem.

Cum à quodam ei semel diceretur: Agesilae, scito te eam
illi rem promisisse, ad regiam autem fidem pertinet non
verba modo, verum capitis quoque nutus seruare: atque
huiusmodi verbis Agesilaum vrgeret, vt promissa præsta-
ret, quia res parum honesta videbatur, & propterea Age-
silaus fidem in eo præstandam esse, non putabat: respon-
dit, Scito tu quoque neminem à rege iniustam rem petere
debere. Acuto enim responso ostendit, rem inhonestam,
quæ importunitate promissa, aut concessa videatur, lau-
dabilius reuocari: quàm vt constantiæ fama paretur, mala
quæ promissa sint præstari. Sed iam ab huiusmodi exem-
plis, ad philosophos transeundum est.

De Aristippo philosopho.

Sapiens profecto Aristippi verbum fuit, cum naufragio
facto, in littus apud Rhodum nudus eiectus, ob doctrinam
inuenit, non modo qui necessaria ad victum, verumetiam,
qui vestes ipsi atque comitibus præberet. Cum autem re-
uertentes domum, quidam ex ipsis comitibus petijssent, si
quid suis Aristippus mandare vellet: respondit, hoc tantũ
se mandare, vt nomine suo cognatos monerent, vt filijs o-
pes eas pararent, quas aduersa maris tempestas perdere nõ
posset. Ostendit enim quàm preciosa sit doctrina, in
quam neque fortunæ, neque tempestati aduersæ fæuien-
di potestas esset.

De Diogene Cynico Philosopho.

Salis atq; acrimoniæ plurimũ habuit Diogenes, aduersus
musicos

musicos dictum, Quos mirari se dicebat, quod cum tantū operæ conuenientiæ vocum impenderent, vt mores prauos, penitusque à ratione discordes ad rectam viuendi normam redigerent, negligere penitus viderentur.

De Chilone philosopho.

Non prudens solum, verū diuinum quoque Chilonis putatum est verbum quo dixit: Nosse seipsum quēq; debere, atq; idcircò Apollini aureis literis sacratum fuit: nam qui se recte nosset, animam atq; corpus, vt equum est diligeret, neque quod vni est impartiendum, alteri præberet. Quod cum pleriq; perperam faciant, id nullius alterius culpæ est ascribendum, nisi quod nos ipsos, id est humanam compactionem agnoscere nolumus.

De eodem.

Non minus etiam sapienter dixisse putatur, cū monuit, Hominū bonitatem ita auro probari, quemadmodū aurū eo lapide, per quē in bonitate discrimen inspicitur: ostendit enim, permultos qui alijs vitijs diu restiterint, opum auiditate persæpè à virtute deduci: & qui aduersus opes cōstās fuerit, eū de ceteris vitijs facilius victoriā reportaturū.

De Solone philosopho.

Nónne etiam sapientissima lex habita est, quam Solon Athenienſibus præfixit: Vt diuisis per seditionem ciuibus, capitali pœna multaretur, qui alteram partium non sequeretur: profundis enim sapientiæ secretis, docuit id iustissimum esse, quod plerunque iniustum homines putant: videlicet alicuius in seditione fouere partes: nam si boni simul sentirent, fore eam partē aiebat victricē, ad quā ipsi se contulissent. Sed si vel timore vel ignauia ad neutram partem accedentes, concertationis spectatores se præberent, perfacile putabat fore, vt durāte seditiōe, tota ciuitas interiret.

De Platone philosopho.

Plato philosophus sapienter auditores monebat, vt iratos se, vel ebrios, in speculo contemplarentur. Nam cum faciem suam furibundam, per omnia phreneric o similem viderent: persuadebat sibi, eo dedecore territos homines, in posterum ab ira atque ebrietate sibi temperaturos.

De eodem.

Dice-

Dicebat quoque omnes qui perditè amarent, in alieno viuere corpore, atq; in suo mortuos esse.

De eodem.

Eò etiam differre doctum ab indocto dicebat, quò bene valentem ab ægro videmus: mentis enim sanitatem, ac lumen à doctrina persæpè: ab ignorantia autem, ægritudinem, manifestis rationibus proficisci.

De Cyneæ Philosopho.

Cum Cyneas philosophus, Pyrrhum Epirotarum regẽ, bellico bello imminere cerneret, eiq́ue vehementer inhæreret, cum vt prudens periculis, eam rem plenam putaret, frenus ingenij dexteritate, posse Pyrrhum de sententia deduci, oblata occasione solum alloquendi, dixit. Nosti Pyrrhe, Romanos imperio præpotentes, animo corporeq́ue pollere, multasq́; feras gentes, domuisse: si dij nobis tam fauentes essent, vt victoria potiremur, quid tibi vltra agendum putares? respondente Pyrrho, Quod habita de Romanis victoria, totius Italiæ imperium tractura secum esset: atque ab Italia se postea in Siciliam traiecturum: Cyneas, His deuictis, ait, quid vltra agetur? Aphricam traijciemus, inquit Pyrrhus, quò profectus olim Agathocles, penè in fugitiui formã, paruo exercitu magna gesserit, atq; ab Aphrica, quãtum ego conijcio, non habebimus qui nobis resistere valeat: ei Cyneas, His demum partis, quibus rebus tempora nostra transigemus? tum Pyrrhus, Læti vnà inter festos dies ludosq́; agemus. Cyneas autem, Quis prohibet sine tantis laboribus ac periculis, quin vel hac hora, cum tu sis tã magnus atq; opulentus rex sis, læti simul viuamus? At quidnè enim sapienterq́; hominum inexplebilem cupiditatem ostendit, quæ incognita, eos ad infinita pericula deducat? huic si Pyrrhus obtemperasset, neq; in Italia vulnus accepisset, neq; Argis postea oppressus vitam amisisset. Si alijsquoque quos orbis terrarũ habet principes, in se ipsis, ista quæ Cynæas sapienter Pyrrhum monebat, metiri vellent, ambitiosas curas magis frenarent, atq; sibi terrarũq́; orbi, ad quietioris vitæ cursum, rectius cõsulerent, nunc prauos maiora habẽdi impulsus sequẽtes, nõ modo id assequuntur, vt anxij semper viuãt, verũetiam vt in grauissimas ca-

lamitates, atque in ipsam mortem, sine remedij vllius spe, cum populorum perturbatione incurrant.

De Athenodoro Philosopho.

Athenodorus Philosophus, vir doctissimus, in postremo congressu, cum ab Augusto abeundi veniam peteret, monuit eum, Vt quoties in iram incideret, ne quid prius vel ageret, vel diceret, quam alphabetum secum recitasset: ea enim paruula mora, iræ impetum deferuere aiebat, fieríque, vt quicquid postea vel loqui vel agere vellet, tranquilliori mente efficeret, vnde minus postea doleret.

De eodem.

Idem quoque, Multum eos damnari debere aiebat, qui longis orationibus Deum fatigarent, eaq; peterent, quæ peti ab eis homines scire nollent: rogandumq;, solum de eis Deum esse, quæ minimè molestè homines ferant, etiam si ab omnibus intelligantur, addebat etiam, ita cum hominibus homines viuere debere non secus, ac si Deus eorum semper actiones intueretur: hoc enim modo illos carpebat, qui iniusta à Deo petentes, ipsi sibi ne exaudirentur, impedimento essent.

De Diagora Philosopho.

Non solum prudens, verùm argutum quoque Diagoræ philosophi verbum fuit, in eum, qui Deum ex eo arguebat esse, quod miranda quæ fecerant, in ipsorum templis picta inspicerentur. An nescis, inquit, pictos eos non esse, qui quamuis à Dijs opem petijssent, tamen perierunt? carpsit enim eorum leues animos qui facilè omnia credentes, persæpe in magnos incidunt errores.

De quadam Anu.

Inter sapienter à philosophis dicta, haud erubescemus anum etiam enumerare: sal enim, quo eis verbum cõditum fuit, hoc loco minimè indignum facit. Thales philosophus siderum, atque cœlestium rerum valde studiosus & indagator, cum cœlum astraq; iter faciens intueretur, & aduerso fato, in fossam præceps ruisset, dum eum anus inde educeret, audiuit argute sibi ab ea dici: En, quomodo te in cœlo quæ sunt spectare posse credis, si quæ inter pedes posita habeas, non discernis? mordaci enim verbo, homini philo-

sopho

sopho, nimiam eorum curam, quæ perfectè sciri non possunt, exprobrauit.

De Seniore Catone.

Sapiens quoque M. Catonis senioris sententia fuit, cum semper se harum rerum pœnituisse dixit, videlicet: Si mures arcana sua detexissent. Aut si mari profectus esset, quò terrestri itinere eundi facultatem habebat. Item si per negligentiam, diem frustra elabi permisisset.

De eodem.

Affirmabat idem insanos prudentibus longè vtiliores esse, quàm insanis sapientes: quippè qui sapientes, cũ stultorum errata inspicerent, ob id in melius vitam mutare solerent. At amentes cum discendi capaces non sint, ex sapiẽtum benefactis, fructum percipere nullum possunt.

De eodem.

Et sapiens & astutũ fuit eius responsum in Hispania cũ bellũ aduersus Barbaros gereret: nam cum ducẽta talenta petitus, Celtiberorum (qui nunc Nauarrenses & Aragonij dicuntur) auxilia non conduxisset, & ob eam rem, quidam ipsum reprehenderet: respondit. Si vicerimus, hostili pecunia hanc summam persoluemus, quod si victi fuerimus, nõ habebunt Celtiberi, à quibus hanc pecuniam petant.

De Augusto.

Augustus in omni verbo suo prudentissimus: Eos qui lucrum ob causam periculis se exponerent, similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, qui plus damni amisso semel hamo acciperent, quam multarum captiuarum lucro posset reparari.

De eodem.

Similiter is quoq; dicebat. Illud semper cito factũ posse dici, quod cum factum esset, bene haberet: tarditatẽ enim quæ tuta esset, celeritati anteponebat, cui periculum esset annunctum.

De Homulio senatore Romano.

Homulius senator prudentissimè Traiano dixit: Cum maiori vilitatis ratione, malum principẽ optari posse, qui permultos bonos haberet amicos, quàm bonũ, qui malorũ multorum amicitijs vteretur: si quidem facilius foret à multis bonis vnum malum, ad bonitatem deduci, quàm

ab vno bono, malos multos à malicia auerti.

De Hormisda Persa.

Sapiens etiam fuit Hormisdæ Persæ responsum, cum ostendenti Constantino imperatori, vrbis Romæ magnitudinem atque hominum ædificiorumque magnificentiam, potentiáque, Quid de ea sentiret? respondit, Ex tanta re, quanta ei ostendebatur, nihil eum delectasse magis, neque esse, ex quo maiorem fructum consequi posset, quã quod ex ijs, quæ videret, verum esse comprehendit: in vrbe quoque Roma, quanquam amplitudine opibusq; alias excederet vrbes, tamen sicut in cæteris orbis terrarum locis homines mori: breui enim ac sapienti responso, rerum humanarum vanitatem taxauit.

De Misoniano Hebæo.

Inter multa priscorum sapienter dicta factaque, Hebræi quoque equitis, quem Misonianum Eusebius appellat, & factum & dictum addemus. Nam cum moratam equitum turmam inspiceret, in qua ipse cum Roman. militibus erat, & moræ causam intelligeret esse, quod augur prius inspicere vellet, quid augurij capiendum esset ab aue, quam forte in via offenderent. Misonianus aliud à se agi fingens, arcum tetendit, primaque sagitta confossam auem in terram deiecit, atque ridens ad comites conuersus dixit: Parum consilij atque opis ab irrationalibus animatis posse quenquam sperare, posteaquam pateat ea nescire, quæ ad se ipsa pertineant, & re & verbo, auguria vana esse, stulteque ei credi, ostendens.

RECENTIORA.

De Edilberto Cantuarienſi rege in Britannia.

Prudentissimum valdeque consideratum fuit, Edilberti Cantuarienſis regis verbum: nam cum adhuc gentilia numina coleret, audito sacro Augustini hominis Christiani præconio, quem ad eum Gregorius Pontifex miserat, dixit, Et si agendæ ei gratiæ essent quod à tam longinqua regione venisset, vt Britannorum bono consuleret, eosque illa doceret, quæ profutura eis arbitrabatur: eũ tamen religionis cultum, quem Britanni è maioribus acceptum, vsque ad id tempus seruassent, temerè relinqui non debere, nisi

nisi ante, quæ proponebantur diligentius essent inspecta, id quod postea cum egisset, tēporis interiectu ad Christianam fidem transiuit. Neque enim sine ratione egit, vt propter tanta mutatione, inconsiderati nihil fieret, atque illius fidei cultoribus, ad quam inuitabatur, non humanus modo, sed prudens quoque, ante agnosceretur. Quæ res si Mahumetanis quoque acta fuisset, in eum errorem non incidissent, in quem stulte temereque Mahumeti credendo venerunt, & tunc in eos, qui de Christiana religione, quid ipsos verba facere volunt, tam immanes atque impudentes se non præberent.

De Mattheo Vicecomite.

Posteaquam anno salutis ducentesimo septuagesimo septimo supra mille, Otho Vicecomes Mediolanensis archiepiscopus, die sub virginis Agnetis nomine celebri, Turrigeros fudit, in quo prælio, de Turrigeris capti fuere viri insignes, Musca Lombardo atque Cauerna, vsque ad annum 302. res Mediolanenses penes Vicecomites mansit. Tunc postea Martinus Turriger Philipponi Lāgusci, qui Papiæ rerum potiebatur, item Antonij Fisiragi, penes quē Laudense erat imperium, ac præterea Alberti Scotij, in cuius arbitrio res Placentina erat, armis adiutus, Mattheum Mediolanensi vrbe expulit: qui iam senio confectus, cum se Veronam recepisset, illic Canis Scaligeri ope sustentabatur. Inde autem cum posteà ad Benacum lacum se contulisset, missus ad eum Martini Turrigeri nomine quidam, penè per ludibrium petijt, quid ageret? & quando reuersurum se in patriam speraret? Ei Mattheus (ô sapiens verbum, & quod minimè negligi debeat) Piscor, inquit, & sonat, ne quis piscationem meam impediat, piscor: ea autem via, in patriā regredi cogito, qua inde profectus sum, quādo aduersariorum meorum crimina, peccatis meis præpōderabunt: reuersus est autē postea Henrici septimi in Italiam aduentu, pulsis enim ob nimiam insolentiam Turrigenis, Mattheus in patriam fuit restitutus, & rerum moderamen recepit. Solus autem in Benaco piscationi operam dare se fingebat, vt occultius quæ de reditu suo agitabat, voliri posset.

De Saladino Aegyptio.

Saladinus Asiæ, Syriæ, atque Aegypti rex, nō minus sapere se in morte declarauit, quàm ante rebus gerendis viuens fecisset. Iussit enim, vt interior lineus amictus quo indui solebat, hastæ prælongę impositus, per castra portaretur. Et is qui eum ferebat magna voce omnibus diceret: Saladinum Asiæ domitorem ex tantis opibus quantas pepererat, vnum hunc lineum amictum secum in morte deferre. Sapienter enim & si sero humanæ miseriæ commonitus, eo modo alios quoque monere volebat.

De Hieronymo Stridonensi.

Inter recentiora dicta, quibus sapientia inest, duo Hieronymi Stridonensis ponemus, viri prudentis quidem, sed quod pluris etiam fieri debeat, qui ingenti doctrinæ, paré morum sanctitatem addidit. Is enim & dicere & scribere solebat. Auaro æque illa quæ habeat, quàm illa quæ non haberet, deesse: item facilè ab eo omnia contemni, qui assiduè moriturum se cogitauerit: verbo sapienti ostēsa auaritiæ miseria, atq; humanæ vitæ fragilitate.

De Didaco Hispano episcopo Oxonensi.

Non minore quoq; prudentia, Didacus Hispanus Oxonensis episcopus, duodecim abbatibus Cistertiensis ordinis, quos ecclesia Romana, vt ad Albigesios in fide erudiēdos se conferrent, elegerat, suasit. Si in demādata cura proficere atque libenter à populis audiri cuperent, mollia indumenta, preterea argentum delitiasque omnes abijcerēt, atq; Apostolos imitati, pedibus iter facerent, vt disciplinæ, quàm alijs prædicarent, congruere ipsorum vita inspiceretur, idq; ipse primus egit fructumq; ingentem ex negocio demandato peperit: quod si plerique nostris temporibus ecclesiastici præsules seruarent, non tanto risu, sacerdotum monita exciperentur, cum vitam eos à verbis diuersissimam agere perspiciant.

De Pio I. Pont.

Pius secundus Pontifex, in omni re verboq; suo prudētissimus, dicere solebat Vxores sacerdotibus, maiori ratione posse restitui, quàm ademptæ fuerunt. Nam vir sapientissimus optimè intelligebat, sublatis vxoribus, minimè actum

dum esse, vt non sacerdotum permulti in ea inciderent
mala, propter quæ vxores fuerant ademptæ, sed lõgè quo-
rũ ab eis quotidie deterius agi. Quod si vxorum vsus eis
restitueretur, fortasse ipsorum criminum, in quæ nunc di-
cuntur, pars aliqua desineret.

DE ASTVTE DICTIS ATQVE FACTIS. Caput, III.

HAud longè à sapientia abest astus atque sagacitas, & ob eam causam rectè post sapientiam à nobis collocatur. In quo tamẽ illud homines latere noluimus, quod per hanc obliquè vel commodum, vel laus paratur: & propterea sapientiæ, cui obliqui nihil inest, conferri non possit. Cui etiam illud additur, quod in sapiente semper sagacitas est, sed non omnis sagax & astutus, idcirco sapiens habetur.

De Papyrio Prætextato.

A faceta igitur astutia, eius rei exempla incipiemus. Mos erat in vrbe Roma, priscis Senatoribus, vt parentes, secum filios in senatum deducerent: vt adhuc pueri, rebus agẽdis adhiberent: quos omnes cum abire vellent, iureiurando adigebant, ne quid quod illic esset actum reuelarent. Papyrius cum adhuc tener esset mater ipsum rogauit, quid eo die in Senatu actum esset, cui cum filius, non posse id dicere, respondisset, matri desiderium intelligendi auxit: itaque cũ blandita nihil proficeret, minas quoq; addidit. Filius astutus, vt se hac matris importunę molestia explicaret, mira atq; insueta arte vsus est. Matri posteaquã adeò instaret dixit: Actum in Senatu quid Reipublicæ magis conducere posset, aut fœminis permitti, vt duos acciperẽt viros, aut, vt viri, binas ducerẽt vxores? Mater filij vrbis verum inesse arbitrata, rẽ alijs matronis communicat, quę facto ad Curiam concursu, cum senatu grauiter quæstę, huius rei factam esse mentionẽ indoluerũt. Miratus Senatus, posteaquam vnde res profecta esset intellexit, cum risu mulieres hortatus, vt bono essent animo à se dimisit, laudataq; adolescentis Papyrij astutia, virtutis munus, quandiu ante legitimum tempus Prætextæ honorem concessit, Vnde Prætextati cognomentum sibi peperit.

De Cleomene Lacedæmoniorum rege.

Cleomenes Lacedæmoniorum rex, cum septem dierum cum Argiuis inducias feciſſet, tertia nocte, cum Argiui ſecuri agerent, nihil per id tempus verentes, Cleomenes incautos adortus, magnum eorum numerum cæcidit, atque cepit. Cum autem perfidiæ Argiui eum arguerent, Septem dierum ſe inducias, dixit, pepigiſſe, cæterum de noctibus nullam prorſus feciſſe mentionem. Hoc enim reſponſo, perfidiam ſuam ex parte velare voluit, quam tamen totam tegere non potuit.

De Amaſi Perſa.

Amaſis à Perſis aduerſus Barceos miſsus, ij enim ſunt, qui poſtea ſub Ptolomaidis nomine, vrbem incoluerunt, cum vi potiri vrbe non poſſet, pacem cum Barceis iniuit. Cęterum nocte ea, quæ pacem anteceſsit, ingętem foſsam effodit, totamque poſtea ſubiectis lignis, vt æqua cum alia humo eſset, conſtrauit: eo in loco fœdus initum, cum Barceis iuramento confirmauit, cuius vnum erat caput, nunquàm violaturum ipſum eam pacem, dum terra quâ calcabant formam quam habebat ſeruaret: eo verbo, Barceos fefellit, arbitrantes intelligi, dum orbis terrarum duraret: itaque proxima nocte foſsam aperuit, atque ita Sacramento ſolutum, ſe arbitratus, Barceos nullam vim, facta iam pace, verentes inuaſit, atque ditioni ſuæ ſubegit.

De Moyſe Aegyptiorum duce.

Pari aſtu Moyſes quoque in iuramęti ſui interpretatione, vſus eſt diuino reſponſo, à Pharaone, aduerſus Aethiopes creatus Aegyptij exercitus dux, eos in quos agebat, magno aſtu repulit, atque vrbem Sabam, quam poſtea Cambyſes à ſorore Meroen appellauit, obſidere cœpit. Cũ autem oppugnationi difficultas ingens ineſset, Tharbis Aethiopis regis filia, veluti alia Nyſi Scylla, à muris Moyſem, adhuc in iuuentæ flore pubeſcentem conſpicata, adeò eius amore incaluit, vt per ſecretos nuncios polliceretur, Se vrbem daturam, ſi ſe vxorem duxiſset, neque vltra Aethiopem aliquem occideret. Aſsẽſus Moyſes, atque vrbem ingreſsus, in Aethiopes magna peracta cæde Tharbim poſtea in matrimonium duxit, neque poſt deſponſationem

factam

factam, vltra quenquam occidit: tempus quo cædes præfinibatur, arbitratu suo interpretatus.

De Themistocle Athenienſi.

Et laude digna, & mira fuerunt omnia Themistoclis opera, sed omnia, meo quidem iudicio, ingenij magnitudine superauit vna res, quæ à nobis nunc describetur. Dirutæ erãt Athenarum muri, nec vt instaurarẽtur, ferre Lacedæmonij volebant: Athenienses Themistoclis consilio, sub alio rei prætextu, cum necessariam ad ædificandum materiam parassent, adhibita summa celeritate, instaurare muros cœperunt: eam rem Lacedæmonijs per oratores incusantibus Themistocles ad eos profectus, orator varijs excusationibus tegere opus cœpit: cum autem postea vidisset, nõ posse vltrà Lacedæmonios sustineri, iamque aliquantulũ muros creuisse putaret, in Lacedæmoniorum Senatũ se contulit, atque apposita ratione, rogauit Lacedæmonios, ne maledicendo assuetis ea credere vellent, quæ Athenienſibus damnosa forent, vt autem de his, quæ curæ sibi esse ostendebant, certiores fieri possent, suadere se aiebat, vt quatuor ex principibus senatus sui, Athenas mitterent, qui inspectis rebus Lacedæmonijs vera referrent: se autẽ interim Spartæ obsidem mansurum, vt si inuentum esset Athenienses vrbis muros condere, ceu in mendacem animaduertere possent. Cum Lacedæmonij quæ à Themistocle proponebantur, & æqua & tuta putarent, iuxta eius vrbem, Athenas legatos miserũt: is statim Athenas scripsit, ne Lacedæmonios oratores ante dimitterent, quàm ipse à Lacedæmonijs liberatus esset, atque interim opus acceleraret. Cum autem postea captos Athenis oratores Lacedæmonios accepisset, in senatum Lacedæmonium profectus, de legatis atque muris Athenarum res vt erant, ingenti animo liberè ostendit, atque ita egit, vt tandẽ res cũ Athenienſibus æquioribus conditionibus Lacedæmonij componerent, atque ipse Athenas, ad Lacedæmonios legatos liberandos remitteretur. Ipsius igitur industria Athenæ instauratis muris, munitæ fuerunt.

De Alcibiade Athenienſi.

In Athenienſiũ administrãda Republica, inter Thucydidem

didē atq; Alcibiadē graues erant contētiones, ob eam causam, cum per id tempus Thucydides Athenienſium nomine, cum Lacedæmonijs pacē iunxiſſet atq; egiſſet, vt ab eis Athenas legati mitterentur, ad ea confirmanda, quæ ipſi cum eis conuēta erant. Lacedæmonios oratores ante in Senatum deduxit, vbi ſine controuerſia, facilè de omnibus conueniebat. Cum igitur Alcibiades vereretur, ne Thucydidis opera ea res tranſigeretur, noctu ad Lacedæmonios legatos clàm ſe contulit, & cum ſe Lacedæmonijs amicū fingeret, ante quæ legati egerant, laudauit. Deinde Athenienſem populum ſuperbo eſse ingenio monuit, dicens, Si tam humanè vt in Senatu fecerant, apud eum in cōcione loquerentur, qui ita putarent ſe rei ſuæ melius conſulturos, in eo vehemēter ipſos opinione deceptum iri: quod Athenienſis populus, ſermonis ſubmiſsionē, ceu indicium nimium optatæ pacis accępturus eſſet, & ob eam rē nouas conditiones paci illaturus. Se autem quia omnes Lacedæmoniorum amicum putarēt, euitandæ ſuſpitionis gratia, palàm ipſis oratoribus aduerſaturum, cęterum vbi tuto poſſet, eorum rebus ex fide facturum. Lacedæmonij oratores dicentis verbo fidē ineſſe arbitrati, ſe conſilium ſecuturos reſponderunt. Alcibiades autē relictis oratoribus, permultos ex plebe ſubornauit, quibus perſuaſit, id à Senatu agi, vt Athenienſis populus falleretur: quia minimè verum erat, ea Lacedæmonios, quę ſenatus dicebat eſse, facturos, id quod clarè populo legati erant oſtēſuri, quia Athenienſes nimium cupidos pacis eſse animaduerterant. Mane igitur legati Lacedæmonij, coram populo Atheniē ſi, longè diuerſa ab ijs, quæ in Senatu dixerant, non ſine magna Thucydidis admiratione locuti ſunt, quibus Alcibiades, cum in eum modum, quē dixerat, reſpondiſset, atq; oratoribus res ex ſententia ſuccedere videretur, adeò mordacibus vtrinq; verbis progreſsum eſt, vt in eo conſilio, Athenienſes bello perſequendos Lacedæmonios eſse decernerent, atq; Alcibiadē bello præficerent, qui non minore ingenij dexteritate, quā Themiſtocles apud Xerxē egit, vt hoſtiū legati contraria rei ſuę loquerētur, ad vincēdos hoſtes, hoſtibus ipſis vſus. Sed nō minor Nicię, de quo nūc

loque-

bquemur astus fuit.

De Nicia Engionensi.

Nicias Engionēsis ciuis (est autem Engion vrbs in Sicilia, quem postea Maceram nuncupauerunt) cum de Siciliæ imperio Romani atque Carthaginenses bello inter se decertarēt, multum Engionenses ciues hortatus erat, vt Romanorum partes sequerentur. Cum autē sciret, aduersarios ob eā rē decreuisse, in primo cōsilio ipsum interimere, atq; frustra profugere ab vrbe tentasset, nouo astu, ad salutem viam si posset aperire constituit. Maceranarum dearum numina, quę illic sanctè colebantur, quibus potuit verbis impiè cœpit contemnere, & cum non multo post in consilio esset, vbi verba facere cœperat, in terram veluti mente captus corruit. Exclamansque in se iratas Maceranas Deas flagellis sæuire, dilacerare à tergo suo vestē cœpit, cum ob eam rē nemo attingere hominem auderet vlulans, ceu furijs agitatus erexit sese, & ad portam vrbis currens, nemine obstare auso egressus est, vxor liberiq; quemadmodum ab eo edocti fuerant, rerum desperatione agi se fingentes, omnia planctu replebant, atque extra vrbem Niciam in perquirētium morem secuti sunt. Per hūc vafrum modum Nicias, cum alia ratio, vim aduersariorum effugiendi non esset, se seruauit, atque ad Marcellum Consulē Romanum profectus est.

De Dauide Hebræo.

Eodem astu Dauid vsus est, cum iratum Iudæorum regē Saulum fugeret, profectus enim in Palæstinam, vt illic tutò esset cum animaduerteret cognitum se à Palæstinis esse, omnesq; loqui ipsum eum esse, qui olim tot Palæstinorum millia occiderat: ne ob eam rem interficeretur, aut Saulo hosti dederetur, ab ore euomere spumam cœpit, atq; toruè versis in contrarium oculis, non insanum modò, verùm futijs etiam agitatum se ostēdit: qui cum nihilominus à Palestinis captus, ad Achim ipsorum regem esset deductus, Achis vt ita furentē vidit, adduci vt Dauidem esse crederet, non potuit: verùm potius ministros suos acerbè increpuit, quod tanta insania captum hominē, ad se deduxissent, statimq; vt inde pelleretur iussit.

De Annibale Carthaginensi.

Qua

Qua in re Annibal quoq; non ſemper aſtutiſsimus fuit? Is eum vereretur, ne Syriæ rex Antiochus, eum Romanis captiuum traderet, poſteaquàm ſuperatus fuit, in Bithiniam, ad Prufiam regem proficiſci conſtituit, ante autẽ, in inſulam Cretam traiecit. Illic cum magnam vim auri ſecum haberet, ſciretq́ue Cretenſes auaritia laborare, eos decreuit rete ſuo, id eſt artibus ſuis capere. Permultas igitur vrnas plumbo repleuit, aurum ineſse fingens, atque Cretenſibus aſſeruandas in Dianæ templo tradidit, multasq; æneas ſtatuas, quas in ædibus ceu neglectas inordinatim habebat, clàm auro repleuit, per eum enim modum, ablato inde in ſtatuis auro, plumbũ auaris Cretẽſibus reliquit.

De Pacuuio Calanio.

Nónne etiam aſtutiæ plenum Pacuuij Calanij conſiliũ fuit? cum accepta à Romanis clade ad Traſimenum, ſenatus Campani periculum, quod ei à plebe imminebat, ita diſcuſsit, vt & Senatum incolumẽ ſeruaret, & plebis gratiam retineret? Ita enim plebi de perdendo Senatu, morem ſe gerere velle oſtendit, vt tamen ante de alio ſufficiendo Senatu paciſceretur. Cum autem ſenatorum damnatione incœpta, ipſius plebis iudicio non inueniretur qui honeſtè in Senatu legi poſſet, deteriorumq́ue electionis puderet, atque res eò vergeret, vt nihilominus omnes in damnatorum locum ſuffici ſe cuperent, quia alia ratio tollendæ contentionis, meliorumq́; habendorum non erat, de Senatus mutatione integra res relicta eſt: quæ res in poſterum plebem Senatumq́ue, vt melius conuenirent, magna Pacunij apud vtrunque ordinem gratia effecit.

De Eumene Cardiano.

Nouo etiam ſagaciq́ue conſilio, Eumenes Cardianus, hoſtis ſui conſilium diſcuſsit: nam cum Antigoni opera, qui aduerſus Eumenem arma mouerat, in Eumenis ipſius exercitu ſparſæ eſſent literæ, quibus ingens pecunia his proponebatur, qui Eumenem occidiſsent: Eumenes exercitum ad concionem vocauit, egitq́ue gratias, Quod nemo inuentus eſſet, qui fidei pecuniam anteferre vellet, ſubiunxitq́;, Latere eos nolle, quod ipſe eas finxerat literas, vt fidem militum ſuorum experiretur. Hoc enim ſagaci conſi-

lio

lio prouidit, ne in posterum milites, aut nuncijs, aut literis hostium crederent, veriti semper, ne rex Eumenes, experiundæ fidei gratia ea fieri iussisset.

De Apuleio & Aruntio proscriptis.

Pulchrum Apulei, atque Aruntij proscriptorum, vt imminentem mortem declinarent, commentum fuit: nam cum ipsi Tribunorum militarium habitum sumpsissent, seruos suos, ceu milites armarunt, vrbemque egressi, tanquàm ipsi proscriptos insequerentur: quà iter facerent, liberatis captiuis, in quos inciderãt, satis magna manu coacta, in Siciliam vnà traiecerunt. Sed iam ab astutè ad tuendam salutem suam factis, ad ea transeamus, quibus vafrè agendo, quidam aliorum salutem petiuerunt.

De Mnesteo Aureliani imperator. liberto,

Erat Aurelianus imperator, quemadmodum cæteris in rebus, virtute admodum præstans, ita humani sanguinis, plusquàm bono principi æquum esset, auidior. Is cum ad Persicam expeditionem, cum exercitu iter iam facere cœpisset, & propter quædam, haud magna admodum errata, Mnesteo liberto, quem à manu habebat, non sine intermissione succensuisse videretur. Libertus qui optimè principis ingenium calleret, sciretque, leuiter eum nec communari, nec parcere solere, malo esse loco salutem suam putauit, itaque eo se timore liberare decreuit. Literas igitur, tanquam Aureliani manu scriptas confinxit, atque in eis quorundam nomina notauit, quos aut parum gratos principi, aut eis non multò ante ipsum esse interminatum norat, inter ea nomina suum quoque scripsit. Cum autẽ non sine timoris significatione, adactis ante iuramento, rem in occulto seruaturos, has literas eorum quibusdam, qui inscripti erant, ostendisset, à se casu inuentas dixit, cum principi excidissent, qui eas Tribunis daturus erat, vt nominati in eis interimerentur. Illi præ timore in desperationem coniecti, cum vera quæ à Mnesteo dicebantur esse putarent, tanquàm nulla salutis spes superesset, intentatum nihil omittere decreuerunt, vt Aureliani mortem suæ anteuerterẽt. Itaq; eũ postero die occiderũt, quo facto, sagax Mnesteus, comites adinuenit, per quos magno illorũ periculo

culo à morte reciperetur: neq; enim illi, nisi de salute sua actum putassent, in Aurelianum manus extendissent.

De Mithridate Ponti rege.

Mithridates Ponticus rex, aduersus Ariaratem nepotẽ, Cappadociæ regem bellum susceperat. Sed cum Ariaratis vires, opinione maiores offendisset, astu peragere decreuit, quod armis assequi se posse diffidebat: itaq; vt in colloquiũ venire vellet, ab Ariarate petijt, missis vtrinq;, qui explorarent, ne occultè in colloquium arma ferrent, cum is qui Mithridatis corpus prætendebat, manum sub veste ad baltheum poneret Mithridates subridens dixit: Caue, ne si in feriorem partem manu petieris, alium quàm quem quæris pugionem inuenias. Is virilia dici arbitratus, quærere vltra abstinuit: remansit igitur in ea parte, penes Mithridatem paruus pugio, quo nepotem dum alloqueretur interemit: qui plus eius verbi ambiguitate, vt ferrum atque insidias occultaret, quàm omni alio astu profecit. Cæterũ omissa hac re, quæ parum gratiæ secum fert, iam de astutis iudicijs dicamus.

De Claudio imperatore,

Cum præsente Claudio imperatore, controuersia esset de muliere, quæ filium abnegabat suum esse, quod is longo tempore abfuerat, & propterea incognitum eum sibi esse mater dicebat. Probationibus vtrinque factis, cum res non liqueret, Claudius noua industria verum adinuenit: decreuit enim, vt mulier quandoquidem filium negabat, virum eum acciperet: itaque quæ immobilis in ceteris probationibus manserat, cum abhorreret filio commisceri, tãdem contentione deposita, verum detexit.

De Salomone Iudæorum rege.

Subtili quoque atque acri iudicio, ante Iudæorum rex Salomon, in duarum meretricũ contentione, de filio qui superuiuebat, altero à dormiente oppresso verum eruit: quomodo enim melius veram matrem agnoscere potuit, quàm cum gladio petito, imperauit in re dubia vbi signa, vbi probationes non erant, vt diuisus viuens filius, inter eas distribueretur? quippè ea potuit mater esse, cuius viscera, in filij periculo magis commota fuerunt.

De Enno

De Euno Syro.

Haud prætereunda etiam Euni Syri astutia fuit, qui in Sicilia, cum sibi manes infestos ostenderet, ac Deæ Syriæ cæremonias, ac sacra populis concionabundus prædicaret, in ore inclusam nucem, cum sulphure atque igne gestabat. Per hunc modum cum loquens persæpe flammas verbis mixtas effunderet, in eam existimationē apud seruos, atq; infimam plebem venit, vt ex ea duo hominum millia cogeret. Hac postea manu, cum carceres effregisset, numerum vique ad sexaginta milia auxit, comparatoq; iusto exercitu, Manlium ac Lentulum, Pisonemq; Romanos prætores qui arma contra mouerant, deuicit: & quanquàm postea à Perpenna ipse superatus fuit, industria tamen maiora quā viribus ingentibus gesit.

De Barchochaba Iudæo.

Barchochaba Iudæus, pari astu, quo Eunus, præsertim euomendi ab ore flāmas, cum præterea stellā se à Deo missam nuncuparet, leuiter Hebræos ad tumultuandū excitat. fretos, per eum, se Romani imperij iugum excussuros. Itaque ab Adriano Cæsare domiti, seditioso propheta occiso, diuersa omnia ab ijs quæ sperabant, retulerunt: hos exitus, sæpè falsa hæc commenta, ac temerè concitati tumultus nanciscuntur.

De Qu. Sertorio.

Quintus Sertorius, cum se in Hispania contra Syllanas partes tueretur, vt Barbaris populis magnam de rebus suis opinionem faceret. Ceruam candidā ita edocuit, vt si quādo magna nunciorum celeritate aliquid fœliciter gestum accepisset, dimissa cerua, ad sedentem pro tribunali Sertorium accurreret, atque eius gremio caput apponeret. Itaq; cum ipse postea quid accepisset, populis proferret: opinionem, tanquàm diuinitus id cerua attulisset, magna sui existimatione apud eos faciebat.

RECENTIORA.

De Mahumethe falso propheta.

Mahumetes falsus propheta, & sceleratæ legis lator, præter plurima alia, quę magno astu confinxit, vt diuinitatis opinionem apud Barbaras nationes captaret, hoc quoque egit,

egit, columbam enim ita commodè asſueuerat, vt ipſo apud rudes populos conciones habente, in eius humerum volaret, roſtroque aurem peteret. vbi eam paſcere conſueuerat, per hoc egit vt cum prædicaret, populi crederent, ipſo ita affirmante, in columbæ forma ſpiritum ſanctum cælitus deſcendere, vt eum quæ dicenda populis eſſent moneret.

De Euſebio Vercellenſi Epiſcopo.

Quantum Mahumeti aſtus atque verſutia damnari debet, tantò magis laudibus eſt efferendum, ſubtile Euſebij inuentum. Is Vercellenſis erat epiſcopus, qui cum in catholica eccleſia, & doctrina, & moribus in magna exiſtimatione haberetur, à Conſtantino Imperatore Arriano, Mediolanum ad conſilium vocatus fuit: cum autem accepiſſet, arte multos catholicos Epiſcopos compulſos eſſe, vt damnationi Athanaſij, atque Nicæni conſilij derogationi nomina ſua ſubſcriberent, atque in eorũ eſſe numero Dionyſiũ Mediolanenſem epiſcopũ, vt perſpexit quã grauiter per eam ſcripturã, vera Chriſti fides læderetur, quæ & ſi, ab ijs qui ſubſcripſerant reuocari poterat, tamen oſtenſa dubiam factura erat catholicã fidem: nouo aſtu euertere etiã eam cogitauit. Itaque requiſitus vt nomen ſuum inſcribere vellet, ſe minimè reluctari velle oſtendit. Poſtquàm igitur coràm allata fuit ſcriptura, non ſecus, ac ſi de ea nihil ante accepiſſet, vt in principio Dionyſij nomen inſcriptum vidit, ſe vehementer commotum oſtẽdit, quod primarium locum iuniori tradidiſſent: itaque dixit, Vos Arriani affirmatis filio patrem maiorem eſſe, & Dionyſium qui ætate atque doctrina filius mihi eſſe dici debet, dum mihi præpoſuiſtis ipſum, qui minor eſt maiorem me feciſtis. Idcircò peto, vt noua ſcriptura conficiatur, & in ea ſeruato gradu, omnes ſuum inſcribant nomen, quod ſi à vobis fiet, ego vobis morem gerere non recuſabo: vt tãdem quæ inter vos eſſe videntur contentiones finiantur. Arriani vera hominẽ locutum arbitrati, ſuperbiaq; impulſum requirere, vt in ſcriptura Antiſtitum ætatis atque dignitatis gradus ſeruarentur, exuſta prima ſcriptura, cui iam plerique ſe ſubſcripſerant nouam confecerunt: quæ cum ad Euſebium perlata eſſet,

tu esset, vt nomen suum apponeret. Respondit rem magni esse momenti, exigereque eius magnitudinem, vt ante diligenter super ea disputaretur.

De Ioanne septimo qui fœmina inuentus est Pontifex.

Ioannis septimi Pontificis Maximi astus, omnia in fallendo ingenia, quæ vnquam viderim aut legerim superauit. Nam cum fœmina esset Britannica, Agnes appellata, domo fortasis, ob impudicitiam profuga, fœmineo amictu, in virilem mutato, data studijs diligenti opera Athenis, ad eam doctrinæ magnitudinem peruenit, adeoque virum effingere sciuit, vt Leoni quarto, in Pontificatu succederet: quem cum biennium obtinuisset, pariendi dolore, cū in sacra processiōe iter haberet, emortua est: adeò sagax atque astuta, vt iudicium Christianorum omnium falleret, fabriliter fingendo assecuta, vt non solùm vir haberetur, verumetiam digna Pontificatu duceretur, cum ab vtroque, quantum res ipsa docuit, abesset.

De Ioanne Comite Cunij.

Mortuo Alberto Estensi Marchione Ferrariensi, Actius & ipse Estensis, sed exul, fretus ad eum principatum conscendere posse, Nicolao Alberti filio impuberi bellum intulit, ope Ioannis Comitis Cunij adiutus. Ioanni, tutores Nicolai promiserunt, se Lugum atque Confilicem oppida donaturos, si Actium interfecisset: Ioannes conditionē nō abnuit, & cum virum mortuum Actio persimilem, qui ex composito ob eam rem latebat, ostēdisset, oppida quæ promissa fuerant accepit. Astu profecto magno, nec illaudato, seruata in primis amico fide, pro scelere non patrato, munus, tanquam si scelus patrasset assecutus.

De Comite Roderico Gutherio.

Cum Rodericus Gutherius comes, in prælio captus esset, à Ferdinando Castulonensi rege, in quo prælio, ipsius Roderici frater Aluarus mortuus erat: hac cōditione à Ferdinando dimissus est, vt iuraret, se fratre sepulto rediturū. Itaque vt promissa Rodericus præstaret, fratris corpus aromatibus conditum, atque capsę incluſum, quocunque proficisceretur secum ferebat, neque ante sepeliuit, quàm Ferdinandum regem decessisse, intellexit. Ea enim arte ad Fer

dinandum non redeundo, sacramenti religionem se seruaturum putauit.

De Cacano Bauarorum rege.

Bauarorum rex Cacanus, cum in Carniam atq; alia Venetiæ loca, cum ingenti exercitu veniſſet, primo prælio Giſulfum Longobardorum, eius regionis ducē occidit, atque vrbē, vbi Giſulfi vxor erat, Romilda nomine, obſedit. Ea de muris hoſtes conſpicata, vt Cacanum ætatis flore conſpicuū, formaq; inſignem vidit, eius capta amore pepigit, Se ſi vxorem duceret, vrbē ac Giſulfi liberos daturam. Cacanus accepta cōditione, vt fidē quam dederat, præſtaret: prima nocte, eodē lecto, cum ea maritale munus impleuit, poſtea ijs, qui adire eā vellent, vulgo permiſſa, adacto à muliebri ſexu, per totam ipſam palo, ſpectandam omnibus propoſuit: vt ea parte qua peccauerat, criminis ſui lueret pœnas, vrbemq; Forumiulij totam euertit, à qua, poſtmodum Regio nomen, accepit.

De Gregorio Romano patricio.

Vera non tam aſtutia, quàm fraus & malitia fuit, qua Gregorius Romanus patricius, in eadem Foroiulienſi regione vſus eſt: cum inuitatos Catonem & Taſonem Longobardos fratres, Foroiuliēſes duces, vt ad ponēdā apud ſe primam barbā (quod priſcis Longobardis amicitiæ vinculum erat) Opitergium (quæ vrbs Vderzum nunc appellatur) venirent. Vt eos in vrbem accepit, clauſis portis, interimi iuſsit, delatisque ad ſe ipſorum capitibus, vt fidem præſtaret, ambobus manu ſua barbam, ita ne cultri raſorij moleſtiam vllam ſentirent.

De Ludouico tertio Imperatore & Attone Epiſcopo Maguntino.

Pariter malitioſè minimeque ſyncerè iuramentum interpretatus eſt Ludouicus tertius Imperator Arnulfi filius, & Atto Maguntinus Epiſcopus. Nam cum Atto Ludouici nomine, Alberto Franconiæ comiti, quem Ludouicus in vrbe Bamberga obſidebat, promiſiſſet, ſi ad colloquium, cum Ludouico ab vrbe deſcendiſſet, in Bambergam, ſe eum incolumem reſtituturum: poſteaquam vrbe Albertus eſt egreſſus, Atto tanquam ſi melius ad hoc cogitaſſet, mutata ſen-

sententia, cum Alberto regredi, se in vrbem velle, vt pranderet, dixit. Affirmãs quod hora tardior videretur, Satius esse prius discubitum redire, moxq; ad Ludouicum ab arce descendere. Pransi igitur, cũ ad Ludouicũ descendisset Albertus, captus est & securi percussus, propter Conradi Ludouici patris mortẽ, qua eum Albertus affecerat. Cũ autem incusaret Albertus, non seruari sibi pactam fidẽ: Atto aperte respondit, Se eũ incolumem reduxisse in vrbem cũ pransum cum eo profectus est: & quia semel tantum promiserat, eum se restituturũ, idque seruauerat, iniustè eum queri violatam, quæ data fuerat fidem, fuisse.

De Altinerio & Rainhaldo Taruisinis.

Quo nomine Altinerij Rainhaldique Taruisinorum factum, erga Rizardũ Caminũ principem suum appellabimus? nam cum vxori atq; filiæ eius vim attulissent, magnis promissis, vnum ex Rizardi militibus impulerunt, vt eum occideret, quem cum miles præsentibus Altinerio atq; Rainhaldo lætali vulnere confodisset, ambo, ceu Rizardo fidelẽ præstare operam vellent, arreptis armis, statim militem ipsum obtruncarunt: non modò ne res detegeretur, verumetiam, vt qua mercede dignus erat miles, cũ dominum suũ occidisset, pro pacto præmio, pœna eum afficerent.

De Ricio milite Hispano.

Et si nonnunquam fortuna homines ita præterit, vt eis nihil aut opũ aut honestæ originis impartiatur: ingenio tamen eos non fraudat, quin potius persæpè opum atq; nobilitatis damna, ingenij magnitudine compensat: quemadmodũ in sequenti exemplo videbitur. Ab Eugenio quarto pontifice, Basilienſis concilij, nonnullorumq; aliorũ principum impulsu, ciues Rom. desciuerant, atq; is, se clã Florentiam cõtulerat, à Romanis Eugenij nepote, magno Camerario capto, obsessaque sancti Angeli arce, quæ in Adriani mole constructa est. Per id tempus Hispanus quidam, nomine Ricius, belli fama permotus, vt militũ mos est, Romã cũ aliquot comitibus est profectus: vbi cũ conditionem & sententia sua non inuenisset, magno atque nouo astu vti cogitauit: Persuasit quibusdã è Romanorũ primoribus, Si tanquã trãsfuga in arcẽ recipere se posset, breui, quia in ea

multorum amicitia vteretur, se curaturum, vt in potestatẽ suam Romani arcem haberent: atque sub hoc Prætextu in arcem, cum quatuor comitibus profugit, illic quo consilio venisset, Præfecto arcis statim patefacit, atque ad constitutum tempus, clamore sublato, tanquam qui in præsidio erant, inter se pugnarẽt: haud multo pòst, ceu victor Hispanus diploidem ac caligas Præfecti arcis materia repleuit, ita vt veri Præfecti simulachrum appareret, idem de quibusdam alijs effecit. Atque vt ex compositio erat, ad murorum pinnas, eos, veluti arcis imperium adeptus, suspendit. Romani impetu facto, ad arcem, cum enecato arcis Præfecto, fraudem abesse putarent, aditum in arcem quærebãt: quos Ricius, se non permissurum ingredi dixit, priusquam promissa ei præstarentur: aliquot quidem ex Primoribus, interim accepturum in arcem, qui cum ingressi essent, eos in carcere condi iussit, aliam multitudinem ab arce tormẽtis repulit: his quos in arce cœperat, pro Camerarij liberatione restitutis, astuti consilij sui Ricius præmia ingentia, ab Eugenio pontifice retulit.

De Nicolao Picinino.

Cum Nicolaus Picininus, qui in Brixiano agro, Philippi Mediolanensis Ducis exercitui præerat, apud Gardã circa Bencum lacum, à Francisco Sfortia Venetarum copiarũ duce, in eum statum compulsus esset, vt neque copijs suis iungi posset, neque in eo oppido diutius sine periculo manere. Si enim apud hostem palam factum esset, illic eum esse, nec fugæ nec defensionis spes vlla superfuisset, illinc igitur nouo astu abire cogitauit. Sacco (& enim vt nomine, ita & corpore pusillus erat) se inclusit, atque à Todeschino, ita nomen erat, magnæ staturæ, maioris etiam fidei viro, qui ei obequitanti, pedibus officium præstabat, & caligas Sfortiano discrimine notatas induerat, deferri se, per medios hostes, ad suos in tuta loca curauit, respondẽte Todeschino cùm quæreretur, quid in sacco ferret? panem in suum ac comitum suorum vsum esse. Necessitas enim coniunctaque ei industria, militarem Ducẽ, cuius virtute Italia tota persæpè tremuerat, eò compulerat, vt includeretur, atque peditis gregarij se crederet fidei. In quo haud facile

ilé dijudicauerim, maior ne fuerit necessitas, quæ ad hoc ciciniuum coëgerat, an fides, quam ei Todeschinus magna laude præstitit.

De Alphonso Aragonio Siciliæ rege.

Haud ex toto Salomoni dissimilis astus fuit, quo Alphõ sus Aragonius, Siciliæ rex, contentionem de serua grauida explicuit: nam, Cùm se à domino factam esse grauidam diceret, per Cathaloniæ autem leges, eiusmodi mulier libera habebatur esse, dominus factum negabat: sed cùm res sine certe esset, nec satis liqueret, decreuit rex, vt qui nasceretur filius, venundaretur. Quæ res, cum domini viscera, ad commiserationẽ mouisset, in quo plus paterni sanguinis affectus, quam pecunia valuit, sublata contentione, suum esse filium fassus est, & serua libertatem obtinuit.

De Cæco Agrigentino.

Eiusdem Alphonsi temporibus, Agrigenti quæ Siciliæ ciuitas est, vir cæcus fuit astutissimus, qui per insulam proficisces, sine vllo errore, etiã videntes interdũ, anteibat. Hîc cum haberet quingentos aureos nummos, veritus, ne sibi furto adimerẽtur, in agro eos defodit: quod cum fortè quidam vidisset, qui ei per baptismi sacrã coniunctus erat, & haud longè ab eo loco habitabat, sequenti die effossam inde pecuniam abstulit. Cæcus post aliquot dies, ad locum rediit, vt pecuniam quæreret, quã cũ non inuenisset, coniectura assecutus est, vt propter vicinitatem nullum aliũ, quã vicinum, de quo dictum est, auertisse putaret: itaque rẽ dissimulat, atque post aliquot dies, vicinum illum conuenit, sub iurisiurandi fide, vt melius tegeretur astus, ceu amico communicat, se aliâs pecuniam defodisse, & cum tantundem nunc etiam haberet, petere se ab amico consilium, deberétne simul cum alia defodere, aut seorsim eam apud se retinere. Amicus qui hanc quoque cæci pecuniam, vt aliam suam esse ducebat, suasit vt cũ alia defoderet: & ne cæcus si primam abesse pecuniam inueniisset, hanc, quam se habere nunc dicebat, illic deponere abstineret, primam illic, vt ante erat reposuit. Cæcus postea illuc profectus, cum pecuniã inueniisset, arbitrareturque id quod erat, scilicet, amicũ haud longè ab eo loco abesse, exclamauit. Hac in re amice,

oculatior videnti cæcus fuit: atq; ita cum præsenti sagacitati puer initium dederit, cæcus ei finem imponet.

DE MILITARIBVS STRATAGEmatis. Cap. IIII.

POst sagacitates atq; astutias, de quib⁹ est dictū, de militari calliditate siue (vt Valerius appellauit) stratagemate, nonnulla ponemus exempla. His vbi vires desunt, cum supplere boni Duces ac milites, non sine magna laude, magnisque commodis soleant, è re futurum esse arbitror, vt de ipsis mentio à nobis fiat. Non modo vt eis vti, cum opus est, nos quoque sciamus, verum vt alienas quoque vitare possimus.

De Themistocle Athenienſi.

Themistocles prudentissimus vir, cum videret Græcorū classem, quæ aduersus Xerxem parata erat, quòd ex diuersis vrbibus confecta esset, persæpè multis in rebus discordem esse, paruoque tempore ob eam rem, simul mansuram, & Græcorum rem omnem statim, vt soluta classis esset, euersum iri, huic rei nouo astu occurrere decreuit. Sicinium igitur seruum suum Persam ad Xerxem misit, qui significaret ei Themistoclem amicum esse, & propterea monere, Græcorum classem præ formidine tumultuare, facileque ipsum totam esse capturum, si priusquam fuga dissiparetur, eam adoriri vellet: id cum Xerxes, vt à Themistocle monebatur, egisset, eo prelio Themistoclis astu, qui Græcis abeundi consilium ac tempus ademit, superatus est. Hostem enim verbis Themistocles pellexit, vt alieno tempore dimicationi se offerret.

De eodem.

Illud quoq; magno astu, ab eodē actū fuit, cum veritus, ne Xerxes, quia male maritimā cedere expeditionem videbat, omni conatu, terrestri bello incūberet, & tandē omnē Græciā opprimeret. Norat enim parui animi Xerxem esse, Arsacem eunuchū, quē in Persica classe cœperat, noctu ad eum misit, & per ipsum Xerxi significauit, Græcos deliberasse, pontē in Hellesponto factū rescindere, vt retrocedēdi adempta facultate, ipsum cū omnibus Persis in Græcia intercluderent: quod cum Xerxes ita esse arbitraretur, vehementer

nter territus, Mardonio in Græcia cum exercitus parte
ficto, ſtatim ipſe cum alijs copijs, per pontem in Aſiam,
que inde in Perſidẽ regreſſus eſt. Exitus autem poſtea do
nt, quantũ Græciæ Themiſtoclis aſtutia profuiſſet: nam
periculi magnitudine, in quod ſe coniectos Græci ſen-
runt, cum profecto rege, ſolus Mardonius, cum parte ex-
ercitus in Græcia remanſiſset, facilè cogitãdo aſſecuti ſunt,
Xerxes cum alijs copijs remanſiſſet, quantò grauiora la-
ra fuiſſent. Itaque haud iniuria dici poteſt, Græciæ rebus
atque ſaluti, plus Themiſtoclem conſilio, atque callidi-
tate, quàm reliquos omnes Græcos, ſanguine atque ar-
is contuliſſe.

De Gilippo Lacedæmoniorum rege.

Cum Gilippus Lacedæmoniorum rex, in Sicilia Athe-
nienſium exercitum, cui Nicias præerat, acie viciſſet, atque
fugam in fugam compuliſſet: cum copiarum parte Nicias
per inſulam abibat: quem cum ea nocte Gilippus inſequi
non poſſet, veritus, ne ipſius noctis ſpacio tam longè abi-
ret, vt poſtea conſequendi eum facultatem non haberet:
militem in transfugæ formam ad Niciam miſit, qui mone
ret, Cauendum ei eſſe, ne ea nocte ſe commoueret, quoniã
Gilippus aditus omnes obſederat. Cui Nicias cum temerè
fidem habuiſſet, ſubſtitit, tempusque fruſtra contriuit, quo
ſaluti fugiens conſulere potuiſſet: itaq; poſtridie mane in-
ſeſſis montibus, à Gilippo Nicias, quia temerè crediderat,
deditionem Lacedæmonijs facere coactus eſt.

De Zopyro Perſa.

Cum Darius Babylonem obſideret, quod ea ciuitas ab
ipſo deſciuerat, atq; eius potiundæ ratio difficillima eſſet,
Zopyrus Darij militarium ducum vnus, maxima erga eũ
fide atque amore inſignis, ſibijpſi naſum, aures, atque labra
deſecuit, atq; ita malè compoſitus noctu ad Darium ſe con
tulit. Cum Darius eo aſpectu commotus eſſet, Zopyrus ſe
rei eſſe authorẽ narrat, ac conſilium aperit, quo impulſus
id egerit, ſtatimque inde ad Babylonios profiſcitur, eis ſer-
mone ad id compoſito narrat, ita ſe vt videbant, à Dario af
fectum, quod eum quibuſdam de rebus reprehẽdiſſet. Cre
diderũt Babylonij ea narrãti, quia etiã ſigna oſtẽdebantur,

quibus ficti nihil videbatur obtegi posse. Itaq; quia Zopyrum ingentis virtutis virum norant esse, quarundam copiarum curam ei demandarunt, his copijs Zopyrus sæpè, cum Persis manu conserta, victor è prælio excedebat, nec parua incommoda Persis inferebat. Itaque cum se in magnam apud Babylonios opinionem, per hunc modum insinuasset, Dux omnium copiarum ab eis creatus, haud multo pòst assecutus est, vt eo astu, per noctem Darium in vrbē reciperet. Hoc exemplo ostendens, nunquam tam grande pignus de hoste haberi posse, vt penitus ei credendū sit: est autem in hac re illud quoque adhuc incertum, fuerítne in Darium maior Zopyri fides atq; amor, quàm ipsius ad fallendos Babylonios astus & calliditas.

De Adathame Cara.

Adathames Cara, cum ab Artaxerxe Persarum rege rebellasset, atque aduersus eum tenderet, monitus est, Mitrobarzanem socerum suum, ad hostes profugere. Veritus igitur ne eo exēplo, à reliquis copijs desereretur, edixit, in exercitu, socerum iussu suo ad Persas tendere, vt cum ipse cū Persis à fronte manum conseruisset, socer Persarum terga cederet, vt ita facilius vincerentur. Huius rei facta militibus opinione, in hostem pergere continuauit: cum autem citato cursu Persæ eum venire vidissent, atque Mitrobarzanum cum magna manu anteire, arbitrati eum, vt primus Persas adoriretur præcedere, aut sub transfugę specie prodere Persas velle, ipsum vt hostē armis exceperunt: & cum Adathames retro terga eius cederet, cū omnibus suis paruo tempore Mitrobarzanes cæsus fuit. Dū autē per hoc prælium turbatæ apud Persas res essent, Adathamesque vltrà cum exercitu in Persas inueheretur, non ante prælio destitit, quàm Persas fudit. Eo igitur astu, cum minimè consilium ac deliberationem, in Mitrobarzani fuga distulisset, Adathames duo consecutus est, vt & socerum fugientē vlciscereturr, & de hoste victoriam reportaret.

De Hannone Carthaginensi.

Eadem penè calliditate, in Sicilia vsus est Hanno Carthaginēsis: nā cum sciret quatuor milia Gallorum equitū propter retenta aliquot mensium stipendia, decreuisse ad

Roma-

Romanos transire, quibus cum eo tempore Hanno bellū gerebat: pacatis miti oratione, aliquantisper Gallorum animis, repræsentata etiam pecuniæ parte, ordinauit, vt vnus ex ijs qui ipsius pecuniam curarent, veluti administratæ pecuniæ rationem reddere non posset, à se profugeret, atque Octacilio consuli Romano significaret, Gallos, qui cum Hannone essent in expeditionē profectos esse, temptaq; ac locū vnde abijssent, & quot essent moneret. Eos igitur incautos ac nihil tale verētes Rom. inuaserunt. Galli autē & si, dum se tuerentur, Romanorum permultos occiderunt, tamē à pluribus circumuenti, omnes ad vnum interierunt. Hanc autem tantis Gallorum impedimētis pecuniam, quam vt eos placaret dederat, magno fœnore redemittēdia haud leuia ea calliditate cōsecutus. Nā & permultos Romanos hostium, per Gallos interemit: & transfugas ad vnū vltus est: & pecuniā quā malè apud eos, qui trāsactionem moliebantur, locauerat, recuperauit.

De Eumeno Cardiano.

Cum Eumenes Cardianus in Hyberna in regionē Gabenorum concessisset, diuiso per eius regionis loca exercitu, Syriæ rex Antigonus putauit fieri posse, vt incautū adoriretur, atque prius opprimeret, quàm milites suos Eumenes coēgisset. Magnis igitur itineribus ad Eumenē Antigonus perrexit, sed ita properare nequiuit, quin Eumenes, callidi vir consilij, id ante resciret: Qui ea manu, quàm repētè potuit cogere, culmina montiū insedit, vt à lōgè cōspectus, quàm multos secū haberet, prorsus discerni nō posset. Nocte igitur pro more accēsis ignibus in castris, totius exercitus speciē præbuit, opinionēq; Antigono, quod ad improuisum ducē veniisset, ademit. Itaq; Antigonus, se haud ad incautū profecturū arbitratus, retro cedēdū esse, duxit. Interim verò Eumenes reliquo coacto exercitu, cauit, ne vltra eum Antigonus imparatum offendere posset.

De Alcibiade Athenienſi.

Illa quoq; magna calliditas fuit, qua Alcibiades cum Bizantiū obsideret vsus est: nā cū vi capere vrbē se non posse videret, famā sparsit, ab Atheniēsibus se reuocatū esse, atque toto exercitu in classē recepto, vela dare cœpit, aliquā-

tumque spacij iam emensus, nocte in terram militum magnam manum exposuit: Atque ipse mane Bizantium reuersus, oppugnare vrbem aggressus est, cum Bizantij, ad maritimam vrbis partem, armati occurrerent, vt inde Athenienſium classem auerterent: hi quos in terram exposuerat, occultis itineribus profecti, ante vrbem ingressi sunt, quã à ciuibus exaudirentur.

De Epaminunda Thebano.

Non minus etiam laudis merita est, ea ratio, quam Epaminundas aduersus Lacedæmonios iniuit, cũ vtraq; acies, solũ expectaret confligendi signũ. Ipse enim, ante aciem magnum equorum numerũ excurrere iussit, ita vt concitato ingenti puluere, hostiũ cõspectus adimeretur. Per id tẽpus in acie sua, ordines immutauit, ita, vt cũ postea cõfligeretur, ipse à tergo in hostes, qui id minimè aduerterũt, impetum faceret: quæ res ei victoriam facillimè peperit.

De Titula Serua & de Romanis.

Inter tam insignia virorum exempla, minimè omittenda nobis videtur serua, cum in ea non minus ingenij, atq; virtutis, quàm in alijs ostensum sit. Latini populi cũ vrbẽ Romã Gallico incẽdio adhuc fumantẽ inspicerẽt, nondũ pristinas vires recuperasse, à populo Rom. aliquot virgines petierunt: quæ res, quanquã acerbitatis plurimũ haberet, tamen cũ propter recentem cladem debilitati, palã negare eã nõ auderent, in magna animi molestia versabantur. Id cum Titula accepisset, & si serua erat, egit tamen, vt eius consilio ipsa & nonnullæ eiusdẽ ordinis mulieres matronarum vestitu exornarentur, atque pro matronis eas ad Latinos Romani mitterent. Latini igitur cũ diẽ inter festos ludos poculaq; peregisſent, ac nocte cibo vinoq; grauati, magno somno premerentur, Titula iuxta ordinem cum Romanis ante compositum, in syluestrem ficũ conscendit, tectaq; veste, ne Latini eã agnoscerent, ter lumine sublato Romanis innuit, nullas excubias ab hoste agi. Itaq; Romani magno clamore in eos impetu facto, statim Latinos omnes fuderunt, cædendiq; hostes tunc finis impositus, cum defessos cẽdis magnitudine Romanos satietas cœpit. Ne autem Titulæ calliditas, ad seruandum patriæ decus ostensa, fine præ-

premio ac laude sua relinqueretur, Romani statuerunt, vt quotannis, seruæ, eo die matronali cultu exornarentur, atque eis matronæ ministrarent, illiusque diei festa, à caprifico nominarentur.

De Iudith, ac Bethulianis.

Nónne Iudith se quoq; dignam fecit, vt cuius mirũ consilium magnaque calliditas, qua patriæ suæ salutem pepe-rit, silentio non prætereatur? obsessa enim Bethulia, in qua ipsa nata erat, ab Holoferne Assyrij regis Cambysis duce, cũ iublata resistẽdi spe, omnia desperationis plena essent, nónne ipsa, re cũ ciuitatis principibus communicata, ausa est, & mulier, & formosa vna tantũ comitata ancilla, hostiũ castra petere? atque ipsum exercitus ducẽ adire, tanquã ad eum facilius & Bethulianos & reliquos Iudæos, vincẽdi rationem afferret? In eum enim sui amorẽ hostiũ ducem inflammauit, vt vnà ducem ipsum, in potestate haberet, & ei defecto capite, illæso matronali pudore, patriam Bethuliã totamque Iudæam audaci vafroque consilio suo liberaret.

De Artemisia Cariæ regina.

Sexus atq; viduitatis similitudo, vna cum singulari virtute ager, vt post Iudith Artemisia Cariæ regina ponatur: hæc in vrbe Halicarnasso, à Rhodijs obsessa, nouo astu, & ab obsidione liberauit: & Rhodios deuicit: nam cum Halicarnassus, duos haberet portus, altero hostes ingredi, & partem vrbis capere permisit, altero autẽ portu, per occultam fossam in eum egressa, quem hostes cœperant, vbi classem nihil tale verentes, inanem reliquerãt, vt omnes maiore cõpendio prædæ operam dare in vrbe possent, ipsa totam cœpit atq; in palantes Rhodios, prædaque impeditos, impetu facto, cum noua res perterruisset, & omnes occidit. Tũ Rhodia classe militibus suis instructa, Rhodum nauigauit, nulloq; obstãte, cum exercitum ac classem quã Halicarnassum miserant, redire arbitrarentur, in terram egressa, facile Rhodũ cœpit atq; diripuit, in cuius facti memoriã duo signa ænea in foro posuit, vnum vrbis Rhodiæ, & alterum quo ipsius effigies formata erat, manum extendens, qua in fronte Rhodum stigmate notabat.

De Qu. Sertorio.

Cum

Cũ in vrbe Castulone statiua haberet. Q. Sertorius, sub Didio prætore, tribunus militum, atq; per noctem Castulonẽses in vrbe Gyrisænos hostes accepisset, vna in Sertorianos inuehi, atq; eos occidere cœperunt. Sertorius exaudito clamore, clã cũ paucis ab vrbe egressus, haud longè à porta cõstitit, & fugientes suos colligere, atq; in aciẽ ordinare cœpit: cũ autẽ iam satis magnam manum coactam videret, eadẽ porta, qua hostes iuerant, in vrbem regressus, hostes inuenit, in diuersa loca sparsos, vni prædæ intẽtos: itaque paruo temporis spacio eos fudit, atq; ipsorũ arma induit, instructa per hunc modum acie, sub Gyrisænorũ specie. Gyrisam contendit, vbi à nihil tale suspicantibus, cũ suos esse, qui redirent arbitrarentur, portarum fores apertę sunt: itaq; vrbẽ cœpit, totãq; diripuit, vt hostib⁹ quod Castulone malũ dederant, dupliciter ac benè cumulate referret.

De Hannibale Carthaginensi.

Quis satis pro rei magnitudine Hannibalis calliditatem narrare ac mirari poterit? cũ saltum Cassinatẽ petere se putans, vt illic cõmeatus ac pabulationẽ copiosus haberet, per ducum errorem, Casilinum se deductum inuenit: vbi propter loci iniquitatem, ac simul sterilitatem, infesis à Fabio mõtibus, breui cum exercitu periturus videbatur, quia vallis depressa, atq; altis montibus obsessa, in quibus Fabius cum exercitu confederat, vno tantum aditu, per Vulturni cursum ad mare patebat. Nónne supra humanum ingenium euadendi inde, quam iniuit Hannibal ratio fuit? quis enim putasset, alligatis stramentis ad boum cornua, incensisq;, Romanos milites, qui fauces eius vallis insidebant, ita terreri posse, vt locum desererent? atque ipsum Fabium Hannibalis ante dolis inuictũ, tunc hoc ludibrio capi, ita vt inde egrediũdi libera Hannibali facultas relinqueretur: hac igitur calliditate, qui spẽ amisserat armis inde se emittẽdi, nullo effuso sanguine, ne tẽtata q̃dẽ pugna, liberè euasit.

De eodem.

Nouo etiam astu, cum Antiocho vsus est, cum nauali prælio docuit, vt plenas serpentibus vrnas, in hostiũ naues demitteret, confusos enim serpentium aspectu, terroreq; simul hostes statim superauit.

De

De Scipione Africano superiore.

Scipio quoq; nónne artibus suis Carthaginenses in Africa cœpit: nam cum aduersus eum Asdrubal & Syphax, agentes exercitus duxissent, sub prætextu tractandæ pacis, sæpius ad Syphacis castra oratores mittendo, pro seruis tribunos cum eis delegabat, vt Syphacis castra, atq; eorum formam diligentius specularentur: quæ posteaquã vt erant satis intellexit, Vticã se proficisci simulans, nocte clàm in insidijs aliquot cohortibus, inter duo castra positis, curauit, vt ignis in Syphacis castris clàm inijceretur: in quibus, quoniam tabernacula stramentis, frondibus atque cannis confecta erant, quę nimijs caloribus in ea regiõe facilè aruerant, paruo temporis spacio, incendiũ castra penè tota peruasit. Barbari autem cum arbitrarentur non dolo, sed fortè excitatum esse incendium, inordinatim, inermesq; ad extinguendũ ignem concurrebant, quo tẽpore adortus eos Scipio, in tanta perturbatione facilè deleuit, ex alijs quoque castris, Afri, qui conspecto igne auditoque clamore ad opem ferendam armati inermesque aduolabant, cum in eos incidebant, quos inter vtraq; castra Scipio in insidijs posuerat, aut occidebantur aut capiebantur. Ignis igitur astu inuẽto, duos Scipio præpotentes exercitus, qui armis atque interdiu multis rationibus, vinci non potuissent, paruo temporis spacio, nocturno incendio, deleuit.

De Gallis Boijs.

Galli quoque Boij, in sylua Litana, nónne astu Lucium Posthumium consulem designatum, cũ omni exercitu interemerunt? Serra enim arborum magna parte, in inferiori parte desecta, ita tamen vt stare possent. Posteaquam viderunt exercitum Romanum, totum in syluam esse ingressum, deturbatis extremis arboribus, in eas quæ interius in sylua erant arborum ipsarũ, casu, nullo ab hoste stricto gladio, exercitus totus detritus est.

De Cominio Atrebatensi.

Qua arte Boij Romanos vicerunt, ea ad se seruandũ Cominius Atrebas vsus fuit. Nam cum à Cæsare superatus, in Britanniam profugeret, & acriter eum Cæsar insequereretur, sed adhuc in alto esset, Cominius cum iam terram attigisset,

gisset, refluēte Oceano destitutus, vt mala dissimularet, in quæ coniectum se videbat, vela alta semper tenuit. Itaque Cæsar, qui vela & non fundum in quo Cominius esset, respiciebat, arbitratus eum fœlicibus ventis agi, quia iam assequi eum posse desperabat, retrò nauigationem suam conuertit.

RECENTIORA.

De Grimoaldo Longobardorum rege.

Sapiens Lysandri dictū fuit, monentis, vt, Vbi leonis deesset pellis, illic vulpina assuerētur: hoc plurimum Grimoaldo Longobardorum regi profuit, qui cum Beneuentanorum dux esset, Arithperti regnū spoliatis eius liberis inuaserat: hic cum sciret, ingenti se peti exercitu, è Gallia à Clodoueo rege misso, castra deseruit, vino rerumq; omniū copia referta. Ea autē ab hostibus occupata, nō fidem solū Grimoaldi timoris fecerunt, verumetiam materiam dederunt, vt neglecto hoste, liberius vino ciboq; indulgerent, atque in excubijs militarē disciplinā remitterent. Noctu igitur Grimoaldus vino somnoq; grauatos adortus, facilè omnes fudit atque deleuit.

De Fredegunda regina Gallorum.

Gallorum regina Fredegūda, virum Chilpericum per adulterum Landericum occidi curarāt, atque simul cū adultero Galliarum regnum administrabat: ei bellum intulerat Childebertus Austrasiæ rex, ingenti Longobardorum exercitu adiutus: cui audax regina, cum impubere filio Lothario, atq; adultero, cū magno ipso quoq; exercitu obuiā prodijt: cum non longè à Bruniaco (id oppidum est in ea Galliæ parte, quam nunc vulgo Campaniam dicunt) hostilibus castris propinqua esset, vt improuisa hostem adoriretur, calliditate mira vsa est. Nam arborum ramos, haud paucos, frondosos præparari iussit, quos quadruplici ordine ante agmen præmisit, atq; inter eos tintinnabula quędā immiscuit: quæ cum sensim procederent, speciem armenti, in sylua depascentis prębuere. Syluam in qua armenta agerent hostes rati esse (neq; enim quia nondū certa lux erat discerni fraus poterat) castris eorum Fredegunda prīusquā hostes armarentur, atq; prodire in aciē possent, appropinquauit.

quauit. Inermes igitur, atq; nihil tale verentes adorta fuit, atq; in fugam compulit: in quo sagax mulier clarè ostē dit, fœmineum ingenium, non minus ad omnia mala prōptum ac callidum esse, quàm ad bona virile soleat esse.

De Dominguello Hispano Mimo.

Muliebri calliditati, quid annectere melius possumus, quàm Mimi astum? is nomine Dominguellus, vir erat vafro ingenio, vt eius ordinis plerique solent. Cum autem sciret Lupū Arenē equitē, Zorithæ arcem furtim Alphonso octa uo Castulonensi regi occupasse, atq; eius loci præsidio regionem propinquam infestā facere, & ob eā rē, Lupum regi vehementer esse inuisum, veluti alius apud Darium Zopyrus Alphonso clàm ostendit se rationem iniuisse, recipiendæ Zorithæ arcis, modo equitem inueniret, qui ficta cō tentione, vulnus sibi in os inferri pateretur: A rege requisitus Petrus Didacus, coram Alphonso cū Dominguello verbis contēdere cœpit, ac Lupum proditionis infamia criminari, Dominguellus primò humanè tueri Lupum, atque hominem excusare: sed cum acerbius eum Petrus vrgeret, Dominguellus stricto gladio, os Petri percussit, statimque ad Lupum Zoritham profugit: Homini narrat quo modo Petrum coram Alphonso, famam eius lacerantem vulnerâsit, cum etiam per alios, de eo Petrus esset certior factus, adeò Mimo blandiri, eum in delitijs habere cœpit, vt vnus ante alios arci præficeretur. Per hunc modum, cum se insinuasset Dominguellus, pro occasionem Lupum occidit, atque à muris se demisit, vt cum eius rei nuncio ad Alphonsum aduolaret, haud multo pòst Lupi nepos secutus, Zorithæ arcem Alphonso restituit.

De Alardo equite prouinciæ Narbonensis, & Carolo primo Neapolitano rege.

Possidebat Carolus primus Neapolitanum regnum, atque Siciliā à Roma. Pontifice datam, cum vtranque Manfredo Federici filio, Pontifex ademisset. In ea regna, cū ius sibi esse putaret, Conradinus secundus Federici nepos, atq; in Italiā ingenti exercitu traiecisset, vbi Cæparano in regni primis limitibus appropinquauit, vt cū Carolo manū cōsereret, Alardi iā grādis natu, equitis prouincię Narbonē-

sis

sis accolæ consilio, qui bellicæ artis peritissimus erat, Carolus cum exercitu collem insedit, magnamque equitum alam, in valle in insidijs posuit, in qua cũ regijs signis rex ipse erat, prælium inire alium iussit, regi ipsi persimilem, regio ornatu insignem, penes quem aliud erat regium vexillum. Hæc manus, paruo tempore fusa est, & captum vexillum regium, atq; is occisus, qui se regem ostendebat, fidẽ faciebant toto eo bello, penes Germanos victoriam existere. Itaq; iam palantes prædæq;, & non prælio intẽti, ordines deseruerant, cum Carolus ex insidijs repentè consurgens, cum alia recentium militum manu, cum nouo fulgentiq; signo, cum præterea simul ingens tubarum ederetur clangor, & terribilis tolleretur victorum clamor, attonitos nouo casu, defessosq; iam hostes inuasit, fudit, & deleuit.

De eodem Carolo.

Nõ minor etiam illa fuit calliditas, qua Matroniũ arcem munitissimã Pisanis ademit, ac Florẽtino populo tradidit: nã cũ impeditissimis paludibus circũsepta, adiri nõ posset, finxit se, per cuniculos quos effodere cœperat, ad arcis muros penetrare velle, & vt rei fidẽ faceret, à locis quæ effodiebat rudera, tanquã diruti muri, aliũde illuc aduecta, vt deductæ ex cuniculis materiæ speciẽ præberent, in tumulo vt spectari à lõgè posset collocabat. Ea re, qui in arcis præsidio erãt rudes homines, nihil arbitrati, q̃ pauludib. ad arcẽ appropinquare Carol⁹ ꝓhiberetur, ceu iã eo penetrasset, attoniti, quib. voluit Carol⁹ cõditionib⁹, deditionẽ fecerũt.

De Cane Scaligero.

Plurima laude digna atq; permagni est momenti calliditas, quæ timore non perturbatur: nã id perrarũ est, atque in paucis, præsertim militaribus viris inspicitur: idcircò magna laude dignus est Canis Scaliger, qui Veronæ atq; Tarui sij principatũ obtinebat. Nã cum discubiturus esset, atroci nuncio perculsus, Patauinos magno exercitu, in prima Taruisinorum tecta ingressos esse, magnoq; in discrimine vrbem illam versari: ea re minimè territus, statim occurrendi periculo salutare consiliũ cœpit, abiecta prandij cura vestẽ mutauit, atq; in rusticanũ iumentũ cõscendit, vnoq; solo ac fideli comite, magna celeritate Taruisiũ peruenit, Illic

arma

ma induit, atq; in bellatore equo, ante se hostibus ostentat, quàm venturum eum suspicarētur: fretus id fore, quod accidit, vt hostes ipso conspecto, venisse maiorem numerum aut proditionem duplici fraude molitam arbitrarentur. Itaque territi, erepta victoriæ spe, cuius se iam compotes putabant, præterea nouo homine, terrore perturbatis ordinibus, cùm in eos Canis inuecheretur, fusi sunt, corūq; Duces à Cane capti.

De Eduardo rege Britannico.

Philippus Gallorum rex, cognomento Pulcher, cū grauem cladem illatam à Belgarum parte, illa quæ nunc sub Flamingorum nomine censetur, quo tempore ab eo rebellauerant vlcisci decreuisset, ingentem exercitum coēgerat, tumque rebellibus populis appropinquauerat, Vitriacum oppidum obsidentibus, minimeque incerta de eo hoste victoria fore videbatur, cùm Eduardus Britānicus rex, cui ea res permolesta erat, veluti Themistocles, Xerxē verbis, inde Philippum pellere cogitauit, idque vt cogitarat ei succedit. Nam cum vxore, quæ Philippi soror erat, graui se molestia affectum ostendit, ob ea mala, quæ scire se Philippo imminere dicebat: quare diù à coniuge rogatus, vt de re ageret vellet rem, dixit: Gallos principes multos coniurasse, cum Philippus prælium aduersus rebelles inire cœpisset, eum deserere: de quo Philippus à sorore monitus, cùm veram esse eam rem arbitraretur, incassum facta ingēti impensa, desudatisque magnis laboribus, vt Eduardus cupiebat, retro in fines suos redijt.

De Prouinciano Syluano ciue Senensi.

Cum Etruscæ vrbes, magno suo damno, per Guelsam atque Gibellinam factiones se diuisissent, Florentię rerum Guelfi potiebantur, Gibellini autem Senas habebant, qui post multas preces tandem, à Manfredo Neapolitano rege, mille quingentorumque equitum vsum, in tres menses tantùm subsidio acceperant: his auxilijs incerti, per id tempus quid potissimum agerent, excurrerēntne per ditionis Florentiæ loca, prædamque inde agerent, id quod eis neq; satis laudis, neque commodi posse afferre videbatur: an munita loca atque vrbes oppugnarent? ex quo temporis

anguſtiæ, vt aliquid magni lætiq́ ſucceſſus ſperarent, nõ pátiebantur. Prouincianus Siluanus, vir magnæ inter Senenſes exiſtimationis, cogitauit optimum fore, ſi dũ apud Senenſes Manfredi regis equitatus eſſet, cum hoſtibus prælio decertarent, quod minimè dubia fore victoria videbatur: cui rei vt viam aperiret, duos Senenſes ciues, clàm miſit Florentiam, qui magiſtratui Florentino nunciarent, atque ſimul fictas quorundam ciuium Senenſium literas, in eandem ſententiam perferrent: ſcilicet, Vrbi totæ Senen ſi graue bellum illud eſſe, quod cum populo Florentino gereretur, cupereq́; ei finem imponi, cuius culpam nemini dubium erat, penes Prouincianum eſſe. Itaq; ſi eo tempore quoniam Germani equites Senas prædatum egreſſuri videbãtur, Florentini ciues, Senis cum copijs ſuis appropinquare vellent, permultos Senenſes, Florentinarum copiarum præſidio tectos, arma in vrbe ſumpturos eſſe, atq; eis Prouincianum vinctum tradituros. Arbitrati vera Florentini eſſe, quæ nunciabantur de Senenſium ciuium aduerſus Prouincianum animo, item de Germanorum equitũ profectione, qui egredi ſimulabant, cum exercitu Senis appropinquarunt. Illic cum exſpectarent, vt populus arreptis armis tumultuaretur, ac Prouinciano manus inijceret, repentè Germani equites erumpunt, eosq́; populus armatus eſt ſecutus, hi in Florentinas copias, nihil tale verentes, tanto impetu inuecti ſunt, vt paruo momento, turbatis Florentinorum ordinibus, omnes funderent, fugarentq́;: quib. eo prælio ſuperatis, Gibellina facto in vrbem Florentiam reuerſa, locum ſuum obtinuit.

De Guidone comite Montisferrati.

Fuit Guido Montis ferrati comes, vir procul dubiò prudens, duxq́ue ſummę calliditatis, quẽadmodum viſum eſt: cùm in vrbe Foroliuio obſeſſus à Guidone Appia Komandiolæ comitæ, Martini quarti Pontificis auſpicio operam dedit, vt è ſuorum numero quidam, cum hoſte de tradẽda vrbe paciſcerentur. Cùm autem hoſtium partẽ ingreſſam eſſe in vrbem videret, fretus, id quod erat, non omnes, quia non omninò fidem haberent ingreſſuros eſſe, ipſe per auerſam ab hoſte portam, ſilentio egreſſus, eos qui foris manſe-

rant

nant adortus, quia nihil tale verebantur, & suorum qui in urbem iuerant exaudito clamore, captam vrbem, & victoriam minimè dubiam esse rebantur, pugna minimè opus esse putabant, paruo momento omnes fudit atque deuicit. Inde in vrbem regressus impetum in eos fecit, qui in vrbē erant ingressi. Qui cum palantes per vrbem sparsi, vni tantum prædæ essent intenti, haud difficulter, vel occidit, vel cepit omnes. Hoc igitur astu vsus, vt hostes diuideret, victoria potitus est, quib. si coniuncti mansissent, par nullo modo esse potuisset.

De Friderico Aragonio rege Siciliæ

Pari penè calliditate vsus est Fridericus Aragonius Siciliæ rex, cum in singula momenta exspectaret, vt Robertus Neapolitanus rex, hostis in Siciliam descenderet, neque plus exploratum haberet, quo in loco descensionem esset facturus, quā si viribus ei par esse posset. Itaque Drepanitanos quosdam ciues coēgit, clàm nuncios obsidesq; ad Robertum mittere, hortantes eum, vt Drepanum primo descenderet vellet, affirmātes si ea potitus esset vrbe, nullo cum laborem insula tota potiturum. Quib. cum Robertus crederet, & diù eū verbis Drepanitani traxissent, quia vrbs natura, manuque munita erat: & præterea præsidiū, in ea validum Fridericus imposuerat, quanquam inuitus, imminente hyeme Robertus pacem inire cum Friderico coactus est, atque obsides reddere, quia amissa æstate, nihil erat quod per hyemē illic sperare posset.

De Melche Chelchemel Sultano Aegyptio.

Ab Italorum militari calliditate, vt varietas fastidiū tollat, ad Barbaros transibimus. Honorio tertio Pontifice, Ioannes Hierosolymarum, item Andreas Vngariæ reges, cum permultis alijs Germanis atque Gallis principibus in Aegyptum profecti, Carras vrbem obsederant, neque tamen vlla ratione vnquàm Melche Chelchemel Sultanum, vt in certamē cum eis descēderet, pellicere potuerūt: quin is pacis mētione iniecta, magno se in timore versari ostendebat: adeò aūt rē traxit, vt Christianos Duces, in id tēpus deduceret, quò adauctus annis Nilus, totā regionē inundare solet, q̄ vt ags magis infesta faceret ipse aggeres

quibus accolæ amnem coercere solent, intercidit. Itaq; tecta aquis vniuersa regione, Christianus exercitus grauiter laborare corruptis commeatibus, atque omni pabulationis materia cœpit: cum omnes ademptæ essent viæ eius regionis ignaris, nisi quæ per aggeres ducerent, quæ etiã duplici incommodo impediebantur, & quod erant angustissimæ, & quod Sultanus in ipso tumultu opportunis locis eas castellis muniuerat. Quamobrem, eo astu Christiani principes ac milites, veluti piscis in nassa circumuẽti, cum salutis spem omnem amisissent, pacem quam dare Sultanus voluit, acceperunt.

De Tartaris.

Pari calliditate, diuersa tamen ratione, Tartari (hij enim Scythæ sunt) regnante Bela quarto Vngariæ rege, in Pannoniam profecti, vt Danubium traijcere possent vsi fuerunt: nam cum glacies Danubium amnem astrinxisset, cuius ripas Vngariæ accolæ armati obsidebant, Tartaros lateret, an tutò exercitus super glaciẽ permeare posset, hanc ad tentandam glaciei firmitatem iniuerunt rationem: motis à Danubio castris, tabernacula, vt erant magna, cum aliarum rerum, tum in primis boum atque equorum copia referta reliquerunt: ad quam prædam, inuitati Vngari cũ venissent, & Tartarorum veriti insidias morari minimè ausi, omnes simul greges & armenta per concretum gelu amnem abduxissent, Tartari per exploratores facti certiores, Vngarorum experimento exercitui sustinendo glaciẽ sufficere, nocte proxima Danubium traiecerunt, atque non ablata modo recuperarunt, verum præda quoque à tota regione abacta, regionis ipsius loca omnia, atque in eis Strigonium vrbem ferro igneq; fœdarunt.

De Petro Roseo Venetorum militari Duce.

Ad Italos iterum reuersi, Petri Rosei militaris Venetorum Ducis astum, commemorabimus. Is Venetorum auspicijs, Boguolentæ in Patauino agro arma intulerat, vnaque erat Marsilius Carrarienſis: cum in eum Mastinus Scaliger exercitum ingentem duxisset, Petroq; necessitas iniecta esset, inde egrediundi, quòd eo in loco, commeatuum difficultate premebatur: veritus ne in via cum hoste confligere coge-

ageretur, quam rem viribus inferior, nequaquam proba-
ret, calliditate aduersus validiorem vti cogitauit: nã cum
hostes ad eundem amnem, apud quem ipsius quoque Pe-
tri posita erant castra, sed inferiore amnis parte tenderent,
neque aliunde aquationis facultatem, quàm ex eo amne
haberent, Gualdo herba amnem infecit, ita vt homines iu-
mentaque propter amaritudinem eius, aquas gustare nol-
lent. Ea re, coactis mutare castra hostibus, qui congredi &
dimicare cum eis non audebat, astu inde nullis armis vsus
in rei suæ commoditate depulit.

De Brachio Perusino militari Duce.

Magno itẽ astu Andreas Perusinus, qui postea à cogno-
mine familiæ Brachius fuit nuncupatus est vsus: cũ à Ca-
merte vrbe depulsis Caroli Malatestæ copijs, quæ se Fa-
brianum postea receperunt, ipse cum parte tantum copia-
rum sequeretur, reliquo pecorum præda captiuisq; atque
alijs rebus impedito exercitu: nam cum in eo hostes bene
gerendæ rei occasionem viderẽt, si ipsi Appenini iuga prio
res occupassent, & Brachius quoque ne id pateretur, è re
sua esse optimè intelligeret, cum lassos iam equos, vltra
vel calcaribus vel alia vi vrgere non posset, ex captiuo pe-
core, aliquot equas delegit, atq; eas agmen præcedere iuss-
it, quarum amor ac cupido, equis adeò acres adegit stimu
los, vt qui ante calcaribus nullis satis impelli poterant,
tunc freno vix cohiberi ac retineri possent: per eũ modum
cum prior Brachius montem occupasset, victi hostes, Bra-
chij astu, cum eius lædendi spem amisissent, retrò vnde ve
nerant cesserunt.

De eodem.

Non minor quoque illa fuit calliditas, qua Turres inter
Auersam vrbem ac Capuam positas occupauit, quo tem-
pore aduersus Martinum quartũ Pontificem, ac Sfortiam
eius militarem ducem, ipse Ioannę secundæ Neapolitanæ
reginæ auspicijs, bellum gerebat: Audacem enim iuuenem,
fœmineo habitu ornauit, quem ad Turres ipsas, veluti de-
uium & errantem iter facere iussit, ab ijs, qui in turrium
præsidio erant captus, dum tanquàm fœmina esset nõ ob-
seruatur, in turrem conscendit, ad seque sublatis scalis, ijs

annuit, qui cum eo à Brachio missi, haud longè in infidijs rei exitum morabantur. Per eum igitur Brachius Turribus potitus, excursione totam regionem infestam reddidit, magnamque inde prædam abegit.

De Friderico Montisferrati comite & Vrbini Duce.

Astutia singulari vsus est Fridericus Montisferrati comes, cum Verruculæ arcem, contra Sigismundum Malatestam Ariminensem principem obsideret. Fictas enim literas, ita vt omni ex parte Sigismundi viderentur esse, noctu per ignotum optimè eruditum hominem, ad præsidij præfectum in arcem misit, monens se auxiliares copias mittere paratum, si ipsi opus esse videretur. Cum autem ipse verum Sigismundi nuncium ac literas arbitratus, respondisset accepturum, Fridericus militibus suis Sigismundi vesti tu ornatis, omnique alia re necessaria compositis, ea nocte missis, arcem in potestatem suam redegit.

De Friderico secundo Imperatore.

Nominis similitudo, me ad Fridericum secundum Imperatorem trahit, qui cum necessarijs de rebus, ab Ethruria in Apuliam discessurus esset, & multa eum mouerent, vt Saminiatensem populum ad rebellionem spectare arbitraretur: misit ad eos, qui nunciarent se captiuos quos habebat, atque thesaurum Saminiatum mittere velle, & propterea hortari, vt fideliter ea, vsque ad eius reditum custodire vellent. Populus eo insperato commodo lætus misit, qui renunciarent ex fide Saminiatenses ea obseruaturos. Fridericus igitur armis pro pecunia onustis aliquot iumentis, tectisque vt ei mos erat, cum pecuniã mitteret, item cathenis iniectis quibusdam ex militum suorum numero fortib. viris, atque ante eos missis nonnullis captiuis, inter quos fuit Petrus Vinea (cui illic postea oculos defodi iussit) Saminiatensis populus arbitratus veros esse captiuos, quia vincula inspexerat, cum sarcinis omnes in oppidum accepit. Illi autem postea arreptis armis, statim occupato oppido, Friderico defectionis suspitionem quam conceperat, ademit.

De Francisco Carmaniola Comite ac militari Duce.

Cum Franciscus Carmaniola Venetorũ militaris dux, aduer-

uersus Mediolanenſis Ducis Philippi copias, apud vicũ Machalodium in Brixiano agro caſtra poſuiſſet, nec lõgè ab eo loco eſsent Philippi copiarum Duces, Carolus Malateſta, Nicolaus Piccininus, Franciſcus Sfortia, atque Angelus Pergulanus: accidit vt Carmaniolæ eques quidã, cum uno hoſtium equitum contentionem haberet, eam rẽ Carmaniola arbitratus eſt, poſse occaſionem alicuius rei bene gerendæ præbere. Itaque ita verbis eam reduxit, vt locum inter vtraque caſtra deligerent, in quo ſingulari certamine ab eis depugnaretur. Euenit autem, id quod Carmaniola fore præuiderat, vt è Ducis Philippi caſtris, maior militũ pars, inermis cum inſidias abeſse putaret, decertantes perduelles ſpectatum prodiret. Itaque ipſe potiorẽ exercitus partem, armatam in tabernaculis manere iuſsit, & cum hoſtes ſpectaculo intentos conſpexit, in equos conſcendere armatos milites ſuos iuſsit, atque pleno curſu in hoſtes tendere, qui inermes inordinatique priuſquàm arma induerent, aut in aciem ad ordines ſuos ire poſsent, fuſi fugatique ſunt. Fugientes autem ipſe inſecutus, cum eis in Mediolanenſia caſtra ſe immiſcet: ficto ſingulari certamine, quatuor inſignibus Philippi ducibus ſuperatis.

De Franciſco Sfortia.

Arte atque aſtu ſuo, non multò poſt à Franciſco Sfortia Philippi copiarum Duce captus eſt Carmaniola: nam cum Franciſcus Sfortia ſciret, in Pado Venetos plura habere eius generis nauigia, quæ in bellicum vſum inſtructa erant, ipſe noctu cum magno equitum fortium virorũ numero, in Philippi naues conſcendit, & ne idem ab Carmaniola ageretur, pro transfugis quoſdam è peditatu ſuo misit, qui Carmaniolæ nunciarent, Sfortianos in armis eſse, vt eum illo ipſo tempore adorirentur. Itaque ne ſuos Carmaniola diuideret, opem nullam claſsi Venetæ miſit, & ob eam rem prælio victa claſsis, ex magna parte incenſa atque capta fuit.

De eodem.

In Piceno etiam mira calliditate effecit, vt numero longè inferior ab hoſte victoriam referret. Nam cum manum cum Franciſco Nicolai Piccinini filio conſereret atque

que omnibus suis equitum turmis in prælium missis, Picinino abhuc aliquod superessent, veritus, ne si Fraciscus nosset, ei amplius nihil esse militum in subsidijs relictum, his turmis quas seruauerat, auctis suorum qui decertabant viribus, Sfortianos ita præmeret, vt terga dare cogerentur: nouo astu occurrendum duxit. Coëgit enim omnes militares pueros, calonesq; ac lixas, & in perrara sylua ita condidit, vt inspici quidem, sed nõ ex toto discerni possent, atq; in eorum fronte illos quib. Galeæ essent statuit, vt speciem magni equitatus præberent. Quare cum ob eam rem Picininus quantum poterat non eniteretur, & ipsas turmas quæ prælium nondum iniuerant, veluti in subsidijs retineret, illa sola re, qui alioquin victor erat, in eo prælio superatus ac captus fuit.

De Federico Marrabotto Genuensi.

Cum vrbe Genua ciuilibus bellis lacerata Guelphos, qui in vrbe rerum potiebãtur, Gibellini exules infestarent Antonius Auria, quatuordecim triremibus, Federicum Marabottum Guelfum, qui septem tãtum habebat, vehementer insectabatur. Cum autem nox superueniisset, neq; iam longè à Tiro abesset, Marabottus, qui iam penè omnem salutis spem amiserat, nouo astu salutem sibi peperit: nam cum maritimus in classe mos esset, vt per noctem solus triremium primarius dux, in puppi sua lumen deferret apertum, ob eam rem, vt aliæ naues eum asequi scirent: ipse cum ante suos commonuisset, ea nocte se ad Maraliam nauigaturum esse, lumen in laterna clausum, clypeo tãquàm cimbæ alligauit, atque in mare constituit, triremisque suæ consuetum lumen extinxit. Cum autem, vt maris natura est, vndæ clypeum cum laterna ad terram eiecissent, hostes arbitrati Federicũ desperata salute, in terram triremes impegisse, mutata nauigatione, ab eo cursu, quem ante tenebant naues, ad lumen quod in laterna clypeus habebat, direxerunt, atque ita elusi Federicum amiserunt.

De Ammiano Marcellino.

Calliditate qua Federicus in mari vsus est, se in terrestri expeditiõe vsum Ammianus Marcellinus scribit: nã cum noctu insequentes Persas fugeret, atque latebrarum spes

nulla

nulla maneret, in equo se lumen deligasse ait, eumque ad dextram, qua in parte planicies erat direxit, ipse autem cū his qui cum eo erant, in læuam conuersus, ad montes cum hostium, qui lumen ad dexteram sequebantur, effugit.

De Ioanne Fulgosio.

Inter multa callidè à Genuensibus mari gesta, hoc vnum annumerabimus: Alphonsus Aragonius Siciliæ rex, in Corsica insula Bonifaciam vrbem obsidebat, cum Genuæ Thomas Fulgosius, ducatus titulum obtineret, ab eo Ioannes frater, adhuc penè adolescens, cum quatuor tantū nauibus, ad opem ferendam missus est. Cum is ad vrbem peuenire non posset, quod Alphonsi classis, simul anchoris connexa, pontibusq; inter ipsas naues iactis immobilis, ceu humi, magnis firmamentis stabilita manebat: Ioannes vt huic rei occurreret, miso vrinatore, qui supra humanā fidem, sub aqua morari consueuerat, in hostilibus nauibus anchorarum vincula desecuit, ita vt naues resolutæ, dum undis impellerentur pontes inter se factos, confusis rebus omnibus confringerent, non sine omnium qui cum Alphonso erant admiratione. Cum eos ipsius facti causa late rex, & nullis spirantibus ventis, nullaque vi tentata agitari naues conspiceret: fieri non posse arbitrati, vt viuens quispiam, sub aquis tale moliri opus posset. Itaque in Alphonsi classe, ob eam rem omnibus confusis territisque, Ioanni ad ferendam Bonifaciæ vrbi opem via patuit. Alphonsusque inde irrito conatu, discessit.

De Petro Fulgosio Genuensium Duce.

Cum Petrum Fulgosium Genuensium ducem, eodem tempore premerent externę vires Alphonsi regis, cui Aragoniæ, Siciliæ atque Neapolis regna parebant, & ciuium Genuensium pars aduersa, ac Fliscа gens cum ea coniuncta: quæ quanquàm animo discors, ea tamen in re aduersus Petrum conuenerat, apertè perspexit Petrus, fieri non posse, vt solus tantam hostium molem sustineret. Itaque quod aduersus eos armis assequi posse desperabat, militari astu atque calliditate agendum duxit. Arbitratus igitur hostes, dum extra vrbē manerent, concordes fore, eosdēq;, vt deuictum esse Petrum inspexissent, quod vnusquisque

vrbi principatum vendicare sibi niteretur, arma in seipsos conuersuros esse: id quod postea experiendo verum esse cognouit. In Genuensi arce vxorem cum liberis recepit, fratremque cum trecentis peditibus, ac viginti equitibus præsidio reliquit, ipse autē Genua, apertis vrbis ipsius portis profectus est, hostes qui præ timore fuisse Petrum arbitrabantur, sibijpsis & pugnandi metum iam ademptū esse, sublato hoste, & confirmatam victoriam ducebant. Itaque cum omnes ad priuati commodi spem studia conuertisset, statim orta inter ipsos discordia, decertare armis interse cœperunt: dum igitur ex vno exercitu, iam in multas partes diuisi, relicto primo hoste, hostes sibijpsis facti, inter se dimicarent, à suis certior factus Petrus, tertio die, postea quàm Genua abierat, ad vrbem regressus, ac suis qui in arce erant, coniunctus, hostes qui circiter decem milium numerum excedere dicebantur, inuasit, atque haūd magno temporis spacio, omnes fudit deuicitque. Astu igitur cum fugam simulauit, eos superauit, quibus stando lōgè impar viribus erat: atque apertè experiendo docuit, gerendis bellis, non minus calliditate homines quàm armis iuuari.

De Gamali pirata Turcensi.

Finem recentibus militarium virorum calliditatibus, imponet Gamalis Turca, qui cum vna tantum biremi piraticam exerceret, vi ventorum per noctem ita acriter est actus, vt diluescente die, Siciliam in conspectu haberet: illic fortè offendit Francinum Pauum Cathelanū, duarum triremium præfectum: earum altera, statim insequi Gamalim cœpit, quæ cum magna vi remorum ageretur, ita vt ab altera amplius conspici non posset, iā Gamalis biremem rostro penè attingebat. Cum igitur nautæ vela colligerent Gamalis in triremem ingenti animo profilijt, remigesque ad libertatem vocauit. Dum ergo nauales socij, in remiges quos ad rebellandum libertatis spes inuitabat, arma mouent, vt eos vinctos ad remigationem continerent, Gamalis momento triremi potitus est. A biremi autem sua, in triremem milites, quos habebat cum trāstulisset, à puppi biremem tāquàm captiuam trahebat, iussisque tubicinibus, ingenti clangore canere, ad aliam triremem dirigere cursum

sim cœpit: quæ cum Turcensem biremem cum Gamali captum arbitraretur, lætitiæ plena ceu victoriam gratulatu ri, venienti obuiam se præbebat, in qua Gamalis, vt in alte ram cum suis insilijt, atque ipsam quoque cum nihil ho stile verentem, atque incautam oppressisset, ambarum im perio potitus, in vinculis omnes ad remigariam seruitu tem posuit.

DE REPVLSA.

Caput V.

VAlerij ordinem sequentes de Repulsa scribemus: eos enarraturi, qui cum ad dignitatem magistratus pervenire contendissent, à principio repulsam passi, postea longè maiora consecuti sunt. Vt si cui in eiusmodi re, repulsam ferre per iniuriam contigerit, his exemplis animũ ad iniuriam ferendam validius componat, neque ob eam eum in posterum à bona spe deijciatur: præsertim cum in his, quos repulsa sine vllo suo crimine præsibit, repulsæ causa, aut aduersi fati atrocitas, aut competitoris potentia, atque opes plerunque fuerant, & magno compendio rependere soleant, quæ antea ademerunt. Sed vt nihil ad repulsæ corrigendam iniuriam fortuna ferat, non leue illud solamen esse debet, hominem nullius rei sibi conscium esse, propter quàm competitor anteferri deberet.

De Marcio Coriolano.

Marcius Coriolanus in vrbe Roma nobilitate insignis, rerum quas gesserat magnitudine fretus, cum consulatum peteret, satis fauentem populum habuit: sed cum eodem die peragi quæ ad comitij atque suffragiorum rationem pertinebant non possent, postridie mane, in forum magno patriciorum numero prosequente descendit. Itaque muta ta populi voluntate, qui maiorem odij sui in patricios, quã Coriolani virtutis rationem habuit, repulsam ab vniuerso populo tulit. Etenim ademptus est ei consulatus, quem Volsci populi Rom. hostes, vt exercitui suo præficerent, ob virtutem dignum duxerunt. Vnde haud multo pòst, in ingentem calamitatem coniectus, populus Romanos ei coactus est supplicare, cuius antea preces audire noluerat.

De C.

De C. Mario.

Caius Marius ſepties conſul, qui Iugurtham, qui Cimbros, qui Teutones deuicit, Romæque quodam tempore omnia arbitratu ſuo geſsit, tamen in iuuenta ambarū ædilitatum vno die repulſam tulit.

De M. Catone Iuniore.

Iunior Cato, qui Romanæ virtutis atque iuſtitiæ ſpecimen, & exemplum fuit, conſulatus repulſam tulit: atque ei Sulpitius prepoſitus eſt, nullam ob aliam rem, niſi quod eum ad reprimendam C. Cæſaris potētiā, honorem illum petere populus putabat: neque enim vidit ignara plebs à ſe cum Catonem repelleret, verum gregis cuſtodem depelli, atque eo depulſo ad lacerandum gregem lupum admitti. In eo quemadmodum in cæteris rebus. Cæſarinas blanditias quibus venenum ſuberat, potiuſquam veram ſalutis ſuæ rationem ſecutus.

RECENTIORA.

De Gabriele Condelmario.

Ad repulſas quorundam ciuium Romanorum quas ſcripſimus, nonnulla recentiorum temporum, quanquam diuerſa in re, exempla annectemus. In quibus primus à nobis ſcribetur Gabriel Condelmarius, patricius Venetus, qui à Gregorio duodecimo Pont. Senenſi eccleſiæ præfectus, à Senenſibus ciuibus reiectus eſt, & tamen idem Martino quarto, ſub Eugenij quarti nomine, in Pontificatu ſucceſsit, vniuerſæque eccleſiæ omnium conſenſu præfectus fuit, qui vnius creatus epiſcopus, ab eius populo repulſam tulerat.

De Leontio Antiocheno patriarcha.

Leontius ſacerdotio nedum repulſus, verumetiam cum eo fungeretur priuatus, haud multo poſt Antiochæ eccleſiæ patriarchatum obtinuit.

De Theodoſio Saguntino epiſcopo.

Theodoſius ſacerdotio ab Eugenio pontifice priuatus, ab eius ſucceſſore Gregorio quarto, non modo adempti ſacerdotij honorem recepit, verum Saguntinæ quoq; eccleſiæ Antiſtes deſignatur.

DENE-

DE NECESSITATE. Cap. VI.

De Babylonijs.

NE à cœpto iam ordine discedamus, de necessitate scribemus, re in humanis rebus potentissima, cuius rei cuius persæpè superato pudore, iusticiaque, qui ante alios humanis affectibus vim afferunt, semper honestam secum excusationem perferre videntur. Quis enim iure ei ad crimen illud imputarit, quod quanquam deuitare velit effugere non potest? & cui eas vires natura dedisse videtur, vt resistere ei humani affectus non valeant. Hac igitur in re, vbi de necessitate mentio facienda est, à Babylonijs ordiemur. Eorum vrbem Darius Persarum rex obsidebat, à quo defecerant, quod insitum eis à natura in ipsum erat odiū: vt autem commeatus, quos in vrbe habebant Babylonij, diutius extenderent, ex toto fœmineo sexu, cum singulas viris omnibus delegissent, reliquas, ne eis alendis illorum nutrimenta per quos vrbs defendebatur consumerent, strā gulauerunt.

De Cambysis Persarum Regis exercitu.

Non minor illa quoque necessitas fuit, qua Cambysis Persarum regis exercitus, susceptа aduersus Aethiopes expeditione, deficientibus alijs omnibus, humano generi cō suetis alimentis, milites decimabat, quorum carnibus in aliorum alimenta vteretur. Miserandum profectò atque atrox vitæ genus, comitis adempta vita, vitam suam prorogare velle: cum tamen qui eiusmodi aleretur cibo, longè eo qui decimatus fuerat, infœlicior dici posset.

De Athenienſibus.

Etsi ingens nimium dici ea necessitas debet, quæ Persas compulit, vt decimato exercitu humanis carnibus vescerentur: non minor tamen etiam illa fuit, qua Athenienses à Demetrio rege Syriæ obsessi, adeò laborabant, vt delapso mure à tecto, pater cum filio vt eum sibi quisque caperet, non verbis, verumetiam pugnis decertauit: fame ita vrgente, vt non modo immunda bestia vesci non abhorrerent, verumetiam insitum à natura affectum atque reuerentiam obliuiscerentur.

De Samaritanis.

Omnem

Omnem hactenus scriptam necessitatem illa superauit, quæ Samaritanos circumuenit, quo tempore Ioră Hiero solymarum rex rerum potiebatur, & arcta obsidione à Benadab Syriæ rege premebantur, qui alio nomine Adadus & Adeger nuncupatur. Fames enim apud eos inualuerat, vt asini caput octoginta argenteis nūmis veniret. Itaque cum Ioram vereretur, ne fame oppressi deditionem Samaritani facerent, ipse vrbem circuiendo, murorum custodiam obibat, fretus ipsius præsentia motum populum sibi à rebellione temperaturum. Cum igitur hoc munere fungeretur, audiuit in propinqua domo tumultuātium simul hominum fieri strepitum: cuius rei causam cum quæreret, egressa mulier, acerbè queri cœpit, quod ipsa cum socia muliere pepegisset, vt ambæ filiorum carne præsentem fortunam superarent, ipsaque suum interemisset, cuius cibo ipsa comesque mulier in eam horam vixissent, nunc comitem fœminam, filium abdidisse atque initam pactionē seruare nolle. O sæuam profecto nimis miserandamq; necessitatem. Quid enim aliud de te dicam? cum nullis cohibita frenis maternum affectum, vt vsque ad filiorū cædem atque vescendas eorum carnes progrederetur, sui immemorem reddidisti.

De Iudæis & Maria.

Non grauis modò, sed horroris quoque plena necessitas illa fuit, ad quam obsidione Titus Vespasianus Iudæos deduxit. Nam præter quàm, quod omni immundo cibo, quin ipso quoque humano stercore vescerentur, & quotidie per multos fames absumeret, inuenta est mulier nomine Maria, quæ filium trimum occisum, igne asaret, vt eius carnibus, quem ipsa pepererat, miserandum in modum sibi vitā prorogaret. Detectaque res est per eos, quos stimulante fame, assatarum carnium odor, ad eam traxerat. Cum autem in tanta necessitate eam deprehendissent, præ horroris magnitudine retrocesserunt, minusque graue sibi duxerunt, fame confici, & ipsam mortem obire, quàm impio sceleratoque cibo in eum morem vesci.

De Cleomene Spartanorum rege.

Non adeò sæua Lacedæmoniorum necessitas fuit: neq; enim

nim in ipsorum vitam sæuitum est, sed cum bellis attriti, non vltra mille ac quingentorum numerum explerêt, pau citas Cleomenem ipsum compulit, vt seruos ad eum numerum libertate donaret, quo nouem milia conficerentur, atque sedem seueræ nimium gentis, cui nihil erat pêsi, pro libertate vitam effundere, seruis suis communicaret.

De Carthaginensibus.

Quàm ingens etiam necessitas fuit, ad quam Carthaginenses redacti fuerunt, cum postremò Romanorum armis à Mancino consule deuicti, euersam Carthaginem viderunt: Nam ad instruendam classem, cum obsessis materia deesset, trabibus tabulisque priuatarum ædium vsi sunt. Et cum Romanis ante arma tradidissent, vt alia conficerêt, omni quod in priuato vsu erat ferramento, ad noua condenda arma consumpto, alia insuper ex auro argentoque vbi ferrum deerat, confecêre: atque vt in arcus funes comparent, cum alia deesset ratio, fœminæ comas suas in eũ vsum tradiderunt. Ad tantam Carthaginẽses necessitatem atque industriam, Romana arma, atque ipsorum, vt liberi morerentur propositum redegerunt.

De L. Antonio Consule.

Lucius Antonius consul, Antonij triũuiri frater, ab Augusto Perusiæ obsessus, in eas cõmeatuum angustias deductus est, vt cum in seruos, quod alimenti habebat, non consumere decreuisset, è quorum numero propterea, quotidie nonnulli fame conficiebantur, ne ad hostes transirent, & Lucij necessitatem detegerêt, aut desperatione acti hostes in vrbem inducerent, seruis carceres impleuit, atque illic fame eos confecit.

De Nerone Imperatore.

Quod L. Antonium, vt in alios ageret necessitas compulit, eadem Neronem, vt in se pateretur, coëgit: nam ab immensis delicijs, quibus ante vtebatur, in omni re sua immodicus, omnium odio eum premente, in serui sui domum profugit, atque illic vrgente siti, qui aureis gemmatisque vasis assueuerat, veluti nouus Diogenes, quia aliter non poterat, è caua manu poculum sibi fecit, & cum calcei deessent, atque ipsi in nudis pedibus per cannetum

nuper-

nuperrimè defectum, transeundum esset, vt occultè locum peteret in quo latere posset, magna ex parte pronus, per terram in quadrupedis speciem perrexit, atque ne acuti cánarum stipites læderent, vestem subdidit. Ad hanc necessitatem redactus est, quę olim vrbes, prouincias ac regna da re consueuerat, vt calceos in pedes non haberet, manuque pro pedibus vteretur, & deficiente vase, manum pro poculo adhiberet.

De Aquileiensibus.

Cũ Maximinus Augustus crudelitatis magnitudine diu ferendo defessum iam Senatum populumque Romanum ad defectionem compulisset, atque is ad vrbem armatus tẽ deret, Aquileiam vrbem in itinere, quod Senatui pareret, obsessam in eam necessitatẽ redegit, vt cum in arcus chordas non haberent, fœminarum suarum comis, ad illud opus vterentur: quemadmodum Romanos quoque fecisse legimus, cum à Gallis in Capitolio obsiderẽtur, qui ob eam rem Venerem caluam postea consecrarũt. Hoc idem Massilienses quoque aduersus C. Cæsarem peregerunt, & Carthaginenses cum à Mancino eorum vrbs deleta fuit, vt nuper diximus.

RECENTIORA.

De Liguribus.

Fuit etiam maxima ea necessitas, qua Italia laborauit, Imperante Iustiniano, cum Gothi Belisarium in vrbe Roma inclusissent. Eo enim tempore, cum per totam Italiam fames valida esset, in Liguribus iuuentæ sunt quædá matres filiorum carnibus vixisse, quos ante fames ipsa absumpserat.

De duabus Ariminensibus fœminis.

Eo etiam ipso tempore. Procopius Græcus scribit, duas mulieres, quæ apud Ariminum hospitatoriam cauponam exercebant, fame coactas, decem & septem homines, diuersis temporibus interemisse, qui forte seorsum apud eas hospitatum iuerant, quo tempore cubitum profecti, iam alto somno indormiebant, atque eorum carnibus sibi alimenta parasse. Quod postea vnus detexit, qui ipsis cædem peragentibus inuigilabat, à quo ambæ interfectæ fuerunt: sed iam

iam ad minus fera necessitatis exempla transeamus.

De Balduino Constantinopolitano Imperatore.

Balduinus secundus Constantinopolitanus Imperator, cum bello premeretur, quod Græci rebelles intulerant, atque pecuniæ defectu laboraret, Venetis permultas sanctorum reliquias vendidit: neque eo contentus, filium Philippum, accepta pecunia, à priuatis mercatoribus pignori obligauit, atque eum ad ipsos Venetias misit. Ipsa quoque templa plumbo, quo tecta erant spoliauit ac vendidit, vt inde pecuniam ad se tuendum conficeret.

DE IIS QVAE EX TESTAMENTIS *legitimè factis abolita sunt.*

Caput VII.

IAm nos ordo ad testamẽta trahit, legitimè facta, in quibus aliquid rescissum est, & de eis quoque, quæ cum iure rescindenda fuissent, aliquo respectu firma manserunt. Ac demum de his, qui præter communem hominum æstimationem hæredes reliquerunt. Sed de primis perpauca scribemus exempla, quod à Valerij seculo, in nostra tempora scriptor nullus existit, qui eam rem attigerit. Si autem inter recentiores aliquod exemplum cõtigit, personarũ ignobilitas, in obscuro rem reliquit, & res ipsa iudicis authoritatem potiusquam historicum requisiuit. Neque etiam Tiberium Cæsarem commemorabimus, matris Liuiæ testamentum, odio potius quam iure irritum fecisse. neq; quòd Caligula veluti ingrata: atque inualida ac nulla, iusserit esse ea testamẽta, in quibus ipse inter hæredes numeratus nõ esset. Illud etiam silentio præteribimus, quod Domitianus testamento hæres ab his scriptus, quibus liberi essent, persæpè hæreditatem repudiarat. Sed tantum iudiciaria exempla attingemus.

De Actilia Variola Romana.

Actilia Variola Romana, ab octogenario patre exhæredata, vndecimo die, postquam is nouercam ei superinduxerat, centumuirali iudicio, in paternis bonis restituta est. Rescisso testamẽto, quod libidinosus senex fecisse putabatur, nouæ vxoris illecebris, à recto sensu abalienatus.

De P. Virgilio Marone poëta.

Augustus quoque, neque id fine magna ratione, Virgilij testamentum, in ea parte seruandum non duxit, qua mã dabat, vt Aeneis, quod eam ex sententia sua nondum correxerat, combureretur. Longè enim pluris putauit, fructũ quem posteritas ex lectione consecutura erat, illius poëmatis, quo eruditionis magnitudine ac stili excellentia, nullus vsque ad eam diem carmen maius ediderat, quàm poëtæ infamiã, si quid in eo carmine superstitiosi castigatores, in melius mutandum inuenissent.

De Rusco Cepione.

Domitianus quoq; Imperator, testamenti Rusci Cepionis eam partem reuocauit, qua hæredes obligabãtur, quotannis certam pecuniam Senatoribus dare, qui Senatũ frequentarent. Eam enim donationem, ambitiosam, atq; parum vtilem iudicauit esse.

RECENTIORA.

De Ianuario sacerdote.

Ianuarius cum religioni initiaretur, apud Augustinum Hipponensem episcopum, duos filios marem ac fœminã in diuersis habebat monasterijs. Itaq; cum bona sua in paucorum vsum diuideret, partem eius pecuniæ, sub filij nomine retinuit, vt eam vsq; in maturum ætatis tempus illi reseruaret. Contigit autem vt is mortem obiret, itaque ante testamentum condidit, detexitq; pecuniam quam habebat suam esse, & vt suam monasterio relinquere. Augustinus in cuius manu monasterij administratio erat, eam pecuniã ceu fraudulentam accipere, recusauit, sed filijs testatoris tradi iussit. Affirmans quod non rectè ei posset credi, qui contra religionis professionẽ, pecuniam priuatam possederat, atq; in re dubia, satius esse filijs testatoris eam dari, qui grauiora propter eam pecuniam quàm ecclesia pati poterant. Cũ ecclesiæ longè pluris bonum nomen, quàm pecunia cũ auaritiæ nota faciendum esset. Hoc Augustini iudicio, quis nõ videat, quæ modestiæ formula religiosis viris, in parandis per legata à secularibus viris opibus proponatur.

De Aureliano Carthaginensi episcopo.

Illa quoque Aureliani Carthaginensis episcopi sanctio quanta laude digna fuit? cum per eam Carthaginensis ciuis

is testamentum recidit: cui nati sunt filij, posteaquam is seruato sibi vsu fructu dum viueret, ecclesiæ omnia bona sua dono dederat.

De Ludouico Patauino Cardinale ac Patriarcha.

Paulus secundus Pontifex, Ludouico Patauino Cardinali ac Patriarchæ, ius testandi permiserat, & tamen, quod in bona, non in impios vsos distribui iubebat, sed ob turpē causam, vnde & illi scandalū, & ecclesiæ siniſtra fama manabat, ea relinqueret, testamenti partem illam irritā fecit.

De Ludouico vndecimo Gallorum rege.

Ludouicus quoque vndecimus Gallorū rex, putatus est prodigè se nimis erga sacerdotes ac templa gessisse, is cum in postremo vitæ suæ tempore, in Gallico regno, Romæq; & alibi templis immensos redditus assignasset, atq; in pacifica possessione, eos quibus assignauerat, constituisset: cū in cæteris, decreta eius seruata maiori ex parte fuissent, in hoc, quod ad ecclesiasticas constitutiones extendebatur, ex nouo quæ sanxerat abolita fuerunt, ceu quæ nimium profu sa essent, atq; inutilia successori regnoque haberētur: quin etiam sacerdotibus ipsis parum salutaria, cum auctis opibus in Dei cultu negligentiores redderentur.

De Gotifredo Bolionio Hierosolymorum rege.

Idem quoque in Syria antea principes Christiani, qui Hierosolymas incolebant, in Gotifredi Bolionij testamento fecerunt. Nam cum is Imperio patriarchæ Hierosolymitani, Dauidis Turrem, & maiorem vrbis partem relinqueret, quippe qui ea Hierosolymitanæ ecclesiæ iuris putabat esse, quæ tamen cū ipse rectè valeret, petita concedere nunquam voluerat, Posteri exequi partem eam, ceu regno Hierosolymitano damnosam recusarunt.

DE TESTAMENTIS, QVAE FIRMA manserunt, cum causa inesset, vt rescindi deberent.

Caput VIII.

De Sabina Romana.

INter dubia testamenta, quæ firma tamen manserunt, id quod Sabina Romana egit, commemoratione dignum est. Nam cū in testamento scripsisset: Modesto seruo meo, qui vt libertas daretur, ordinaui, talem rem lego. Et cum ea

mortua scriptum nihil esset inuentum, neque testes apparerent, qui liberationis Modesti fidem aliquam facerent, Plinius secundus, inter præcipuos hæredes, voluit vt Modestus libertate donaretur, Legatumque à Sabina relictum acciperet. Sabinæ enim voluntatem, quam expressa ipsius voluntatis verba, quæ non inueniebantur, sequi satius duxit.

De Pomponia Galla.

Pomponia Gallá, Romana fœmina, exheredato filio Ausidio Curiano, hæredem Plinium secundum instituit, qui diù ab Ausidio rogatus, vt hæreditatem maternam ei relaxaret: contentus fuit, causas ab eo audire, propter quas male de se merentem filium exhæredare, mater non posset: & cum ab eo veram nullam causam in medium adduci vidisset, ipso excluso hæreditatem retinuit.

RECENTIORA.

De Ludouico Cortesio.

Inter recentia, pars illa stultè posita, In testamento Ludouici Cortesij, qua hæres iubebatur, ipsius exequias, omnium musicorum, qui in vrbe erant cantu celebrare: qui illic instrumentis suis canere, per totum exequiarum tẽpus, honesto stipendio conducti, non desinerent: longa disputatione re tractata, vt necessaria iudicata est, atque eam exequutus est hæres: quod apertè ostẽdit, nisi grauibus de causis, testatorum voluntatẽ, qualiscunque sit, ab hærede, prætereundam non esse.

De Antonio Leonino Genuensi.

Antonius Leoninus, Genuensis mercator, cum ægergraiter laboraret, seruos ac seruas qui ægro ministrabant, testamento, si quid ad pristinam salutem restitueretur, omnes libertate donauit. Quod si decedere eum contingeret, omnes in seruitute retineri iussit. Prudenter enim, ministris desiderium salutis suæ iniecit, propositaeis libertatis spe, & propterea in eius curanda valetudine, vt diligentiores essent causas auxit.

De Ludouico Arcimboldo.

Ludouicus Arcimboldus, ciuis Mediolanensis, bis aduersa valetudine correptus, testamento trecentos aureos nummos,

nos, tonsori, qui ei ministrabat, reliquit. Sed cum liberatus esset, & post aliquod tempus in valetudinem quoque incidisset, tonsor, longioris moræ, ad consequendum legatum, impatiens, veneno vitam eius petijt, atque vt munus impensa opera sua dignum acciperet, in foro fracta ceruice vitam amisit.

DE IIS QVI CONTRA COMMVnem opinionem hæredes delegerunt.

Cap. V.

De Velio Blesso.

VElius Blesus, vir consularis, Regulum præsentem, inter hæredes scripsit, quia is ægrum diligenter curare videbatur: cæterum posteaquã scriptus fuit hæres, & medicos hortaretur, vt cito Blesum conficerent, ne diutius ægritudinis molestia laboraret, ceu id Blesus persensisset, aperto post eius mortem testamento, Regulus, inter hæredes non inuentus, perfidiæ suæ pœnas luit.

De Constantio Imperatore.

In Gallia, Iulianus Cæsar, à Constantio Augusto discesserat: qui in Oriente aduersus Persas bellum gerebat: is autem audita Iuliani rebellione, cum relictis Persis in Europam ad eos compescendos motus regrederetur: in itinere morte correptus, antequam decederet, testamento Iulianũ hæredem reliquit: tanto præter omnium opinionem, quanto viuentes discordibus inter se animis fuerant.

RECENTIORA.

De Philippo Maria Mediolanensi duce.

Philippus Maria Mediolanensis dux, filiam multosque alios, è gente sua in testamento præterijt, atque Alphonsum Aragonium Siciliæ regem, non modo affinitate nulla ei coniunctum, verumetiam, aliquando grauem hostem, atque extra Italiam vatum, hæredem instituit.

DE REIS MAGNORVM CRIMINVM QVAS OB RES ABSOLVTI AVT DAMNATI FVERVNT, LIBER OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

De Critolao.



Ausarũ varietates scripturi, propter quas magnorum criminum rei vel absoluti, vel damnati fuerunt, Critolaum Græcũ, primò commemorabimus. Is cum duobus fratribus, aduersus alios tres fratres, ea cõditione certamen iniuit, vt vtri eorum vicissent, ita vel Theagetes vel Pheneates controuersiarũ ac belli, quibus ante diu inter se certauerãt, ius haberẽt: occisis tribus aduersis fratribus, singulari Critolaus animo atque industria, cum ipse duos in eo prælio amisisset fratres, victor euasit. Itaque cum domum, gloriæ plenus, in triumphi speciem rediret: oblata est ei soror, magno planctu omnia perturbans, quod inter occisos hostes, vir eius erat. Indignatus Critolaus, plus à sorore virum, quam patriam ac duos diligi fratres, qui amissi erant: illic vbi obuia facta est, gladio illo quo accinctus erat, & quo eã pepererat victoriã, sororem interemit. Haud multo pòst, ad populum is accusatus, matris precibus, quæ iam duos pro patria filiõs amiserat, eo iudicio absolutus est, omni ex parte Romanis Horatijs persimilis.

De Aristide Athenien si.

Aristides Athenienſis, non aliã ob rẽ decennij exilio mulctatus est, quàm per inuidiam, multis ægrè ferentibus, eum ob morum excellentiam cognomento Iustum appellari.

De

De Theocrito Chio.

In prælio captum Theocritum Chium, atque ad Antigonum hostem deductum, cum qui deducebant hortari, vt bono esset animo, vellent: dicebant, fore, vt cum ante Antigoni oculos præsentaretur, veniam impetraret. In tantò periculo positus, à dicterijs abstinere non potuit: itaque si ita esset, de se actum esse, dixit, siquidem alterum Antigonus tantum haberet oculum. Cuius verbi acrimonia motus Antigonus, statim eum interimi iussit, qui si linguæ temperasset, incolumitatem assecutus videbatur.

De Susanna Babylonia.

Susannam Ioachimi coniugem, in Babylone Hebræorũ iudicis, à falso adulterij iudicio ac pœna, nónne Danielis pueri verba liberarunt, cũ exclamasset, ad se nolle falsi iudicij culpã atq; innocentis sanguinis quẽ spargere Susanna peremptа volebant, vltionem pertinere?

De Quintio Cæsone.

Cæso L. Quintij Cincinnati filius, à tribunis falsò accusatus, tanquã ab eo M. Volusius vir plebeius vapulasset, atque verberibus Luciũ interemisset, etsi penè exploratũ habebatur, accusationẽ illã calumniosam esse, tamẽ, quia Cæso plebis iudicium spreuit, et citatus, iudicio adesse nunquã voluit, ob eas contentiones quibus inter Senatum ac plebem decertabatur, exilio atque ære mulctatus est.

De M. Aquilio.

Accusatus M. Aquilius repetundarum, id est parum syncerè pecuniam publicam tractasse, cum iam in eo esset, vt damnaretur, Marcus Antonius orator, qui eius causam defendebat, aperta ipsius tunica, iudicibus ac populo cicatrices ostendit eorum vulnerum, quæ in pectore pro patria exceperat, quibus moti iudices statim eum absoluerunt.

De Demetrio Philippi Macedonum regis filio.

Romam profecti erant ciuitatum Græciæ legati, vt iniurias quererentur, quas Philippus Macedonum rex inferebat, & cum in Senatu de ea re ageretur inter Philippi filiũ Demetriũ, atq; oratores, quia Demetrius nõ modo argumẽ-

ta defensionis, aduersus tam multa crimina, quæ verè patri obijciebãtur: amisisse videbatur, verumetiam præ pudore vehementer erubuerat, Demetrij honestate motus senatus, ab accusationibus ipsum patremque liberauit. Plus enim iniquæ patris causæ, filij silentium pudorque profuit, quàm cuiusuis ingens eloquentia potuisset.

De C. Rabirio.

Cum ædilis curulis Cæsar, à senatu dissentiret, ac quosdam impulisset, vt C. Rabirio diem dicerent, qui olim cum senatu, Saturnini seditiosi ciuis, vim compescuerat, in iudicum numero Cæsarem esse contigit: itaque is Rabirium adeò acerbè ac properè damnauit, vt cum Rabirius postea populum appellasset, nulla re ad obtinendam absolutionem magis, quàm ob Cæsaris acerbitatem adiutus fuit: censuit enim populus, in iudicio plus acerbitatis, quàm iustitiæ fuisse.

De duobus Romanis equitibus.

Duos equites Romanos, à capitali iudicio illud liberauit, quod alios opprimere in iudicio solet. Nam cum in eorum numero fuisse accusarentur, qui contra Domitianum conspirauerant, nulla re Domitianus magis ad eos liberandos motus est, quàm quòd impudicos esse norat. Putauit enim fieri non posse, vt simul impudicitia, & animi vigor ac virtus manerent.

De Cornelia Maximilla Vestali.

Contra in Corneliæ Maximillæ vestalis virginis causa pronunciatum est. Nam cum ante absoluta esset, postea à Domitiano, non ob aliam rem putatur incæsti damnata fuisse, nisi vt crudelitatem suam expleret, atque ex his iudicijs, quæ ipsius temporibus facta essent, fama & nomen compararetur.

De Valerio Liciniano.

Graue atq; absonũ valde visum est iudiciũ de Valerio Liciniano senatore, cũ incæsti cũ Cornelia vestali accusatus esset. Nã idcirco Domitianus cum Pontificum collegio eũ dãnauit, q̃ fasus erat, incæstũ, quod nunquã eũ patrasse, omnes arbitrabãtur. Cæterũ ipse vir astutus, cũ Domitianũ sciret nõ iure, sed sæuiendi rabie, in eo iudicio moueri: ma-

luit

iit fatēdo, pœnę partē abolere, quā innocētē penit⁹ perire.

De Didio Iuliano Annonæ præfecto.

Contraria huic causa, Didium Iulianum, in Italia Annonæ præfectum, qui Saluianæ coniurationis conscius esse accusabatur, liberauit: idcirco enim absolutus est, quòd cum permultos iam Senatores Commodus peremisset, no uit occiso Didio, inuidiam magis augere.

De Septimio Seuero.

Septimius Seuerus, qui postea imperauit, accusatus Commodo imperante, quòd in Sicilia Astronomos de imperio consuluisset: ea causa, prætorij præfecto demandata, Septimium quanquam eius criminis innoxium, præfectus odio in Commodum, neque aliam ob rem liberauit.

De Romano equite.

Tiberius Cæsar, equitem Romanum, iuramento absoluit, quo cum ei vxor desponderetur, nunquā se desertum eam promiserat, quia vir, eam cum genero se commiscentē deprehenderat.

De alio equite.

Contrà, alium quæstura priuauit, quia vxorem repudiauit triduo posteaquam eam acceperat. Leuissimū enim putauit, & qui in re publica, nulla in parte vtilis esse posset.

De Fabriciano.

Insignis & admodum iusta fuit absolutionis causa, qua Fabricianus iudicium euasit. Nam cū adhuc in cunis esset, per sororem à matris crudelitate seruatus fuit, quæ cum Petronio adulterabat, & ob eam rem cum Valentinum virum sustuliisset, filiū quoq; occidere quærebat: sed cum is postea adoleuisset, matrem cum adultero se miscentē occidit, crimineq; occisæ matris accusatus, Senatus decreto absolutus est, quod iustus dolor & causa, ad perdendam matrem impulisse videbatur.

De quodam equite Romano.

Et inusitata, & iusta tñ, fuit equitis Romani dānatio, dū corā Claudio Augusto litigaret. Nā deprehēsus secū gestare serpētis ouū, superstitione motus, quod eo litigātes iuua ri putaret, tanquā veneficⁱ interfici iussus est. Inde cōparata sibi morte, vnde ad parandā victoriā, opē expectabat.

De Paulo Apostolo.

Paulus Apostolus, à Felice Iudææ procuratore in vincula coniectus, & in manu Festi successoris relictus, cùm habita disquisitione, plusquam opus esset vereretur, Augusti tribunal compellauit. Itaque Festus etsi eum innocentem iudicarat, tamen coactus est, ad illum mittere, cuius tribunal Paulus appellauerat. Nero autem vt incensæ vrbis inuidiam in Christianos exoneraret, quanquam innocentem, post aliquot tempus capite mulctauit. Cum appellatio quâ sibi fore Paulus saluti arbitrabatur, mortis causam ad vrbem Romam misso attulit.

RECENTIORA.

De Athanasio patriarcha Alexandreno.

Athanasium Patriarchã Alexandrinũ, non vitæ sanctitas, non doctrina protexit, quin apud Constantium Augustum, à multis Episcopis Arrianis ceu magus atq; veneficus accusaretur: nam cum insuper adderetur, ab eo mutilatum brachio Arsenium, vt ex eo veneficia conflaret, conuocato Tyri consilio, ostensoq; Arsenio incolumi, tamen non effugit, quin iudicum odio atq; iniquitate damnatus, per totum Orientem persecutionem pateretur.

De Britio Turonensi Episcopo.

Non in Athanasio solum, perspecta est iudicũ pervicacia atq; iniquitas, aduersus innocentiã sæuijsse, sed id quoque apertè nimis, Gallia in Britio Turonensi Episcopo conspexit, qui Martino in Turonẽsi ecclesia successerat: nã cũ eius serua peperisset, Britio partus crimini dabatur, quanquam ad purgandã eius innocentiã, abiuratus infans, qui nondũ trigesimũ excedebat diẽ, planè Bricij crimen, ortum suum nõ esse respõdisset. Id enim culpæ suspicionẽ auxit, si quidẽ præterea magum esse eũ insimulabant: illud quoque ad purgandam suspicionẽ, non valuit, quod ignes illæsa veste deferret, in exiliũ enim actus fuit. Sed postremò innocẽtiæ locus suus fuit, cum iam duo ei successissent Episcopi: nã septimo anno post restitutus fuit.

De Hilarione.

Vehementer ad Hilarionis quoq; damnationem aduertendum est, quemadmodũ Ruffinus Aquileiensis scribit, et si il-

sillud Hieronymus neget: nã cum hæreticorũ fraude vi-
ciatus ei liber esset, quẽ ipse catholicè scripserat, & in cella,
in eo loco cõditus, in quo primũ habebatur, cũ vitium nul
lũ ineesset: In cõcilio postea Hilario, dũ per cõtumelias res
ageretur, hæreticus appellatus, vt obiectũ crimen re ipsa di
ueret, librũ quẽ catholicè scripserat, cũ proferre vellet, frau
dis ignarus, vitiosum protulit: quæ res, & ipsum à recto sen
su, præ admiratione doloreq; simul abalienatum reliquit,
& alienos vehementer in eum cõmouit. Itaq; alieno scele-
re extra ecclesiæ græmium factus, à catholicorum commu
nione, tanquam hæreticus fuit depulsus.

De Clerico ac eius sorore Arrassensibus.

Iuuenis Arrassensis clericus, cuius in deterius ibãt mores,
cũ domi suæ hominẽ occidisset, vna cum sorore eum sepeli
uit: re detecta, ad suppliciũ deducebantur damnati, vt ambo
viui cremarentur, qui in eo consternati, Christiano more fa
teri crimina sua, & à Deo veniam petere noluerant. Soror
quæ innocens eius criminis erat, cum fratre collachrymа-
batur, quod innocens cõburi deberet. Itaq; cũ iã suppliciũ
instaret, & diuinitus monita lustrare animã cõfessione de-
creuisset, fratri, vt idẽ faceret suadebat, sed frater prorsus rẽ
abnuebat. Ipsa igitur sola Ecclesiastico sacramento satisfe
cit: cum autem intra pyram vna ducti essent, vt comburе-
rentur, quia iustiora Dei iudicia sunt quàm hominũ, Deo
ita agente succensa pyra, clericum solum, incolumi atque
omni ex parte illæsa sorore, combusit.

De Kunigunda Augusta & alijs.

Quemadmodũ vitæ atq; famæ suæ innocentiam Tutia,
prodigio defendit, dũ perfosso cribro, è Tiberi aquam tu-
lit: ita Kunigunda Augusta Henrici primi cõiunx, falso a-
dulterij insimulata, innocentiam suã purgauit: quin se etiã
veneris nesciam probauit, cum quindecim passus, super can
dens ferrum, nudis pedibus, illæsis plantis perambulasset.
Gangolphi autem Burgundionis vxor, adulterio comma-
culata, cum probare vellet innoxiam se esse, in frigido fon
te demersa manu adiurauit, ne eam sine prodigij specie, si
culpam ferret inde posset leuare: mira, & à Deo res facta
fuit, cum à fonte manum tolleret, desiccatam extraxit, non

aliter

aliter, quàm si in medijs eam ignibus tenuisset. Itaque ob prodigium à viro separata fuit. Sæpè igitur ignis & aqua, ad eruendum verum, plusquam consuetus naturæ cursus efficiunt, cum, vt veri vis inueniatur, effectus adeò naturæ suæ contrarios parturiant.

De Ioanne Chrysostomo patriarcha Constantinopolitano.

Si scriptorũ hactenus iudiciorum, causæ prodigiosæ fuerunt, Ioannis quoque Chrysostomi, variam ac præter ordinem fuisse dicemus: nam cum is ad Synodũ vocasset, Theophilum Alexandrinum Patriarcham, propter crimina, quę ei obijciebantur: Constantinopolim cum alia impiorum Episcoporum manu, Theophilus venit, atque aliam Synodũ fecit, qui citat⁹ Chrysostomo cõparere debebat. Quinetiam Chrysostomum ipsum citauit, cuius quanquam maior esset potestas, tamen quia citatus non iuerat ad Theophilum, ab eo damnatus est: quod dum concionaretur, Augustam Iezabelam vocauerat, cuius causa Archadius quoque exilio Chrysostomum mulctauerat. Post quam rem, cũ grauis terræmotus, vrbem atque propinquam regionem infestaret, populus superstitione motus, quia eius rei causam esse Chrysostomi exiliũ putabat, magnis honoribus, eum in patriam reuocauit. Cæterum cum is etiam damnaret, vt in foro pro æde diuæ Sophiæ, statua Augustæ poneretur, denuò vocata in eum Synodo depulsus est, quod redierat non à Synodo, sed à populo reuocatus adeò variæ fuerunt damnationum eius & absolutionum causæ.

De Narcisso Hierosolymitano Episcopo.

Impia etiam ac sceleris plena fuit causa, propter quam Narcissus Hierosolymitanus Episcopus, fuit damnatus, miranda quoque illa, qua absolutus, imperante enim Septimio Seuero, tribus falsibus testibus conuictus, iudicio cessit, & ad deserta se contulit loca, atque ei in Episcopatu alter fuit suffectus. Cum trium testium primus dum testaretur adiurasset, nisi vera essent quæ testabantur, vt comburi posset incendio, cum omnibus quæ habebat absumptus est: reliquorum duorum, cum alter imprecatus esset, vt lepra corripi posset: alter autem vt luminibus caperetur, nisi ve-

verè testarentur, intra paucos dies vterque ijs malis, quibus se adiurauerat affectus est: quibus prodigijs, ceu crimine liberatus Narcisſus, absolutus iudicio fuit, & in locum ſuum reſtitutus.

De Hildebrando.

Euidenti prodigio damnatus ſimoniaco crimine fuit archiepiſcopus Ambrunenſis, ab Hildebrando apoſtolico legato. Nam cum ſimonia cum crimen factum negarat Archiepiſcopus, Legatus autem affirmaret, quia Spiritus ſancti episcopalis dignitas munus eſset, illi ipſi ſe hoc iudiciũ remiſſurum eſſe, & propterea ab Archiepiſcopo peteret, vt clara voce verſiculum recitaret, qui ab eccleſia in omnium Pſalmorum fine dici ſolet. Archiepiſcopus conditionẽ accepit, cum autem recitãdo, ad Spiritusſancti nomen veniſſet, implicata ad dentes lingua, illud verbum enunciare nũ quam potuit. Itaq; ob eam rem damnatus eſt, & quod ante damnationem exprimere non potuit, poſt damnationẽ ab epiſcopatu deiectus, plane pronunciauit.

De Petro Papienſi Archiepiſcopo Florentino.

Non minus etiã memoranda eſt damnationis cauſa, Petri Papienſis Archiepiſcopi Florẽtini: hic ob ſimoniæ notam à Ioanne Gualbertho, viro morum ſanctitate inſigni, qui primus Valliſumbroſæ monarchalem congregationẽ inſtituit, cũ eſſet grauiter increpitus: re ad populum, vt diju dicaretur deducta, ſuper ea monachus poſt peracta miſſę ſolennia, cum ita conuentum eſſet, itinere habito inter duas lignorum ſuccenſas pyras, inter quas vni tantum peruius limes erat relictus, viuus atque nulla in parte læſus euaſit. Itaque & prodigij magnitudine, & ſimul vt populi impetus compeſceretur, Petrus ab Alexandro pontifice, à Florentina Eccleſia deiectus eſt: ſed quoniam ſatis de ſacerdotali ordine dictum eſt, iam ad ſecularia tranſeamus.

De Ioanne Iuuenali Vrſino, Præpoſito Pariſienſi.

Quanquam miranda fuerunt, ea quæ de iudicijs hactenus ſunt ſcripta: non minus tamen illud inſigne eſt, quod pertinet ad Ioannem Iuuenalem Vrſinum, Pariſienſem Præpoſitum: ita enim vrbis illius præfectura nuncupatur. Regnante Carolo ſexto, qui penè amens habebatur, apud

eum

eum Philippi Burgundiæ ducis opera, accusatus est is, quē præfuisse Parisiorum vrbi diximus, & causa ijs demandata fuerat, qui in Præpositum hostili erant animo, iamq; circiter quinquaginta testes clàm interrogati falsum dixerāt: cum contigit, vt iudices in eadem caupona omnes simul cœnarent, & cum cœnati scripturas agnoscerent, volumen illud, quo testium dicta continebantur, sub mensam delapsum, iudicum diligentiam fefellit: ita enim abierunt, vt pene aliquem ipsorum esse volumen arbitrarentur. Catellus autem, qui sub mensa erat, lasciuiens, volumen sub lectum detulit, vbi vespere iam facto, cauponis coniunx illud inuenit, ac viro tradidit. Caupo autem, vt rem ad Præpositū pertinere vidit, volumen ad eum detulit. Cum autem iudices aliud non haberent exemplum, & Præpositus apud testes ijs esset vsus remedijs, quæ ad causam suam necessaria putauit esse, repetitis testibus, iudicum errore, atq; catelli casu absolutus fuit.

De Bethisacho Gallo.

Cum multa Auxitani populi quererentur in se auarè & crudeliter gesta esse, sub administratione Biturigis ducis, qui Caroli sexti Gallorum regis patruus erat, à regio Senatu capi iussus erat Bethisachus, per quem dux ille omnia gessisse videbatur, quia ducem ipsum compellare non audebat. Bethisachus autem omnem culpam in dominum reijciebat, cuius imperio quæ fecerat gessisse se ostendebat: itaque iam vt innocens habebatur, cum per fraudem ei significatum fuit, iudicio ipsum, vt vel strangularetur, vel combureretur damnatum iri. Itaque cum ea re Bethisachus admonitus, cum ijs qui illud nunciarant consilium, ad inueniendam opem iniret, monitus est, Si se hæreticum dixisset: Nam ita aliud tribunal causa requirebat, fore vt Auenionem ad Pontificem mitteretur, è cuius manu dux Biturigensis, facilè eum postea recepturus esset. Huius consilio motus Bethisachus hæreticum se, & qui iam multos annos in Christum non crederet, falsus: adeò ira atque indignatione omnem Senatum mouit, vt statim ranquam pessimus vir, nulla vltra eius defensione audita, Senatus decreto cremaretur.

De

DE INSIGNIBVS PRIVATIS IVdicijs. Cap. II.

De Archidamo Zeusippi filio.

PVblicis iudicijs, priuata quoq; addemus, quæ insignia sunt, aut aliquo modo ordinem excesisse videbuntur. Exemplorum primum ponemus, Archidamum Lacedæmonium Zeusippi filium: qui inter duos collitigantes, arbiter electus, cum ambos in Chalchidicæ Mineruæ templum deduxisset, eos iureiurando adegit, vt quod ipse iudicasset obseruarent. Quibus præstitum iuramentum imperauit, ne eo templo excederent, priusquam positis discordijs mutuam beneuolentiam redintegrassent: hac sacramenti religione, ambos vt lite discederent perduxit.

De M. Syluio Ottone.

Otto, qui postea imperauit, cum adhuc priuatam ageret vitam, à duobus de finibus arbiter electus, agrum emit, de quo orta erat controuersia. Et alteri contendentium dono dedit, atque ita inter ipsos litem sustulit.

De populo Romano.

Contrà populus Romanus, Tarquinio Capitolino, & Au. Furio Agrippa Coss. inter Ardeates atq; Aricinos de finibus contendentes, arbiter electus, haud satis ex tanti populi pudore atq; modestia, agrũ de quo contẽdebatur, non Aricinorum aut Ardeatium esse, sed ad se pertinere adiudicauit. Ex arbitro & communi amico, præ auaritia prædo, atque hostis factus.

RECENTIORA.

De Natello Ceuæ Commarchione.

Temporibus nostris, Natellus è Ceuæ Marchionum numero vnus, inter duos Ceuenses arbiter electus, ambos iurare coẽgit, ei se daturos quod ipse iudicasset. Iudicij autẽ ipsius fuit summa: Quicquid illud erat, de quo inter collitigantes controuersia esset, non ipsorum collitigantium, sed sui Natelli esse.

De Georgio Neocæsarienſi episcopo.

Inter recentiora tempora, Georgij Neocæsarienſis episcopi insigne iudicium fuit. Nam cum de piscoso lacu, qui admodũ fructuosus erat, duo inter se contendentes fratres digla-

digladiarentur, multiqué iam in ea contentione homines essent interempti, fratrum ipsorum voluntate iudex creatus, ad lacum de quo erat contentio, cum ambæ partes adessent profectus est, & extensis in orãtis morem ad Deum manibus rogauit, vt eum lacum exciccaret, qui inter fratres tantarũ contentionũ materiã præberet: Nondũ aũt huius precationis verba ex toto ꝓtulerat, cũ vtraq; inspiciẽte parte, exiccatus lacus, & aquæ & liti simul finem imposuit.

De Aimone Sabaudiæ comite.

Cum mutuis odijs inter se contendentes, Emanuêl atq; Andronicus fratres, Caloianis Constantinopolitani Imperatoris filij, quod vterque patri in Imperio succedere volebat: Andronicus Thenedon insulam populo Genuensi, Emanuêl autem Venetis qui eã ædificata arce muniuerãt, tradidit, ea de re, graue inter Venetos atq; Genuenses bellũ exortũ. Cũ autẽ in aliquot annos vtriq; decertassent, finiẽdi belli arbitriũ, Aimonẽ fecerunt Sabaudiæ, quæ Allobrogum pars fuit, comitẽ. Is autem prudentiæ minima expers, ita iudicauit, vt dirutis locis, quæ in insula Veneti muniuerant, neutra partium eam insulam possideret.

DE FOEMINIS QVAE DOCTRINA excelluerunt. Cap. III.

De Sappho Lesbia.

CVm longè commendabilius sit, mulieres excellenti doctrina extitisse, atque scribendo philosophis poëtisque pares fuisse, quàm ipsas, coram magistratus orasse, & causas suas egisse satius de illis scribere duximus. Has enim audacia ac simul loquacitas fœmineo sexui à natura insita, atque simul defendendi sui necessitas, ad hoc vt publicè causas agerent, impellere potuit: sed vt doctrinã insignem assequerentur, ac poëtico more, versus modularentur, haud sine diuino numine assequi potuerunt. Exemplo est adolescens Sappho Lesbia, quæ multis Græcis vatibus, non inferior, & doctè & suauiter, versus sublimi ingenio concinuisse non contẽta, Sapphici carminis, cui ipsa nomẽ dedit, fuit inuentrix.

De Erynna.

Sapphõ tanquã magistram, imitata Erynna Rhodia, siue

ve

alij volunt Theia aut Lesbia, poëma scripsit Dorica lingua, quod carminis excellentia, cum Homero contendisse putatum est.

De Damophila Græca Pamphili vxore.

Damophila quoq;, Sapphus in doctrina comes atq; imitatrix, amatorios libros, carmine composuit, atque hymnos permultos, quemadmodum Philostratus Dauidis Syri celatu scripsit.

De Corinna.

Pariter Corinna quoq;, adeò eruditione excelluit, quēadmodum Suidas tradit, vt præter ea quæ ingēti laude scripsit, Thebis de poëtica, cum Pindaro contenderet, ac quinquies (quæ rara fuit) gloria eum superaret.

De Themistoclea.

Quanquam exploratum non sit, Themistocleā scripsisse, tamen non minus perita, quàm hæ de quibus est dictū habita fuit. Nam vt Aristoxenus scribit philosophus Pythagoras Themistocleæ frater, admodum subtilia multa, quæ à sorore, vt à doctiore acceperat scripta reliquit.

De Aretha Cyrenaica.

Aretha etiam Cyrenaica, Aristippi patris Socratici dogma secuta, adeò excelluit, vt mortuo patre idonea haberetur, quæ patris scholam in philosophia regere posset, retinēque ingenti gloria dum vixit.

De Leontio Græca.

Leontium adolescentula Græca, non satis duxit, tātum assequi doctrinæ, vt doctissimis philosophiæ par esset, quia vt clarius ingenium eius ostenderetur, etiam contra Theophrastum, diuinum penè philosophum, non sine ingenti inter Græcos laude scripsit.

De Cleobulina Lindia.

Cleobulina Lindia & ipsius Cleobuli philosophi vnica filia, tantum doctrinæ, tantum etiam eloquentiæ studio sibi peperit, vt permulta versibus singulari laudi cōscripserit, & eius scripta dictaq; philosophi clarissimi, pro testimonio in medium afferre non dubitarint.

De Thesselidi Argiua Hipparchia.

Thessēlidis Argiua fœmina (quod in eo sexu rarissimum

est) fortissima, præter alias virtutes ceteris suis doctissima habita est. Epigrammata atque alterius generis carmina peritissimè scripsit, nec verò minus clara in philosophia fuit Hipparchia. Verum ne Græci solum eiusmodi doctrina insignes fœminas habuisse videantur, quasdam barbaras atque Latinas annectemus.

De Argentaria Polla atque Calphurnia Plinij secundi coniuge.

Argentariam Pollam Lucani vxorem, tanto ingenio doctrinaq; fuisse scriptū est, vt cœptos à viro permultos versus, ipsa eadem stili grauitate atque elegantia perficeret, atque Epigrammata etiam peritissimè conscriberet. Item de Calphurnia coniuge Plinius secundus scripsit.

De Cornificia Romana.

Cornificia adolescens Romana, adeò excelluisse doctrina, imperante Augusto, putata est, vt in omni poëticæ genere, Cornificio fratri, poëticæ insigni, par haberetur.

De Sulpitia Romana.

Quàm ingens etiam Sulpitiæ Romanæ doctrina fuit? quæ heroico carmine illaudata Domitiani Augusti tempora, defleuit, tantaque peritia ac virtutis simplicitate habita est, vt Martialis Epigrammate eam celebrare, decori sibi duxerit esse.

De Proba Adelphi Coniuge.

Proba iuuenis Romana, Græcis atque Latinis literis eruditissima fuit, adeò vt Virgilianis versibus trũcatis atq; simul ad diuersam materiam contextis, de Christi gestis, morteque opus nobilissimum composuerit: quod à similitudine Centones appellauit, carmine quoque Homerico idem fecisse dicitur.

De Amalthea Cybilla Cumana.

Quàm ingens eruditio atque sapientia Amaltheæ Sybillæ Cumanæ fuerit, his libris, quos ipsa populo Rom. reliquit, facilè ostensum est. His enim populo Rom. non secus ac diuinis oraculis, in imperij administratione semper credidit.

De Zenobia Palmirensium regina.

Fortasse in his, de quibus scripsimus fœminis, quia priuatam vixerunt vitam, non tàm mira videtur fuisse doctrina, quàm

quàm in Zenobia Palmirenſium regina. Nam & regni administratio, præterea delitiæ quæ in regnis atque ampla fortuna constitutos, mortales plerunque sequuntur, literarum studijs adimere tẽpora solent, præter quàm quod qui in eiusmodi loco sunt, tædere laboris solet, sine quo proficere in disciplinis homines nequeunt. Zenobia igitur, his superatis difficultatibus, Græca eruditione non contenta, Aegyptiam Persicamque linguam calluit, rerũque Alexandrinarum historiam non illaudato stilo ad compendiũ redegit. Sed ne ætas nostra, magis in hoc quàm in alio virtutum genere, de quo scripsimus defeciſſe videatur, recentiorum fœminarum exempla nonnulla, subnectemus.

RECENTIORA.

De *Rosuida Saxona.*

Prima igitur, inter recentiores fœminas, doctrina insignes à nobis referetur Rosuida, quæ in Germania apud Saxones orta est, Ioanne septimo, qui fœmina esse deprehensus est, Pontifice, Lothario primo regnante. Hæc Græcè atque Latinè omnium bonarum artium peritissima, permulta non sine magna commendatione scripsit, præsertim ad monachas suas, dum eas ad diuinum cultum atque virtutem hortaretur. Sex quoque comœdias edidit: præterea carmen insigne, de Othonum Cæsarum rebus gestis: item sactarum fœminarum, atque in primis virginis, quæ mortalibus redemptorem tulit, vitam laudesque earum, luculẽta oratione perscripsit.

De *Elizabeta Germanica abbatissa.*

Rosuidæ disciplinam, atque studia, Elizabeta Schonaugiæ abbatissa, apud Treuiros secuta, Latinè permulta quæ diuinitus monita est, item suasorias orationes ad conuentus sui sorores, atque ad alios egregiè conscripsit: opus etiã de vijs, quibus ad Deum inceditur, ac simul eruditissimarum epistolarum volumen.

De *Baptista prima Malatesta.*

Baptista prima, Galeatij Malatestæ Pisaurensis principis filia, & Guidoni monte Feltrensi Vrbinatium comiti matrimonio coniuncta, miræ æruditionis, qua prædita erat, persæpè periculum fecit. Nam cum doctissimis

viris sæpè non sine laude disputauit, & Latinè de hsdana fragilitate, atque de vera religione, luculẽtos quoam libros edidit.

De Isota Nouarula virgine Veronensi,

Isota Nouarula, Veronensis, cum philosophiæ studia nõ verbo tantum, verum re quoque profiteretur, literarũ studijs, ac perpetuæ virginitati se dicauit. Orationes permultas ad Nicolaum quintum, Pium secundum pontifices viros doctissimos scripsit, Theologiæ ac Philosophiæ studio sa, dialogum confecit, in quo disputatum est, qui prius ac magis, Adam ne an Eua peccauerit.

De Cassandra Fidele, virgine Veneta.

Quæ autem nunc quoque viuit, & ceu prodigiosa res doctrina singulari eminet, Cassandra Fidelis Veneta, non solum ad lyram commodissimè concinit Latinos versus, quos ipsa magna eruditione cõponit, verùm Patauij quoque, in vniuersitate disputando, ingentem laudem hactenus semper retulit: cum omnibus in omni doctrinarũ genere appositè responderet, & vt clarius eruditionis suæ documentum præberet, de ordine scientiarum librum edidit. Sed vt Valerij ordinem teneamus, necesse est ad iudiciales res iterum egredi, & idcirco de disquisitione, quæ per tormenta fit, scribere aggrediemur.

DE DISQVISITIONE PER TORMENTA. Cap. IIII.

De Aesopo Domosthenis liberto.

AEsopus Demosthenis libertus, diu discruciatus, nunquam ad patronum fateri voluit pertinere adulterij culpam cum Iulia, nisi prius multorum testimonio conuictus Demosthenes, ipse crimen fassus esset.

De Agathoclis comitibus.

Agathocles, qui postea in Sicilia regnauit, cum adhuc priuatus Syracusis viueret, & mare clàm prædaretur, nunquam à comitibus, qui cum eo capti fuerant, quanquã graiter discruciati essent, accusatus fuit. Itaque etsi crimẽ exploratum habebatur, constans comitum animus, singularisque earum patientia, id in purgando Agathocle effecit, vt iudicio tanquam innocens absolueretur.

De Ty-

De Tyrone & filio.

Cum Herodes Iudæorum rex, Alexandrum filium suspectum haberet, & ob eam rem Tyronem ministrum eius in vincula coniecisset, quia tonsor quidam fatebatur, ab eo se inuitatum, vt Herodem occideret, vt eo defuncto Alexander filius eius regnaret: Tyro diu vnà cum filio cruciatus est, cum tonsor coram esset, amborum corporibus crudelem in modum dilaniatis, Tyronis filius, siue nimis ad dolorem recens, siue quod patris commiseratio eum moueret, cum ei promissum esset, tormentis finem impositum iri, fassus est, sæpius patrem decreuisse, vt Herodem occideret, cum vt solum adoriri possent occasionem aucuparentur, & id ob eam rem tantum, vt Alexander post eũ regnaret. Illius igitur confessione, quæ postea falsa est inuenta, motus Herodes, Alexandrum filium interemit.

De Aretaphila Græca.

Aretaphila Nicocratis vxor, qui Cyrenis tyrannidẽ exercebat, cum plus eam patriæ charitas, quàm viri amor moueret, vt patriam tyrannide liberaret, aduerso fato detecta est consilium iniuisse, Nicocratem virum veneno tollendi. Itaque varijs ac longis cruciatibus affecta, à Caluia socru, quanquam res penè manifesta esset, adeò constãter tormẽta pertulit, atque ita eam rem semper excusauit, vt tanquã innoxia, in primum honoris gradum, apud virum restitueretur, quem tamen ipsa haud multò post interemit.

De Farione Aegyptio.

Contrà autem Farion Aegyptius, tormentorum metu, ea latrocinia fassus, quæ nunquam patrârat, Alexandriæ dum deduceretur ad locum, vbi securi percutiendus erat, forte in Apollonium Tyaneum philosophum incidit, cum is vel diuino nutu, vel magica arte (id enim non constat) innocentem eius criminis Farionem deprehendisset esse, dedita opera eum remoratus est. Cum autem cæteri, iam à ministris capite mulctati essent, Farion reuocatus est, cum noxij quidam in disquisitione, quæ de eis habebatur, ipsa illa hora, innocentem Farionẽ, eius criminis esse dixissẽt.

RECENTIORA.

De duobus adulterij accusatis.

Vercellis, quemadmodum Hieronymus scribit, à viro vxor adulterij accusata, dum torqueretur, constâter crimen semper negauit. Iuuenis autem quo cum adulterasse dicebatur, tormentorũ impatiens, quod non patrarat, patrasse se fassus est, atque ob eam rem, ambobus à Cõsule, in quo rigoris plus quàm iusticiæ erat morte damnatis, prodigio veritas detecta est. Iuuenis enim mendax, gladio percussus, caput semel ictus amisit: septies autem cùm fœmina gladio percussa esset, non cæsim modò, verumetiam iugulo punctim petito ferrum, retro ab eius carne veluti à silice semper resilijt, præterquàm in extremo ictu. Seruandæ enim illius animæ gratia percussa, pro mortua vt sepeliretur elata fuit, atque tunc viua inuenta, curato vulnere, cum demum iudicio absoluta esset, verùm inuentum est.

De Iacobo Fuscaro Patritio Veneto.

Cum Hermolaus Donatus, Venetijs, inter decemuiros principum vnus haberetur, atque is fortè in vinculis adolescentem haberet, impudicitiæ reum, qui tormentis nullis vt crimen fateretur adduci poterat: contigit, vt adolescentis amator (fortasse fretus, ita se amatum adolescentem liberaturum) Hermolaum post secundam à solis occasu horam, à palatio domum regredientem, vno solo comitatum, extincto eius lumine, vno vulnere occidit. Cum autem casus illius atrocitas vehementer senatum Venetum perculisset & cædis autor ignoraretur, coniectura eius facti veritatem disquirere decreuit: itaque cum in mentem redijsset, inter Hermolaum atque Iacobum Fuscarum, qui vnicus Francisci Fuscari, eo tempore Venetorum ducis filius erat, graues olim contentiones fuisse: arbitratus senatus, Iacobum patris honore fretrum illius cædis autorem fuisse, in vincula poni eum iussit: qui illic varijs acerbisque tormentorum generibus discrutiatus, quanquam nihil fateretur, tamen cum pertinaciter Senatus in sententia maneret, ab eo Hermolai cædem procuratam fuisse, & tamen inconfessum morte mulctare non posset, tandem in Cretã eum relegauit. Cum autem haud multo pòst, Iacobus in exilio decessisset, qui cædem eam patrauerat, cum se religioni dicasset, morti proximus, rem gestam à se falsus est. Quæ

res

res satis apertè monet non esse magnopere tormentis credendum. Persæpè enim tormenta eos, qui in dolore recentiores sunt, etiam quæ non egerunt fateri cogunt: quosdã quoque veneficio à sensu alienatos vidimus, tormẽtis, ceu in lecto iacerent doloris expertes, indormire. Nullam ergo de morte hominis, quę peracta irreuocabilis est, cunctationem nimis longam ducere debemus: neque enim ab re, Romanarum legum conditores statuerunt, solam criminis confessionem, quæ per tormenta extorqueatur, ad damnationem non sufficere, si cum ea ad probandam rem, aliud nihil conueniat. Contra etiam tormentorum patientiam, si in contrarium probationes essent, ad absolutionem satis non esse, sed prudentia in vtraque re opus esse censuerunt.

DE TESTIBVS. Caput, V.

SEcundum Valerij ordinem scribenti hoc loco de testibus dicendum esse, sed cum hoc tempore, populi, vel Senatus non hij sint, qui iudicia peragant, quemadmodum apud Romanos fieri consueuerat, nihil mihi quidem, quod operæprecium mereatur scribere posse videor. Cum eiusmodi res aut legum formulam habeant, aut à principibus iudicentur, in quibus plus appetitum persæpe, quàm ius valere videmus. Itaque solum nobis superesse, vt testium exẽpla è litigantium libellis atque iudicijs requireremus, rem profectò obscuram, neque hoc libro satis dignam vbi insignia tantum posituros nos professi sumus. Itaque hãc partem silentio prætermissuri sumus, cum illud satis esse putemus monere, permultum de testibus dubitari posse. Quanquam & dites sint, & in amplo dignitatis statu collocati, nisi adhæc vitæ honestas, atque in primis Dei timor accedat. Neque enim fides amplas ædes, aut multo auro plenas arcas, sed hominum pectora inhabitat, vbi iusticiæ sedes est, quam & honestas & religio nunquam incomitatam relinquunt.

DE IIS QVI IN ALIOS ANIMADuerterunt, super ijs quæ ipsi aliquando patrarunt. Cap. VI.

De populo Israelitico.

DE ijs scripturi, qui in alijs eastigauerunt, quod ipsi interdum gessêre, Israēliticum populum primò citabimus, qui seuerè atque atrociter Cananęos, aliosq; vicinos populos, quod idola colerent euertit: cum ipse tamen vniuersus, primo in desertis locis, dum ab Aegypto remigraret, & postea decem tribus eiusdem populi, idem peregissent.

De Saulo Iudæorum rege.

Saulus primus Iudæorum rex, cum ariolos & phytonissas, qui ei parebant interemisset, ipse quoq; ab officio discedens, de bello phytonissam consuluit, qui postea pro crimine illo, ea pœna, quā alijs irrogarat, à Deo multatus est.

De Pericle Athenienſi.

Pericles Athenienſis ciuis, cum plurimum in patria posset, autor fuit vt filij qui naturales tantum essent, ciuium numero non haberentur: cui cum postea functis vita legitimis liberis, solus qui naturalis erat superstes fuisset, dum ciuium numero eum habuit, primus fuit qui conditam à se legem violaret.

De L. Sylla.

Inter Romanos quoque L. Sylla dictator, cū per legem modum funeribus atque conuiuijs præfiniuisset, in Metellæ coniugis funere, atque in epulo quod sæpius populo exhibuit, nimia profusione pompaque, legem à se factam transgressus est.

De Nerone Imperatore.

Nero quoque Imperator, lege condita de moderando in victū sumptu, edixit: Ne caupones in vrbe Roma, aliud quàm legumen atque herbas venderent, pœna pro delicatioribus cibis imposita. Neq; verò diu cunctatus, cum exquisitissimorum ciborum cœnis sumptuariā legem ipsam violauit, atque ipse in cauponas atque apothecas, quas in Tybridis ripa construxerat, excolendorum ciborum gratia se conferret.

RECENTIORA.

De Masselzere.

Gildo Aphricæ præfectus, in Theodosij primi morte, eam prouinciam occupauit, & cum in eandem perfidiam

Masselzere

Maſselzerem fratrem ſuum trahere nequiuiſſet, fugientis inde vxorem liberosque peremit. Honorius autem atque Archadius fratres, imperio potiti Maſselzerem ad repetendam Aphricam, aduerſus Gildonem fratrē miſerunt, quem in prælio victū occidit, recuperataq; omni Aphrica in eundem in quem Gildo, incidit errorē, quia ab Honorio atq; Archadio rebellauit.

De Heracliano.

Heraclianus ab Honorio Auguſto, aduerſus Attalum tyrannum, in Hiſpaniam miſsus, cum eum deuiciſſet, Hiſpania recepta, ipſe quoque rebellauit: ſed cum poſtea ad vrbem Romam, cum ingenti exercitu veniret, à militibus ſuis occiſus eſt.

De Eleutherio Conſtantinopolitano patricio.

Calabriam atque Apuliam Heraclei Imperatoris nomine, Ioannes Campſinus Græcus patricius regebat. Itaque ab eo cuius auſpicijs ipſas prouincias adminiſtrabat deſciuit: ad perſequendum eum ab Heracleo miſsus Eleutherius, Conſtantinopolitanus Patricius, haud longè ab vrbe Neapoli, in prælio Ioannem occidit, pro quo merito, ne ſine munere ab Heracleo præteriretur, Italiæ Exarchatum accepit. Cæterum ipſe dato honore non contentus, rebellauit atque ſe Regem appellauit. Quamobrem à Romanis legionibus, quas ſecū habebat poſtea interfectus fuit, atq; ipſius caput à militibus Conſtantinopolim miſsum.

De Innocentio ſeptimo Pontifice.

Innocentius ſeptimus cum nondum ad Pontificatū conſcendiſſet, adhuc ſolo Cardinalatus honore inſignis, perſæpè Vrbanum ac Bonifacium Pontifices, qui ante eum Rom. eccleſiæ præfuerant, repræhendit, quod de tollendo à catholica eccleſia ſchiſmate, paruā gerere curam viderentur. Cæterùm poſtea ad Pontificatum euectus, in eoſdem ipſe quoque incidit errores, à quibuſdam autem Romanis ciuibus rogatus, vt ad tollendum ſchiſma curam adhibere vellet, cum eos ad nepotem remiſiſſet, ipſius nomine reſponſurum, à nepote pro reſponſo id tulerunt, quod à ſeueris præcipites deiecti fuerunt: Illud enim, is affirmauit ſuum eſſe reſponſum. Eſt autem cum in permultis alijs

sæpe hoc crimen, vt quod in alijs reprehendunt, illud reprehensores ipsi agant, tum maximè sacerdotum ordini velut à natura insitum, à Christo redemptore longè ante enunciatum, cum dixit: à sacerdotibus grauia alijs onera imponi, quæ ipsi ne digito quidem leuare volunt.

DE STVDIO ATQVE INDVSTRIA. Caput, VII.

INdustriam studiumque multarum virtutum, omniúmq; artium veluti indicem atque originem esse palàm perspicimus. Neque enim sine ijs, nisi perrarò proficere quéquam in disciplinis, aut arte vlla contingit. Et si quando inuentú esse aliquem accidit, qui aut nullo aut perexiguo impenso studio excelluerit, id aut ingenij magnitudine, aut prodigio factum videri debet. Itaque ne eius quem imitamur ordinem deseramus, de his dicere aggrediemur. Nec verò aut Neronem, aut ei similes commemorabimus, qui industriam studiumque enixè his artibus impenderũt, quæ prorsus regibus atque imperatoribus erant indignæ: quid enim ille, dum se & vomitu, atque leuando ventre tanto opere purgabat, aliud quæsiuit, quàm vt vocem magis sonoram haberet? vt in theatris atque foro clarius decantaret? Qui etiam ob eandem rem porro oleo condito vescebatur, & plumbeam laminam, pectori appositam gerebat, omnia vt inter cantores annumerari posset, perpessus. Quamobrem ab eorum ordine, qui sequuntur ipsum tollemus, & ad eos in quibus plus laudis fuit nos conferemus.

De C. Iulio Cæsare.

Quantum Iulius Cæsar literis impenderit studij, ex eo facilè intelligi potest, quod ne in bello quidem, nunquàm studium, quod literis impendebat, intermisit. Neque ludos aut alia publica munera, sine lectione spectabat, ad omniũ testimonia, de hac re scribentium commentarij, de rebus ab eo gestis scripti longè superant, ab eo inter armorum strepitum, ac bellorum tum externorum, tum ciuilium curas, literis mandati, vt scriptoribus materia pararetur. Ita eruditi limatique habiti sunt, vt nullus eis apponere manum ausus fit, cum stili nitorem, militaremq; illam, sine vllo fuco facundiam non superare modo, sed ne æquare quidem

posse,

posse, haud iniuria nemo sibi persuasit. Fuit autem in omni disciplinarum genere, hæc ipsius tanta eruditio magis miranda, quod honorum cupidus, atque ingenti ambitione laborans, inter arma magistratusque omnem transegit aetatem.

De Augusto.

Iulij Cæsaris ex sorore nepos, atque idem per adoptionem filius Augustus, ei in literarum studio persimilis: quanquàm prima ætas imperij administratione occupata esset, multa facundè ornateque carminibus Græce Latineq; scripsit, Mutinensique bello, cum omnia armis obstreperent, semper vel legit vel scripsit, vel declamauit: cum nec vita quæ in summo discrimine versabatur, nec militaris cura ac molestia eum auerterent, quò minus assiduè studijs longè enixius quàm alij in magno otio soleāt operam impenderet.

De Adriano Imperatore

Adrianus imperator habitus est tàm doctus, atque poëtices studiosus, vt persæpè ei ad crimen ascriberetur. Arithmeticæ peritissimus, item Geometra fuit, pinxit egregiè, musicen excellenter calluit, & ante alia Astronomiæ scientia, ætatis suæ omnes anteire visus est. Neq; verò (& si imperij occupationibus distinebatur) ante vnquam earū disciplinarum studium intermisit, dum simul scriberet, dictaret, audiret, loquereturque. Itaque pro prodigio numerari potest, tam multarum rerum scientiā in imperatore fuisse, cuius vel dimidia pars, in priuato atq; eodem otioso homine, si inueniretur, id etiam amplissimum videri posset.

De Helio Sophista.

Hoc etiam Helio Hippiæ Sophistæ contigit, qui præter literarum studia, in quibus ætate sua nulli secundus fuit, Olympicis ludis zonam vestem, calceos, ampullam, annulum, gemmam, in qua signum sculperat, omnia ab ipso fabrefacta, non sine admiratione homines conspexerunt. Quippe in vno tantarum rerum artem, ac scientiā viderūt, quantæ permultos ornare mortales potuissent.

De Aurelio Alexandro Seuero.

Nō minus admiratiōis meretur, studiū quoq; atq; industria,

ſtria, qua in re literaria Alexander, quanquàm occupationum magnitudine in imperio penè opprimeretur, plurimum excelluit. Fuiſſe enim legitur optimus aruſpex, excellens augur, muſicus inſignis, & qui ſolutam oratione carmenque eruditiſsimè ſcriberet. Quibus rebus, tantum impendit operæ, vt in conuiuijs conſueuerit, vel legentes audire, vel ipſe alijs veſcentibus legere.

De M. Antonio philoſopho Imperatore.

M. Antonius philoſophus Imperator, vltra publicas curas, quas nunqàm deſeruit (cuius rei argumẽtum eſt, quod diù pacatum tenuit Rom. imperium) plurimum ſtudijs literis impendit, cum de philoſophia vel ſcriberet, vel diſputaret. Itaque eius dicta ſcriptaque inter Philoſophos, eo tempore magni facta fuerunt.

De Cynea philoſopho.

A principibus ad priuatos nunc deſcendemus: Cyneas philoſophus, à Pyrrho ad populum Rom. legatus, poſtridie quàm in vrbem Romam venit, curiam ingreſsus, Senatum, atque equeſtrem ordinem ſalutauit, vnoquoque proprijs nominibus appellato, idque ipſe peregrinus facilè peregit, quod Romani in vrbe nati, nullo modo facere potuiſſent.

De Eſdra Propheta.

Longè etiam maius memoriæ experimentum Euſebius tradit, in libro temporum, ſcribens Eſdram Hebræũ, omnes Moyſi libros memoriter recitaſſe, quos Chaldæorum reges ſuſtulerunt, ita ne amplius extarent: & ex eius recitatione tranſcriptos, hunc vſum qui poſtea habitus eſt præbuiſſe.

De Carneade Græco.

Carneadem Græcum, Plinius ſcribit, vt memoriæ periculum faceret, libros quos in aliqua Bibliotheca legiſſet, confeſtim omnes memoriter recitaſſe.

De Democrito Abderita.

Adeò doctrinæ ſtudioſus atque amator Democritus Abderites fuit, vt omnibus relictis, in Chaldæã proficiſceretur, ob id ſolum, vt Aſtronomiæ operam daret: neq; eo contentus, in Perſidem tranſiuit, vbi Geometriæ menſuras didicit.

dixit, Athenas postea profectus, doctrinæ penitus amore captus, vt ei magis ex sententia sua vacaret, neque vllius rei gratia ab ea auerteretur, luminibus, vt à quibusdam est scriptum se priuauit, corporiq; tenebras obiecit, vt animo plus cernere posset.

De C. Plinio.

Omnium studia, diligentiamq; C. Plinius studio suo superauit, qui quanquam in armis & magistratib. obeundis, totam transegerit vitam, neque aliquid quod agẽdum esset omiserit, tam multa, tam doctè atque ornatè scripsit, vt etiam ocioso perdifficile sit, omnia quæ is scripta reliquit, perlegere. Nam præter naturalis Historiæ libros, opus diffusum atque varium, infinita penè alia edidit. Neq; vbi cum ocium esset, tantum literis operam dabat, sed in mensa quoque legentem audiebat, aut notabat etiam, cum aliud agere eum oportebat, qui lectica quoque vtebatur, vt in via vel legere, vel scribere posset. Et si equo ferebatur etiam inter tempestates ministrum manuleatum in pugillaribus excipere iubebat, quæ ab ipso dictabantur. Intelligendi autem tanto studio tenebatur, vt dum nimis progreditur, incendij, quo Væsuuius deflagrabat causas inspecturus, fumi magnitudine præfocatus, interierit.

De Discoride.

Eadem diligentia atq; industria vsus est Dioscorides medicus, atque equestris dignitatis honore decoratus: qui cũ herbarum petrarũq; vires scriberet, atque insuper animantum atque aromatum species prosequeretur, in eis describendis non leuiter famam secutus est, sed in omnibus graues autores legere, atque magna ex parte eorum omnium periculum facere voluit.

De Diodoro Siculo.

Par studiũ atque industria in Diodoro Siculo fuit, qui triginta annos, dum orbis terrarum historias scribendo complecteretur, consumpsit. Et ne in ijs erraret, in quibus permultos errasse agnouerat, magno suo incommodo, maiorem Asiæ atque Europæ partem perlustrauit.

De Epicteto philosopho.

Mira profectò res, & quæ ante alia, in quibus studium atque

atque industria enituit, efferri laudibus debeat, ea fuit, quã Epictetus philosophus præstitit: nã seruus atque omnium inops, adeò vt vnde fores obseraret pauperis tigurij nõ haberet: his superatis incommodis, permultã in philosophia peritissimè scripsit.

De Plauto Poëtã comico.

Plautus, quem Varro vir doctissimus, adeò elegantèr locutum scribit, vt si Musæ Latinè loqui voluissent, eas affirmaret Plautino ore locuturas fuisse: cum graui inopiã pressus, magnum temporis spacium moleret, vt ita victum pararet, quod temporis supererat, non quieti, cæterum legendo atque scribendo impartiebatur. Quàm credibile igitur est, longè maiora confecturum fuisse, si otij atque opum, quibus alij affluenter abundant, partẽ nactus fuisset? cum in tantis & temporis & rerum angustijs, perpetuò penè labore pressus, de literarum studijs, tàm multa scribendo, benè mereri voluerit.

De Phedone philosopho.

Haud dissimilè Phedonis Elei studium atque industria fuit, qui adolescentulus, cum Athenis in seruitute esset, à domino vt prostaret, in lupanari constitutus: quantum inuinctæ necessitatis turpitudinem vitare poterat, cum Socrate inclusus, philosophiæ operam dabat. In qua re ità egit, vt parto precio, ab ea turpitudine se redimeret, atque inter philosophos doctissimus euaderet.

De Simone Coriario.

Non minus etiam Simonis Coriarij studium fuit, cum ad eius apothecam Socrates persæpe commoratus, de philosophia disputaret, tanta enim Socratem diligẽtia audiebat, atque eius dicta excipiebat, vt quædam de eis, non incompositè, volumina ediderit.

De Cleante philosopho Stoico.

Cleantes quoque philosophus, permagno studio atque industria vsus est, qui cum pugil esset, adeò se philosophiæ studijs accendit, vt cum ob inopiam coëmere in scribendi vsum papyrum nõ posset, quod audiebat, in tegula vel ostracẽ notabat.

De Prothogene Pictore.

In pi-

In pictura Prothogenes, non minore industria, quam alij in literarum studijs vsus est: nam cum Ialisij imaginem pingeret, solo lupino aqua macerato alebatur, vt ita siti fameq; depulsa, minus curando corpori occuparetur, ciboq; perfrico cum vteretur: vaporibus, quibus delicatiores cibi caput petunt, eius in considerando studium, ac ratio minus hæreretur.

De Nicaula Aegypti atque Aethiopiæ regina.

Sed non in viris modò tantùm doctrinæ ac sapientiæ studium fuit, inuentæ quoque (id quod earum sexus perrarũ facit, atque ideò etiam magis mirum) fœminæ fuerũt, adeò intelligendi ardore incensæ, vt neque viarum longinquitate, neque regni, in quo erant magnitudine detinerẽtur, quò minus ad capescendam doctrinam peregrè proficiscerentur: exemplo fuit Nicaula Aegypti atque Aethiopiæ regina, quæ audita Salomonis sapientia, ab extremo orbe in Iudæam iuit, vt eum audiret: & pro eorum temporum more, cum subtilia quædam quæsiuisset, Salomon difficultates eas absoluit. Hoc autem facit, vt minus Pythagoram, Platonemque & Appollonium terrarũ orbem peragrasse miremur, cum hæc & fœmina, & regina, neque sexus debilitate, neque amittendæ dignitatis formidine, deterrita sit, vt discendi studio, tantum terrarum spacium obiret.

De Appollonio Tyaneo philosopho.

Nicaulæ longum iter ad Salomonem audiendum, vt de his quæ dicẽdi studio impulsus, Apollonius Tyaneus Asiaticus philosophus peragrauit, scribere velim, me admodũ inuitat: nam quanquam sexus imbecillitas, vt mira videantur, quæ illa egit efficiat, in Apollonio longè maior & longitudo peregrinationum & laboris difficultas fuit. Is satis non duxit, temporis sui philosophos, in ea regione, in qua ipse viueret doctrina æquasse, Vespasiano, atque post eum liberis imperantibus, mirum in modum discẽdi studio incensus, omnia petebat loca, in quibus aliquid discere se posse intelligeret, neque eum viarum longitudo incommodáue, neq; pericula, aut impendia retinuerũt. Nam vt Brachmanum scientiã haurire posset, Persas, Caucasum ipsum

ipsum Albanosque, ac Scythas atque Massagetas prætergressus, in Indiam penetrauit, denique Physonte amne superato, ad illos ipsos, quos optabat philosophos Brachmanes peruenit. Vbi audito Hiarcha, in his quæ ad naturalē philosophiam atque astronomiam pertinerent, permulta quoque alia ab eo didicit. Inde autem per Elamitas, Babylonios, Chaldęos, Medos, Parthos, Assyriosque, Phœnicas Arabes atque Palæstinos in Aegyptum, omnibus alijs, in omni scientiarum genere doctior regressus est. Sed ne tunc quidem extincta hauriendarum sententiarum siti, in Aethiopiam ad Gymnosophistas, transiuit: vbi eorum principem Thespesionem audiuit, vt ab eo quoque erudiretur. Tunc discendi sibi modum ponens, cum viuere destitit, pane herbisque, ac simul aqua tantum vescebatur, ob id solū vt ingenio ad discendum promptior esset. Paternas autem opes, quæ satis magnæ fuerunt, non stultè quemadmodum Crates Thebanus in mare proiecit (vt expeditius vacare philosophiæ posset) sed parte fratri tradita, quod superfuit pauperibus, qui propinquitate, aut amicitia iuncti essent, distribuit. Itaque minimè mirum videri debuit, si philosophus atque Magus, alios doctrinę magnitudine superaret, adeò vt illa quæ ab ipso fierent, præ admiratione mortaliū mentes caperent, atque ob id eum permulti numen habere crederent, essentque etiam extra catholicè credentiū numerum, qui ea, quæ veluti præstigiator Apollonius supra communis naturæ cursum gereret, redemptoris rebus, verè mirandis, anteferre auderent.

De Anthistene philosopho.

Quanto etiam doctrinæ studio Anthistenes tenebatur! nam cum disputantem Socratem audijsset, ipsius disciplinæ amore captus, ad discipulos, quos ipse habebat conuersus, vt alium præceptorem quæreret, monuit, sibi enim se præceptorem inuenisse aiebat: & cum ita dixisset illis, fortunisque omnib. relictis, vno tantum pallio tectus, Socratē postea secutus est, opibus liber, atque humanis curis, quę eum à studijs auertere possent.

De Lasthenia Mantinea & Axiotea Phliasia.

Pari studio scientiæ arserunt, Lasthenia Mantinea, & Axio-

Axiotea Phliasia, quas Dicearchus scripsit, virilem amictū induisse, vt expeditius Platonis doctrinam sequerentur: minimè à fragili lasciuoq; sexu impeditæ, quò minus cum alijs Platonis discipulis, diligentia studioque proficerent.

De Hipparchia Maronea.

Quemadmodum Thebanus Crates opes cōtempsit, vtpote, Ne discendi, quo tenebatur studium, his impediretur, ita Hipparchia Maronea, & diues & formosa fœmina, doctrinæ capta studio, viros quorum matrimonia honestissimis conditionibus offerebantur, vnà cum opibus spreuit, vt inopem Cratem philosophum sequeretur: quo cum, vt Cynicam sectam planè imitaretur, nudis pedibus orbē terrarum philosophando peragrabat.

RECENTIORA.

De Paula Cornelia.

Inter recentiora exempla Paula Cornelia, Romæ principum genere orta, non ob id tantum clara, quod Hebraicis, Græcis atque Latinis literis plurimū excelluit, sed etiā quod veriorem philosophiam, atq; peritiorē doctorē secuta, relicta patria, in Palæstinam abijt, vt illic Christiana dogmata, quibus nulla maior est philosophia, à Hieronymo, qui illic agebat, audiret. Illicque opes, quas ingentes habebat, ne à cœlestium cōtemplatione abstraheretur, in pia opera distribuit.

De Amalasunta Ostrogothorum regina in Italia.

Amalasunta Ostrogothorum regina, Theodorici Ostrogothorum regis in Italia filia, & Græcè & Latinè eruditissima fuit, distinctèque omnibus linguis locuta est earum nationum Barbararum, quæ in Occidente imperium vnquam vexassent. Et postea mirabimur Cyrum, Mithridatemque, si alter nomina totius exercitus sui militibus reddidit: alter autem duabus & viginti nationibus linguis proprijs, ius reddebat: cum & fœmina, & regina, regni administratione occupata, tam docta extiterit, & adeò varijs linguis loqui nouerit.

De Quinto Asconio Pædiano.

Quintus Asconius Pædianus Grammaticus atque historicus, cum septuagesimo ætatis suæ anno, oculis captus esset,

set, atque ita duodecim annos vixisset, eleganter quasdam historias, diligentia atque industria superato ætatis atque oculorum impedimento, perscripsit.

De Didymo cæco Alexandrino.

Omnium industriam ac studium quos vnquam legerim Didymus Alexandrinus superauit, qui amisso oculorum vsu, cum ad quadragesimum ætatis annum peruenisset, in Grammaticum, Geometram atq; Dialecticum consummatissimum euasit: nam cum in supputandis numeris, dimensionibusq;, atq; in scribendo aliena vteretur manu, multa subtilissimè scripsit, atq; haud pauca in sacra sciptura commentatus est. Visus est enim Deus hunc potissimum ob id creasse, vt alios omnes experimento doceret, diligentiæ atque industriæ inuium nihil esse, cùm Didymus ea re, quæ ante alias doctrinæ perneccessaria est, priuatus, industria tamen tantùm doctrinæ assecutus fuerit.

De Ioanne Fernando.

Quod per industriam, in Didymo, post amissum oculorũ vsum contigisse certum est, id ætas nostra, in Ioanne Fernando vidit, cuius pater Hispanus fuit, sed ipse in Belgica parte (cui Flandriæ est recentius nomen) ortus, in ea vixit: nam cùm nasceretur cæcus erat, & eam insuper calamitatẽ pauperies aggrauauit. His duobus superatis, quæ permultum doctrinæ atq; musicæ repugnant, Poëta, Logicus, Philosophus, Musicusq; tam excellenti arte atq; doctrina euasit, vt solus memoriter quatuor vocum carmen cõponeret, id quod vix alij scribendo consequi possent. Præterquam, quod alijs musicis instrumentis, tam peritè sonos modularetur, vt audientium aures, non solum suauitate demulceret, sed etiam artificij magnitudine, veluti captas admiratione detineret.

De Nicasio VVerdano Belgico eius partis quæ Brabantia dicitur.

Quod primus visum amisit Nicasius VVerdanus Belgicæ nationis (quæ Brabantia dicitur) incola, & quod idẽ insigni doctrina præditus fuit, duobus superius positis exemplis, à nobis annectetur, in quibus amissis luminibus, quid per industriam assecuti homines fuerint, haud obscurè pater. Imperante enim Federico tertio, in Colonienſi studiorum

rum vniuersitate, Nicasius Canonica atq; ciuilia iura professus est, & in Louanensi gymnasio, Theologiæ peritissimum esse, studiorum præfecti eum censuerunt. Diù sacrarum rerum concionator extitit, & aliena vsus manu, in institutionum interpretatione, atq; item super sententiarum libros multa scripsit, quibus etiã Theologales quæstiones, atque epistolas eruditas addidit.

De Origene Adamantio Alexandrino.

Didymus conciuis, Origenes Adamantius, quanquã magna premeretur inopia, quod paternas opes, catholicæ fidei causa amiserat, sex milia voluminum (vt Hieronymus se vidisse testatur) ingentis doctrinæ scripsit, cũ assiduè septẽ notarios scribẽdo, ac totidẽ additos ei pueros, fatigaret.

De Aurelio Augustino Hipponensi Episcopo.

Immensum quoque Aurelij Augustini Hipponensis Episcopi studium fuit, qui ad septuagesimum annum perductus, orandi, prædicandi, scribendique operam nunquã intermisit: sed tum demum studijs finem fecit, cũ viuere desiit. Itaque minimè mirum fuit eum tanta scripsisse, quanta vix pauci perlegere possunt.

De Ambrosio Mediolanensi Episcopo.

Perrarò ad magnam doctrinã, sine ingenti studio peruenitur, id quod clarè docuit Ambrosius, qui æger ad mortẽ, fenioq; confectus, his duobus absterreri non potuit, quin assiduè aliquid dictaret. Et cũ postremis diebus æger iaceret, Psalmũ quadragesimũ tertium commentabatur, quam commentationem, morte interceptus non peregit.

De Hieronymo Stridonico.

Hieronymus Stridone oppido, in Istria natus, quatuor ecclesiasticorum doctorũ vnus, ceu alter Plato, aut Pythagoras, doctrinam per totum terrarum orbem secutus, Syriam, Iudæam atque Aegyptum peragrauit, vt ea oculis suis prius lustraret, de quibus postea scripturus erat, superatisque quas natura obiecerat difficultatibus, vt expressius Hebrææ Babylonicæq; linguæ stridores, verius quàm voces pronunciare posset, lima diminui sibi anteriores iussit dentes. Et tandem cum Græcè, Hebraicè, Babylonicè, Syrè, atq; Latinè calleret, ac ad purum linguarũ summũ per-

ueniſſet, omnem ſcripturam, quam ſacram religio Chriſtiana appellat, in Latinum vertit ſermonem. Cuius tradu ctionis elegantia, atq; veritas, omnes antè eum factas traductiones excluſit: nã ſtatutum fuit, vt Hieronymi ſola tra ductione, Catholica vteretur eccleſia. Itaque ſi Ennius, quod tribus vti ſciret linguis, vt A. Gellius tradit, trium ſe cordium hominem iactabat eſſe, multò verius, quinq; Hieronymum habuiſſe corda fatebimur, cum quinque optimè calluerit linguas.

De Andalone Negrono Genuenſi.

Magnus quoque Genuenſis Andalonus, Negrona gente ortus, rerum inquiſitor fuit, qui cum Aſtronomiam opti mè calleret, penè totum terrarum orbem peragrauit, ob eã rem ſolam, vt climatum locorumq́ue horizontes, veterum normæ ac regulis æquaret, vt omnium earum rerum facto periculo, Aſtronomicæ artis peritior certiorq́ue eſſet: verũ quoniam à ſtudio atque induſtria ſacerdotali ſumus egreſſi, vnius exempli gratia ad eandem reuertemur.

De Aquinate Thoma.

Thomas Aquinas, vitæ ſanctitatæ atque doctrina vir mirandus, ob ea quæ in diuerſo doctrinarum genere luculentiſsimè ſcripſit, ceu alter Ariſtoteles inter Chriſtianos populos habitus, cum Pariſijs eſſet à Philippo Gallorum rege, aut vt Campanus ſcribit, à rege ſancto Ludouico, ad cœnam inuitatus, interim dum rex epulis operam daret, ipſe animo abalienatus, cum ne oculis quidem conniuerer, omnesq́ue præ admiratione in eum cõuertiſſet, percuſſa manu menſa clarè dixit, Aduerſus Manichæos concluſum eſſe: cuius rei, cum ab eo cauſam rex quæreret, atque Thomã vehementioris illius geſtus ſuppuduiſſet, tandem reſpondit, dum ita abſtractus cogitando eſſet, argumentum ſe inueniſſe, quo Manichæis reſpondere iuſſus, eorum dogma penitus euerteret. Quid igitur putare debemus, eum cũ ſtudijs operam daret, feciſſe, cum regis menſæ adhibitus, ab doctrinæ tanta contemplatione, ſibi nõ obtemperauit, quæ quoniã in regibus rarior inuenitur, atq; idcircò magis laudanda eſt, regum exemplis manum apponemus.

De Fl. Iuliano Auguſto.

Iulia-

Iulianus Augustus, non modò doctus verumetiam literarum ac philosophiæ auidissimus fuit, adeò vt per noctẽ, a exercitu aduersus Persas atque Germanos, quanquam negotijs curarum laborumque, quos bella ferunt, magnitudine (quorum nullam partem omittebat) tempora quæ alij dabãt quieti, ipse vigilãs, vel scribẽdo vel legẽdo transigebat, multaque per id tempus Græcè composuit.

De Alphonso decimo Castulonensi rege.

Mirum Alphonsi decimi Castulonensi regis studium atque industria fuit, in qua re priscis illis doctissimis penè equiparãdus videtur: nam quanquam regnorum curis, gerendisque bellis occupata haberet tempora, assiduè tamen studijs operam dedit, in quibus ante alia Astronomiæ deditissimus fuit. In ea verò tantum excelluit, vt tabulas ipse composuerit (opus in ea arte difficillimum) quæ ab eius nomine dictæ, nunc quoque ab Astronomis, in magna existimatione habentur.

De Alphonso Aragonio Siciliæ rege.

Vt in alio virtutum penè omnium genere, ita inter studiosos quoque atque industrios Alphonsus Aragonius Siciliæ rex, locum sibi vendicat: quem non septem regnorum administratio, curæque, non bella ingentia quæ gessit, retinere potuerunt, quò minus rex iam quinquagenarius, qui tot populis imperitabat, literario præceptori se subijceret, ne Latinè loquendi vsu careret, & ne Hispani literarũ experres, Liuiana lectione fraudarentur, ipse Liuium, è Latina in Castulonensem linguam transtulit.

De Ioanne Pico Concordiæ comite, atque Alberto Pio Carpi principe.

Locum hunc dabimus Ioanni Pico Concordiæ comiti, atque Alberto Pio Carpi principi, non tanquam doctrina, aut studio inferioribus ijs, de quibus est scriptum, sed quia tempore posteriores fuerunt, grauem enim iniuriam ætati nostræ fieri putarem, si aut negligentia, aut inuidia omnino præterirentur. Nam planè omnia scribere, quibus per doctrinam atque virtutem excelluerunt, quis possit? cum vterque tantum progressus sit, vt non plus illis inter doctrina insignes viros, quàm soli, inter sidera pares inuenian

tur. Ioannes enim in Italia natus, familia illustri, in magnis opibus, forma insigni (id quod prodigij habendū est loco) quanquam puer postea in tenera iuuenta, nunquam vel ab ocio, cuius similes ei plerunq; nimis amatores sunt: vel à voluptatibus (quibus penè pro piaculo est, nobiles viros ea ætate non esse demersos) à literarum studijs abduci se passus est. Itaque in omni disciplinarum genere, adhuc tener tantum profecit, vt disputando scribendoque, re ostēderit ad summum se omnium scientiarum peruenisse: id quod vix perpaucis etiam in longo senio contigit. Arcana quoque permulta, in sacris, naturalibusque disciplinis, per eum è tenebris in lucem eruta, ceu diuinitus homini illi, ad alios erudiendos infusa videntur. Albertus quoq; & fortuna et opibus, atque generis nobilitate minimè impar, natu minor, parem in literis rationem secutus, viuendo fœlicior Pico, qui iuuentam non impleuit, à Pici meta minimè disiungitur. Qui intestinis discordijs agitatus, quibus rerum suarum parte magna carebat, earum defensionem, quam studia literarum deserere maluit, atque earum artiū quæ à raris habentur (id quod etiam Picus agebat) magno stipendio domi magistros alebat: persæpeque ob nimiam diligentiam, ad dies, noctium totarum lucubrationes adiūxit, ita vt iam mirum definat videri, si vterque ingenium nactus, longè maius, quàm mortalibus plerunq; impartiri natura soleat, tanto studio atque industria, tantum doctrinæ lumen assecuti fuerint. Assequatur etiam nunc Ioannes Franciscus Pici nepos, qui memoria incredibili, in omnibus per patrui vestigia, ad omnes bonas artes via, ceu in paIustri solo, per virtutem sibi munita, non recuperauit modò amissa in patruo, sed etiā maiora restituit, atque ad easdem, filium qui adolescentulus est, manum secum trahit.

DE OCIO. Cap. VIII.

CVm in omni arte, studioq; ociū ita sit homini necessariū, vt currenti animæ, spiritus reciprocatio, ordo exigit, vt post studium atque industriam ocium ponamus. Ocium, in quā, appellātes non desidiā, qua franguntur animi, & corpora in hominibus emolliuntur, sed longi laboris ac cogitationis quandam intermissionē, quæ nō memoriā horum

rum artium, & scientiam aufert, sed eam qua corpora animiq; simul ad nouos labores nouúq; opus prõptiora redduntur. Quam enim ob rem conditor rerum omniũ Deus, in hebdomada septimum quiescere mortales diẽ iussit? nisi vt eo exemplo doceret, post certa spacia, animi atque corporis in labore, interlaxamẽtũ quærendũ esse, ob id præcipuè, vt cum eius cultu operam damus, agendarum pro tot eius meritis gratiarum non immemores simus. Tum postea vt etiam salutari hoc exemplo doceamur, longos labores, vt leuiores fiant intermissione, aliquando oportere leniri, vt per hunc modum instauratis viribus, recentiores animo corporeq́, ad nouos perferendos labores reddamur. De hoc igitur ocio locuturi, Domitianum omittemus, qui sæpè vt vacaret, in cubiculo se condens, muscas captabat: puerile profecto aut potius stultum respirandi interlaxamentum: alios quoque principes tacebimus, qui omissis necessarijs negocijs, turpiter tempora transigebant, sed de ijs tantum mentionem faciemus, qui cum laude ocia necessario tẽpore non spreuerunt.

De Augusto.

Augustus post assiduas curas atq; molestias, quibus necessario propter imperij magnitudinem obsidebatur, interdum vt animum relaxaret, vẽtoso folle se exercebat, aut pilam ludebatur. Verùm postea ingrauescente ætate, talis, aut nucibus, cum Syris Mauriśque pueris ludebat, ex eorum contentionibus risum captans, vt spiritum quo terrarũ orbẽ regebat, permultosque superbosque reges domuerat, publicis defatigatum curis, hoc ludorum genere recrearet.

De M. Antonino philosopho Imperatore.

M. Antoninus philosophus Imperator, diù in imperij administratione curarũ mole, item philosophiæ studiorũ assiduitate defatigatus, lassum iã animum, aut pila aut pictura recreabat: altera enim corpus exercebat, altera immutato cogitandi genere, vnà cum corpore spiritũ renouabat.

De Aurelio Alexandro Seuero Imperatore.

Alexander Imperator, quanquam similiter administrando imperio, necessarias curas non desereret, non tam pictura, aut musica (& si in vtroq; plurimum excellebat) quã

catulorum succularumque concertatione, aut perdicũ cursu, otij sui tempora recreabat.

De Ioanne Euangelista.

Ostendit etiã nobis Ioannes Euangelista, viuentẽ hominẽ in negocijs perpetuò versari non posse, ita, ne aliquando ociũ attingat, itaq; is sæpè cũ perdice ludebat, propter quã rẽ, cũ eum adolescens irrideret, arbitratus parũ cõuenire seni homini, qui sanctimoniæ exemplum atque specimẽ esset, vt ociosus cũ aue animi laxamentũ quæreret, Ioannes pendere arcum ab eius humero cõspicatus, petijt, Vt arcũ redderet, quod cũ egisset adolescẽs, sępiusq; sagittasset: demũ à Ioanne dimissus, arcum remisit: rursus Ioannes remittendi causam quæsiuit: respondente autem adolescente, Arcui funem detraxisse, vt cum vti eo necesse fuerit, quia nimis tẽsus fuerat, sagittationi inutilem non inueniat: tũc Ioannes, Et ego & cæteri mihi similes, honesto ocio interdum relaxamur, vt maioribus viribus, orationi atq; ieiunio sufficere possimus, quod fieri non posset, si semper eodem rigiditatis tenore viueremus.

De Attalo Asiæ rege.

Graue potius quã à ratione alienum prorsus dici poterat ociũ Attali Asiæ regis, qui fundendis ære statuis interlaxare curas, atque ea re fatigatus hortum suum fodere solebat.

RECENTIORA.

De Sarocho Tartarorum rege.

Haud plus in ocio suo rationis, tẽpestate nostra habuit, Sarochus Tartarorum rex, qui Magni Tamburlani filius fuit: is enim vt regni curis defatigatus animũ recrearet, sagittas in arcus vsum, flagellaque manu sua conficiebat, vt ea postmodum in foro vænirent.

De Mahumete Turcarum rege.

Mahumetes quoq; Turcarũ rex, regno lõgè maiore quã Sarochus potitus, cuius ipse maiorem partem armis, atque virtute pepererat, animi gratia pingere aut sculpere solebat: regniq; curis, aut etiã studio, cui magnã tẽporis sui partem impendebat, defessus, hortum colere solebat: nunc rastris fodienda humo, nonnunquam putandis arboribus, fructusque qui ex eo capiebantur, magno studio vendi curabat:

tabat non vt auarus plura cõgereret, sed voluptate captus rum laborum, quos in curando horto pertulerat.

De Ludouico vndecimo Gallorum rege.

Inusitata recreandi animum species illa fuit, qua Ludouicus vndecimus Gallorum rex vsus est: nam cum æger valetudini, cui assueuerat dare operam amplius non posset, per conclauia in quibus morabatur, in mures immittere callos solebat, atq; aduersus papiliones auiculis vtebatur, pro aquilis, quas nunc falcones appellamus.

De Innocentio septimo Pont. Max.

Innocentius septimus Pontifex, prorsus pontificias curas non omisit, & tamen succisiuas horas, quas transigere otiosus poterat, non vt Pius Pontifex, nonnullis; alij studijs dabat, sed persæpè putandis hortorum suorum arboribus impendebat.

QVANTAE SINT ELOQVENtiæ vires. Cap. IX.

QVantæ sint eloquentiæ vires, de Orphæo atque Amphione à Poëtis fictæ fabulæ declarant, cũ syluas atque saxa eos canentes, dicerẽt esse secuta: In quo profectò nil aliud innuere vates voluerunt, nisi illorum vtrunque vi dicendi id assecutum, vt agrestes viros, ad mansuetiorem vitã, & ad colendam virtutem traheret. Idem nunc quoque eruditorum sacerdotum concionibus non inerudimus fieri quis non videt? cum persæpè ab eis persuasos videamus mortales non reliquisse modò, quod haberent sceleris atque vitij, verumetiam è summis opibus pauperiem profitentes, ad religiosorum hominum conuentus, vt innocenter vitam agerent se contulisse. Vt igitur euidentius inspici possit, quę sit facundi hominis vis, insignia quędam exẽpla enarrabimus.

De Epaminunda Thebano.

Magnas eloquentiæ inesse vires, Epaminundas Thebanus ostendit, cũ in totius Græciæ consilio, Lacedæmoniorũ tyrannicam superbiam, tanta facundia lacerauit, vt Græcia, cui Lacedæmones permultos annos præfuerant, eamque in sententiam suam semper traxerant, Epaminundæ oratione mota, tota eos deseruerit: itaque non iniuria quidã

dixerunt, Plus mali Epaminundâ verbis, atq; oratione Lacedęmonijs, quã cũ eos armis apud Luctrã deuicit, intulisse.

De Philopœmene Megalopolitano.

Quamuis ingentes eloquentiæ vires istę putãdæ fuerint, quibus Græciæ Epaminundas persuasit, vt Lacedæmonijs in posterum non subigeret se: tamẽ quia à natura omnibus insitũ videtur, vt seruitutẽ deuitent, atque principatum appetant, fortasse tanti Epaminundæ, quanti Philopœmenis Megalopolitani fieri factum non debere videbitur: nam cõcives suos Megalopolitanos, qui Messeniã profugerant, occupata Megalopoli, à Cleomene Spartarum rege, per insidias scalis vrbem ingresso, hortatus est, ne in patriam tunc redirent: ostendit enim Cleomenẽ sine populo vrbem Megalopolim diutius non retenturum: itaq; si patria aliquod tempus vt carerent in animum Megalopolitani inducere possent, necessariò eam cũ laude recuperaturos esse, in quã, si reditum accelerare vellent, & irrito conatu id moliri contigisset, seruitus eos minimè incerta manebat. Vnus igitur Philopœmenes, totum populum (in quo plerunque plus suorum possidendorum cupiditas, quàm consilium ac ratio valere consueuit) eloquentia retinuit, ne tunc periculosè reditum tentaret: quia, sub patriæ priuatarumque fortunarum desiderio quod proponebatur, fœdissimæ seruitutis venenum latere declarauit.

De Themistocle Atheniensi.

Quod permulti sæpè, licet perperam, pluris pecuniã quã patriam facere solent, forsitan non minus Themistoclis eloquentia, quàm quorumuis aliorum, de quibus est dictũ, valuisse videbitur. Athenienſibus enim persuasit, vt argenti fodinarũ annuos redditus, qui quotãnis inter populos viritim diuidebantur, ad ædificandam classem transferrent: neq; enim parui fuit laboris, auarissimo populo persuadere, priuatis cõmodis suis, publicam vtilitatem anteuertere. Cæterum quoniã hæc militarium virorum exempla, de eloquentiæ viribus sufficiunt, in quibus vis ipsa dicendi, verborum floribus culta vtilior fuit, cum rem sibi coniunctam haberet (Agendo enim fructum ferebant, curam, quæ proponere ac suadere eiusmodi solebant vi) nunc ad philoso-

phorum

horum atque oratorum facundiam transibimus, in quibus, soli flores inesse videntur, dicendi, qui, etsi in eo quod rem olent, permultum gratiæ secum ferant, minus tamen militaris habent, atque publico commodo, eorum opera minus adiumenti afferre videtur.

De M. Tullio Cicerone.

Omnium consensu receptum est, M. Tullium Ciceronẽ, ad dicendo valuisse, vt vnus Romanæ eloquentiæ verus appellari parens, & possit & debeat: atque vnum de eo exemplum proponemus, satis enim in ipsa omnium persuasione testimonij positum est, vt eum in eo foro regnasse, in causis atque in dicẽdo arcẽ tenuisse putemus. P. Rullus, tribunus plebis, agrariam legem laturus populo erat, in qua, cum de dividendis in capita possessionibus ageretur: cui dubium non erat, quin ei populus plurimum inhiaret, & omnia exoraturus videretur, vt lex promulgari posset? eam rem cum Senatus permolestè ferret, neque tamen ad eam impediendam modum vllum haberet, Cicero vnus, habita oratione, adeò populi ipsius mentes permulsit atque permouit, vt vtrò legẽ populus repudiauerit: quid enim hoc aliud fuit, nisi esurienti populo persuadere, vt cibum, quem pergratũ mordicus apprehenderat, iam dentibus commasticatum, in gurgut stomachumque ne recipere vellet? Vnius igitur Ciceronis eloquium, plusquam totius authoritas Senatus, ad impediendam legem effecit.

De Carneade Philosopho.

Romã missus legatus Carneades ab Athenien sibus fuit, quo audito, Censorius Cato senatui suasit, vt citò eũ quorum causa venerat Carneades expediret, eumq; à se dimitteret. Periculosam enim diuturniorem ipsius in vrbe Roma moram arbitrabatur, tanta linguæ ac dicendi vis in eo erat, vt ipso disputante, à vero discerni falsum non posset.

De Cynea Philosopho.

De Cynea philosopho dicere Pyrrhus solebat: plus sibi vrbium illius lingua, quam armis suis partum esse: ò eloquentiæ vires immensas, cui Pyrrhi vigor, virtusque Hannibali, Scipionique ipsorum confessione anteferẽdus, Pyrrhi ipsius testimonio cesit.

De

De Tyrtheo Poëta Athenienſi.

Illaturi arma Meſſenijs, propter violatas virgines ſuas, Lacedæmonij, ab oraculo Apollinis moniti, opem ab Athenienſibus petierunt: à quibus irriſi, nil aliud quàm Tyrtheum poëtam, iſchia debilitatũ, ſenẽq; retulerunt. Lacedæmones autem, vt oraculo parerent, exercitui Tyrtheũ ducem præfecerunt: illatis autem armis, cũ repulſi eſſent, domumq; reuerti rex decreuiſſet, Tyrtheus carminibus quibuſdam recitatis, quibus ad virtutem conſtantiamq; Lacedæmones hortabatur, atq; conſilia quibus bellum gereretur proponebat, adeò omnium commouit animos, vt mutata ſentia, vel vincere vel in acie occumbere, decreuerint: Itaque alijs abiectis, vnius ſepulturæ cura ſuſcepta, omnes, lacertis ſuis inſcripta ſua atque parentum nomina alligarunt, vt ſi mori in prælio cõtigiſſet, nominis inſcriptio, deformata vulneribus & tabo corpora diſtingueret, vt à cognatis ſepulturæ mandarentur.

De Obed Propheta.

Tyrtheus Lacedæmoniorum ignauiam, ad virtutẽ tranſtulit: at Obed propheta, iræ incendia compeſcuit, & ad clementiam conuertit: nam cùm Phaceas Iſraẽliticus rex, Achaz Iudæ regem bello viciſſet, ac fœminarum atq; puerorũ, alteriusq; turbæ Iudæorum circiter ducenta milia captiua duceret, ei Obed occurrit, adeoq; blandè agendo, orando, monendoq; profecit, vt ex immani ſuperboque (ita enim victoria homines facere ſolet) in ſummam clementiã demulceret. Impetrauit enim, vt non ſolũ captiui liberarentur, verumetiam, vt qui amiſsis omnibus nudi erant relicti, veſtirentur. Sed iam ad recentiora tranſeamus.

RECENTIORA.

De Leone primo Pontifice.

Leo primus Pontifex, Valentiniani Iunioris Imperatoris ſuaſu, ad Padum profectus cum Attila ad Gubernum oppidum in colloquium venit: eum qui Hunnorum rex erat, ab vltima Tartaria (Scytharum ea gens eſt) profectum, nec Alpes, nec munita loca, neque arma auertere potuerant, quò minus in Italiam Veronam vſque deſcenderet, magna Romano imperio clade illata, cui toti internicionem minitabatur:

batur: cum eo autem dicendo adeò profecit Leo, vt perciderit sibi Attila passus sit, vt in Vngariam regredi vellet, neque iam vltra Romanum imperium infestaret. Dicēdo nam plus Leo, quàm totius imperij vires armaq; profecit.

De Zacharia Pontifice.

Non minus se eloquentia Zacharias Pontifex, cum Rachiso Longobardorum rege ostendit profeciſſe, quàm cum Attila Leo ageret: nā cum Rachisius, magnis viribus Perusiam vrbem obsideret, ad eum in castra Zacharias, cum pauci profectus, verbis assecutus est illud, quod maximo exercitu efficere difficillimum erat. Nam non solum eum impulit, vt vrbis obsidionem solueret, verumetiam dicendo vitæ præsentis vanitatem, præmia pœnasq; futuras, eius animo impressit, vt tradito Aistulpho fratri regno, ipse monachalem ordinem Romæ profiteretur. O eloquentiæ ingentem vim, de Barbari regis manu arma conuellere, atque vt regno cederet persuadere, pro quo parādo, multi nō solum mille discriminibus vitam obijciūt, verumetiā Deū ipsum omnium rerum opificem, offendunt.

QVANTVM HABEAT MOMENTI VENVSTA ACTIO ATQVE PRONVNCIATIO. Cap. X.

COmmoda pronunciatio, concinnusque corporis motus, adiecta aliqua exteriori re, cum oculis illud infigat, quod per verba aures accipiunt, quantum ad mouendas hominum mentes momenti habeant, sequentibus exemplis ostendetur: quanquam vel sola Demosthenis authoritas, satis clarum illud feciſſe videatur, cum interrogatus, In quo dicendi maior vis esset: ter, In pronunciatione, respondit: idque experiendo declaratur, qui actus mouere affectus solent & lachrymas extorquere, quæ alioquin non manarent.

De M. Manlio.

Marcus Manlius, à Q. Capitolino affectatæ tyrannidis accusatus, cum populum alloqueretur, & lachrymās Capitolium ostenderet, quod à Gallorum armis defenderet, adeò actione aspectuque illum mouit, vt quamuis crimen pateret, tamen vt Marcum damnaret, adduci nunquā popu

lus

lus potuerit, nisi posteaquã causæ actio, aliò traducta fuit, vnde aspici Capitolium non posset: adeò enim in omnium mentibus actio efficax ad cõmiserationẽ cõposita, recénsq; publici beneficij memoria, cum corã locum ostenderet, in quo beneficij eius vestigia videbantur, impressa esse valuit, vt atrocis criminis præsens nota obfuscaretur, atque ex populi animis dilaberetur. Mutatione autẽ loci, cũ mẽs quoque, vnà cum loco mutata in populo videretur, ab omnibus dãnato M. Manlio, palã ostẽsum est, quãti esset in oratore momenti, actio commodæ pronunciationi cõiuncta.

De M. Antonio.

Occiso C. Iulio Cæsare, cũ percussores fauentẽ Senatũ haberent, & iam in Senatu, nõ modo nulla de puniẽdis fieret mentio, sed de remuneranda tyrannicidarũ virtute sermo haberi cœptus esset, Marcus Antonius cõsul, qui postea Triumuir fuit, cũ L. Pisonis opera, delatũ esse in forum Cęsaris corpus, atq; ad eũ spectandum occurrere populũ videret, concionabundus, Cæsaris ingentes præclarè res gestas, atque liberalitatem cõmemorare cœpit: cõuersus indè ad commiserationem, quod tantus vir à suis indignè peremptus esset, Cæsaris prætexta, sanguine perfusa, atq; item cærea imagine ei persimili producta, vulnera ostendere, ac simul composita ad id, actione lachrymis plena, inter suspiria connumerare cœpit: quibus rebus, adeò populi animos ad commiserationem mouit, vt Bruti ac comitum eius virtutis, item partæ per eos libertatis oblitus, impetu facto, ad percussorum domos incendendas occurreret: itaque Bruto Cassióq;, ac ceteris percussoribus ab vrbe abeundum fuit. Marci igitur Antonij lingua, id egit, quod nullis armis tũc assequi potuisset: tantũ enim aberat, vt pellere eos posset, vt vix resistendi spes ei certa relinqueretur.

De Seniore Catone.

Quod Marcus Antonius, in Cæsaris percussores, id Cato Senior, ad delendã Carthaginem antè egit: nam vt Senatum populúmque Romanum, ad suscipiendum tertium Punicum bellum moueret, plus oratione sua ostensáque ei cu profecit, quàm ante Hispaniarum Saguntíque, itẽ Trebiæ, Thrasymeni, ac Cannarum, commemoratæ clades fecerant;

rent: anxius enim, ne iterum vrbi Romæ Carthago exitium moliretur, in Senatu ficũ recenter ab arbore decerptã, ostendit, & cum peteret à Senatu, Sciri, ne posse putaret, qua die, ab arbore esset decerpta? cum omnes, Recenter decerptam dicerent: affirmauit, Nondum tertium excessisse diẽ, cum in arbore Carthagine penderet, & tridui via, propinquos populum Romanum adeò infestos habere hostes: quibus verbis, ficuque ostensa, super tãta re experrectus Senatus Populusq; Romanus, cum id iam agnoscere se ostenderet, quod ante tot cladibus affectus intelligere noluerat, suscepit tertiò adnersus Carthaginenses bellum, Carthagineq; euersa, hunc sibi timorem, hocq; à Catone declaratum periculum exemit.

De Scorio Dacarum militari Duce.

Pari arte, sed ad diuersam rẽ, Dacas mouit Scorio etiã mi litaris dux: nam cũ dissidentibus inter se Romanis, Dacas imminere bello in eos mouendo, videret, fretos, quia discordes inter se Romani, faciliorem de se victoriam præbituri, viderentur, ipse magnis rationibus illud improbabat. Cũ autem satis orationem esse, vt Dacas moueret, non arbitraretur, in consilium, duos ingentes canes ferosq; adduci iussit, qui vt soluti fuerunt, statim tanquam inter se cõmissi, mordicus certare inter se cœperunt: nec multo pòst, lupum quoq; adduci curauit, quem, vt canes inspexerunt, nihil morati, omisso prælio quo inter se concertabant, concordes lupum ambo petierunt. Ab ea contentione Scorius sermonẽ iterum orsus, à canum primò, deinde lupi ac canum contentione declarauit, Nihil esse quod facilius Romanorum dimicre contentiones posset, quàm si se Dacarum bello petissent: contra autem fieri posse, si foris quieti finerẽtur, vt inter se ciuilibus armis consumerentur, manu designãs canes quos Dacæ viderant colluctantes Romanos esse, Dacas autem à lupo designari. Itaque ea oratione prudentique spectaculo Dacæ permoti, Scorij consilium sequi decreuerunt.

De Pupieno Imperatore.

Seditionem Romę inter plebem ac milites excitatam, in qua permultum sanguinis effusum est, senior Pupienus Imperator,

perator, non oratione, non imperij maiestate, compescere ex toto, sed ne aliquantisper quidē frenare potuit, quin saxis quoq; ipse petitus est: remedia igitur tantis malis antè nulla inuenit, quàm susceptum infantulum Gordianū seditiosis ostendit, illius infantis aspectu, virtutem, meritaque, ac mortem aui & patris, supplici populo, ac militibus cōmemorās, quibus auditis, omnes statim arma abiecerūt.

De Mario Antherio Oratore.

Marius Antherius orator insignis, vt quemadmodū olim Gracchus, pronūciationē rebus quas tractabat accōmodaret, seruum post terga habebat: siue lētius rem agentem, siue vehementius inuectum vestis contactu monentē, quòd propter nimiam in dicendo attentionem, proprio iudicio diffideret.

De Timotheo Milesio Musico.

Nō Oratoribus modo atque Poētis actio necessaria est, & agendo permagnum affert momentum, verumetiam in Musicis atque cantoribus nisi insit, omnem aufert decorem: nam & pia canentes, depressa mitiq; voce succinentes, lachrymas quoque ab auditoribus extorquent: contrà autem, si ad fortia se conuerterint, totum commouent hominem, & ad ardua magnáque tentanda compellunt. Huius rei Timotheus Milesius exemplo est, qui cum Alexādro Macedoni, Homericos versus, de Achille canens recitasset, adeò incendit eum, vt arma peteret: cæterùm ab eodem postea voce in remissum carmen conuersa, Alexander repetita mensa, totum se immutauit.

RECENTIORA.

De Gregorio nono Pontifice.

Quanquā inter recentiores viros permulti fuerint, qui eloquentia excelluerunt, quos credibile est, actionē facundiæ accōmodauisse, tamen quia de eis perpauca scripta fuerunt, nos quoque pauca dicemus. Primumq; Gregoriū nonū citabimus, qui, cū populū Romanum inclinare ad Fridericum Imperatorē, postremis temporibus cerneret, neq; alia resistendi ratio esset: apostolorum Petri & Pauli capita cœpit, & lachrymabili voce, sanctorum reliquias, populo commendās, ita omniū animos immutauit, vt qui ante

rebelles

bellesque atque hostes erant, pro eo in Fridericum arma caperent.

De Laurentio Ridolpho Florentino.

Non minus Laurentij quoque Ridolphi Florentini pronunciatio atque gestus effecit, cum pressus armis Philippi Mediolanensis Ducis, Florentinus populus sæpius incassum à Venetis opem petisset: is enim vltrò, nullo publico nomine, Venetias profectus, posteaquàm in Senatu facunda multa, de populi Florentini periculo disseruit, in peroranda oratione, tanquàm irarum & desperationis plenus, turbato vultu, turbataque voce hæc subiunxit: Culpa vestra Veneti, superiore anno Genuensis populus, cũ diutius Philippi ducis arma sustinere non posset, dominum accepit atque vrbis suæ libertatem illius iugo subiecit: eum nos quoque hoc anno regem faciemus, sequenti autẽ, vos eum imperatorio diademate ornabitis: atque ita dato tergo Senatu egressus est, cuius verba actioque, quorum desperatio causa esse videbatur, plusquàm superiorum oratorum consilia valuerunt: Veriti enim Veneti, ne desperatione acta Florentina ciuitas, in grauem aliquem casum se demitteret, inito cum ea fœdere, iunctisque armis. Philippi impetum compescuêre.

De Francisco Marchesio iureconsulto & Genuensium oratore.

Mediolanensis Ducis mentio facta, apud me singularis tui recordationem renouauit, qua vsus est Franciscus Marchesius iureconsultus, à Genuensibus ad Galeatium Mediolanensem Ducem orator missus: Galeatius enim, eo tẽpore, rerum in Genua vrbe potiebatur, sed vrbs illa, eum liberis admodum conditionibus principem agnoscebat: qui tum redigere ad eam seruitutem Genuenses niteretur, in qua trans Apeninum Mediolanum, atque alias habebat vrbes, animi inter ipsum, ac Genuenses exarserant: cũ autem Genuensium ius ostenderetur, ad Galeatium Franciscus Marchesius esset missus, & difficilẽ ad Galeatiũ haberet aditũ, die qua sancti Ioan. sacra celebrabãtur, Frãciscus Galeatio munus Basilicæ herbæ, vas plenum, misit: Dux ergo Frãciscũ quia eũ nõ imprudentẽ hominẽ norat esse, statim ad se acciuit, vt missæ eius herbæ causas intelligeret: Franciscus

ciſcus omiſsis ijs, quæ à Genuenſibus mandata erant, paucis explicuit. Ego princeps Genuenſium ad te orator veni & cum in ea vrbe natus, atque educatus eos agnoſcam, tibique vera ſeruitute addictus ſim, volui vt Genuenſium ingenij notitiam haberes: eorum enim natura Baſilicæ herbæ perſimilis eſt, quæ leuiter tacta, ſuauem perfundit odorem grauius autem attrita, ſcorpiones procreare dicitur. Herbæ illius parabola, cui Genuenſium natura ſimilis dicebatur eſſe, cuius arbuſtum coràm Galeatius habebat, adeò principis illius animum mouit, vt qui antea rationibus nullis flectebatur, tum ſeipſum cohiberet, & tanquàm qua antea in re dicta fuerant, auribus tantum accepta, eum vltrà nõ moueſſent, tunc etiam vidiſſe ſe ratus, quæ in Genuenſium re dici cogitariq́ue poterant: veluti duplici freno cohibitus ſubſtitit, neque vltrà eſt progreſſus.

De Roberto Licienſi minorum ordinem profitente.

Robertus Liciẽſis, qui Minorum ordinem profitebatur, & qui ſine controuerſia inter ſacrarum rerum concionatores, ætate ſua principatum obtinebat, in patria ſua apertè oſtendit, quantas in dicendo pronunciatio vires haberet: rogatus enim à conciue: Vt eius filio ſacerdoti, quoſdã ſermones ex ijs quos eo anno ornatiores habuerat, dare vellet. Cum ei morem geſsiſſet, poſteaquam pater filium eos recitantem audiuit, arbitratus neque efficaces ad rem, neq; ornatos eſſe, cum Roberto grauiter queſtus eſt, ſe ab eo eluſum, quod non eos ſermones, quos ipſe antea ingenti laude ſua, ſingulariq́ue audientium attentione pronunciauerat, ſed alios deteriores dediſſet: cui Robertus, aliter nunquam ſatisfacere potuit, niſi poſteaquam ipſe denuo eoſdem pronunciauit. Egit enim, vt amicus experimento intelligeret, ſermones ipſos, eoſdem & in filio, & in ſe ſemper fuiſſe, ſed veluti in muſicis idem carmen, in diuerſo inſtrumento magiſtroq́ue, ſic eundem ſermonem, ab alio pronunciatum varium etiam atque diuerſum videri. Licienſis igitur ille, quod ex filio auditũ vehementer dãnarat, à Roberto cum denuo accepiſſet, mira delectatione affectus eſt.

QVAM INGENTES SINT QVARUNDAM ARTIUM EFFECTUS, Cap. XI.

Operæ-

Operæpreciũ est inspicere effectus ingentes, quos nonnullæ artes prodiderũt, vt ex eo intelligatur, quãtum industria atque diligentia possit: quod quoniam exemplis melius, quàm dicendo declarari potest, omissa longiore oratione, ad ea descendemus.

De Hippocrate medico.

Ingens medicinæ artis Hippocrates experimentum ostendit, cum ex aëris intemperie, pestem ab Illyrico venientem agnouit, atque ad vrbes Græciæ diuisos discipulos misit: omnibus enim, qui remedijs eorum vti voluerunt, mirandum in modum salutem restituit.

De Asclepiade medico.

Mirandus quoque effectus is fuit, quem Asclepiades Prusiensis, in medendi arte præstitit. Nam cum solus animadvertisset quendam, qui pro mortuo ad sepulturam efferebatur, verè mortuum non esse, subsistere eos qui illum esse dicebant iussit, veræque ac pristinæ valetudini hominem restituit.

De Herophilo Cleophante medico.

Herophilus Cleophãtes medicus, similiter vt Asclepiades, ad vitã restituit quendã, pro mortuo vt sepeliretur elatum.

De Thalete Milesio.

Magnos astrologiæ effectus esse Thales Milesius ostendit, cũ increpitus, quod eius artis quæ inutilis haberetur, ni mis studiosus esset, se minimè inutili rei operã dare declarauit, si eius apud se fructuũ lucrum, & non sciẽtiæ ipsius voluntatẽ esse vellet. Nã cũ ex Astrorũ inspectione, sequenti annum, oleis vberrimum fore perspexisset, venditores præoccupauit, diũ ante olearũ eius anni fructibus emptis, quod haud admodũ grandi precio assecutus est, quod aliquot annos ante, sterilis olearũ fuerat prouentus. Itaq; cũ vir ipse præuiderat, eo anno copiosæ oleæ, posteroq́ue infœcundæ iterum fuissent, ingens lucrum ex coëmptis cõsecutus, apertè ostendit, quantum ex ea arte consequi possent, qui struendis opibus operam dare cupiunt.

De Iuda Esseo.

Mira quoq; certitudo atq; experientia diuinãdi, in Iuda Essæũ, Hierosolymarũ Esseo fuit. Nam cum præuidisset

diem, locumque, in quo Aristoboli Iudæorum regis frater, Antigonus, occidi debebat, & eo die prætergredientē tem plum videret, sciretque, discipulis à se significatum, eo die Antigonum interfectum iri, in Stratonis turri, quæ plusquàm sexaginta stadia à Hierosolymis aberat. Neque iam fieri posset, vt eo die illic Antigonus esset, addubitare cœpit, quorsum ea res euasura esset. Cum interim ei nunciatur, in regia Hierosolymis locum esse, quæ Stratonis turris nominabatnr, & in ea Antigonum interfectum esse, cuius loci nomē cum Iudam lateret, de Antigoni mortis loco ad dubitabat, quanquàm diuinandi artem veram esse sciret, vt res ipsa docuit: cum neque in tempore, neq; in loco, sed in sola interpretatione loci erratum esset.

De Posthumio Augure.

Cum apud Nolam L. Sylla esset, vt cum seniore Mario decertaret, perturbato admodum animo, quod rem perdifficilem animaduertebat esse, augur Posthumius, qui eo præsente rem diuinam faciebat, tensis ad Syllam ambabus manibus dixit, Vt vinciri eum iuberet, ac postmodum occidi, nisi eius prælij penes ipsum victoria maneret, fœlicemque euentum nanciscerētur: ex eo quod tunc augurali scientia præuidere iussus erat. Postero enim die vrbem Romam ingressus Sylla, inde Marium expulit, animumque vt optauerat, explenit.

De Trasyllo Mathematico.

Non minus quoque verax Trasylli Mathematici experimentum erga Tiberium fuit, cum is ab Augusto vtirico Rhodum relegatus, haud parùm saluti suæ timeret, nā cum eo iuxta mare deambulans, enixè vt meliora sperāret, hortabatur: cum Tiberius cōtra sentiret, atq; parum abfuisset, quin, vt erat ira succensus, in mare præcipitem daret, increpitans attrocibus verbis, Trasylli artem falsam esse. Tūc enim Trasyllus aliquantisper constitit, conuersisque ad mare oculis, vt Rhodum versus venientem vidit nauem, tanta eum artis suæ fiducia cepit, vt affirmare auderet, ea naui fœlicia Tiberio afferri. Nō multo aūt pòst, naue in portū delata, literas ab Augusto Liuiaq; Tiberius accepit, quibus Romā reuocabatur, vbi imperij ipsius fundamēta iacta fuerūt.

De

De Metoposcopo.

Metoposcopus, qui inspecta fronte, prædicere inspecti hominis fortunam solebat, à Narciso Claudij Cæsaris libero deductus, vt Britannici filij fortunam inspiceret, vt vidit eum, negauit imperaturum esse, euentusque verũ ipsum dixisse ostendit, quia ante Claudium Britannicus desijt. Et cum iuxta eum vidisset Titum adhuc puerulum, manu eum designans dixit, Illum quidem imperaturum. Neque id eum fefellit, siquidem post quinque principes, ei imperium contigit.

De Asclepiade Mathematico.

Accusatus Asclepiades mathematicus, quod Domitiani Cæsaris mortem prædixisset, ab eo interrogatus, Si id egisset? Ita se fecisse, non negauit. Cum autem de morte quoq; sua, qui aliorum prædicebat fatum, à Domitiano rogaretur, respondit, Breui se à canibus laceratum iri. Itaque cum suo dictũ experimento confutare Domitianus veller, interimi eum iussit: atque profunda fossa tumulari, super inposita præterea magna telluris vi: sed haũd longè res abijt, cum magnis imbribus ab Asclepiadis tumulo dilapsa humo, nocte vt is dixerat, à canibus erutus ac dilaniatus est, miserando exitu id de se firmum esse testificatus, quod non multo pòst, Domitiano quoque, vt ipse prædixerat contigit.

De Adriano imperatore.

Adeò Mathematicarum & diuinandi peritus fuit Adrianus imperator, vt quotannis Calendis Ianuarij scriberet, quæ toto anno sibi euentura essent. Eo igitur anno, quo è vita excesit, vsque ad mensem tantum scripsit, quo decessurũ se, se mensem illum, non transgressurũ esse ostẽdens.

De Germano Augure.

Cum imperante Tiberio, iuxta palatium Agrippa in vinculis, ad arborẽ teneretur, insigni amictus veste, vt eius fortuna ferebat, Germanus augur, qui in vinculis etiam tenebatur, cũ suprà Agrippæ caput in arbore cui alligatus erat, bubonem vidisset, à custodibus, Quis is esset? postulauit: cum autem ei custodes illius fortunam narrassent, ita egit, vt in propinquo ei alligaretur, vt commodè alloquendi co

pia esset. Itaque ei vicinior factus, blandis verbis ipsum solari cœpit, atque affirmare, præsentem vinculorũ iniuriam euasurum, ac Iudæorum regno fœliciter potiturum: item liberos quibus regnum relinqueret, procreaturum, sed si in posterum capiti suo iterum eiusmodi auem impendere vidisset, sciret morti se propinquum fore. Non multo pòst, Tiberium mori contigit. Caligula autem Tiberij successor in cuius contumeliam Agrippa cathenis vinctus fuerat, eũ liberauit, atque Iudæorum regem constituit, qui postea in Cæsarea vrbe, cum eiusmodi auem conspexisset, in ægritudinem incidit, in qua dolorum magnitudo ei vitã ademit: regnumque liberis, quemadmodum augur prædixerat reliquit. Sed iam mathematici cedant, & aliquot Magorum exempla proferamus.

De Ianne & Mambre Aegyptijs magis.

Non minus efficaces in magica arte effectus Iannes atq; Mambres Aegyptij ostenderunt, cum coram Pharaone (is enim Chencrees Aegyptius rex fuit) diuinum numen, quo Moyses vtebatur, prodigiorum magnitudine ausi lacessere, vt virgæ quas habebant serpentes viderẽtur, atque vt aqua cruentaretur, nascerenturque ranæ fecerunt.

De Simone Mago.

Nónne prodigium illud ingens fuit, quod magica arte, Simon Samaritanus effecit, quemadmodum Ambrosius in Hexemerone, atque Clemens Pontifex in Itinerario testatur: qui præter eius artis mira permulta, quibus cum apostolo Petro contendit, dum vt aliud pro alio appareret, persæpè effecit, pennis per sublimè haud paruum spacium, in volantis speciem vectus est.

De Apollonio Tyaneo philosopho, & de Brachmanibus Gymnosophistis.

Omnia alia Magorum præstigia, de quibus scriptum est meo quidem iudicio superata sunt, ab ijs quæ Apollonius Tyaneus gessit: apertè ostendens, quantum magicam calluit artem, & si assiduè eam se ignorare affirmabat. Nam præterquàm quod plurima prædixit futura, quæ ita vt prædixit euenerunt, cęcos, claudos atque ab immundis spiritibus vexatos sanauit, Ephesum quoque vrbem, grauí peste laborãs-

laborantem liberauit, ostenso eis mendico sene, turpique, quem à populo lapidari iussit: qui postea lapidum congerie detracta, canis effigiem habere inuentus est: quem ipse dæmonem esse affirmauit. Postremò autem cum in palatio publicè custodiretur, apud Domitianum accusatus, ab eius conspectu euanuit, atque Puteolis eo die inuentus est, quò comitem suum præmiserat, atque vt illic se exspectaret, mandarat. Qui etiam imperante Nerone, cum in Tigilini manu libellus esset, in quo eius excusatio continebatur, prodigiosè effecit, vt apertus liber nulla in parte scriptus inueniretur: Nō minora etiam perfectę illius artis signa fuerunt, quæ idem Apollonius in India apud philosophos Brachmanes se vidisse asserebat, quos arbitratu suo, & pluuias inducere, atque serenitates aiebat, conuiuia quoque, vasis epulisque apparatissima struere, id quod sibi ab iis factum affirmabat. Cum tamen qui apparando conuiuio, ferendis mutandisque ferculis ministrarent, nulli conspicerentur: quin etiam terram ipsorum arbitrio, ingenti motu tremere aiebat. Idem quoque vidisse se apud Gymnosophistas in Aethiopia confirmabat, qui arbores vt ad lumum se inclinarent loquerentur que, efficiebant. Sed ne prodigiorum magnitudo, fastidium lectori afferat, si diutius in ea commoraremur, ad pictores sculptoresque transeamus.

De Apelle pictore.

Apelles pictor insignis, etiam cum viueret Alexander, Ptolemæo inuisus, postea aduersa tempestate Alexādriam delatus, per contemptum, cum ignotus esset, vt cum Ptolemæo cænaret inuitatus fuit. Cum autem Ptolemæus eius esset rei ignarus, atque Apelles in conclaui cum alijs veniisset, à Ptolemæo toruè interrogatus quamobrem illuc se contulisset? Inuitatum se dixit: & cum inuitatoris nomen ignoraret, statim apprehenso carbone, in muro illius formam qui eum inuitarat, ita signanter expressit, vt is à rege cæterisque quis esset agnosceretur.

De Prothogene pictore.

Quàm insignem fuisse Ialisij imaginem à Prothogene pictā putare debemus? Cū eius gratia Demetrio Rhodū nō

succendit, ne simul Ialisij imago corrumperetur: tãti enim eam fecit, atque eius potiendi tanto desiderio exarsit, vt dũ ea potiri studet, potiri Rhodo postea nequiuerit.

De Lysippo.

Diù in Capitolio seruatus æneus canis, Lysippi opus, vsque ad Vitellij tempora perdurauit, cũ ciuilibus discordijs, incensum fuit Capitolium: is in lingentis vulnus speciem formatus, adeò proprius & viuenti similis erat, vt cũ ij, quorum curæ ac fidei res in Capitolio positæ credebantur, pro cæteris rebus, pecunia populo cauerent, pro canis statua, vitam desponderent: adeò magni populus Romanus, per id tempus ænearum statuarum copiosus, eam rem faciebat, vt ex cautionis forma, operis mira pulchritudo dijudicari posset. Neque enim obscurum erat illud vnum signum, pluris quàm alia aurea signa, preciosaque permulta, quæ in Capitolio condita erant populum fecisse.

De eodem.

Idemque effinxit statuam, cui ordinariæ nomen imposuit. Res ipsa: ei enim, dimensiones atque lineamenta dedit quæ natura legibus suis corpori attribuere potuit. Ab ea postea cæteri pictores, statuarijque, veluti à normæ simulachro mensuras cœperunt, cum Lysippus vsque ad id tempus primus fuisset, qui arte, arti normam atque regulam adhibuisset.

De Zeusi atque Parrhasio pictoribus.

Mira Zeusis atque Parrhasius, in pingendi arte, ijs cõtentionibus, quas inter se exercuerunt ostendêre. Nam ad vuas quas Zeusis pinxit, aues specie deceptæ aduolarunt, vt eas manducarent: Parrhasius autem, cum pictam in tabula mappam, qua regi pictura, in tabula videbatur, ad Zeusim tulisset: rogauit Zeusis, Vt sublata mappa, tandem picturam ostenderet: sed mox errasse se, magna mappę similitudine deprehendens, Parrhasio primam laudem eius picturæ, concessit. Falsus longè maius fuisse, quod se pictorem Parrhasius, quàm quod ipse aues fefellisset. Sed iam veteribus omissis, ad recentiora transeamus.

RECENTIORA.

De quibusdam Italicis magis.

Magnæ

Magnæ magicæ artis videbantur vires illæ, quibus Italę quędam mulieres vtebantur, cum oblatis cibis quibuſdam humanas mentes ita perſtringerent, vt illis ea, quæ nō erāt eſſe viderentur: quemadmodum à Præſtantio ſe audiuiſſe Auguſtinus, vir ſanctus ſcriptum reliquit: narraſſe enim Præſtantium dicit, ipſius patrem, eiuſmodi maleficijs cibis per has mulieres fortè correptum, ſtatim graui ſomno indormiuiſſe, ac poſt multos dies quorum ſpatio expergiſci nullis remedijs vnquam potuerat, narraſſe ſe, per id tēpus equi habuiſſe ſpeciem, ac ſemper frumenta tuliſſe: addebat etiam portandi tempus locumque, & quo modo tuliſſet: quarum rerum cum poſtea veritas inquireretur, aiebat inuentum eſſe, quod equus, eius ſpeciei, qua Præſtantij pater dixerat, eo tempore, eo loco frumenta eis tulerat, quibus ille dicebat. Res profectò mira, fœminas tantum magica arte datis cibis potuiſſe, vt alteri in ſomnijs, alteri in vigilia, id vt videretur agerent, quod proculdubio nullo modo erat. Vnde meo quidem iudicio, in ijs quæ de ſtrigibus mulieribus dicuntur, haud aliud eſſe dixerim, quam fanaſticum magarum ſomnium, quanquàm ipſis aliter eſſe videatur. Fortaſſe etiam ijs diſſimiles non fuerunt, quæ à Circe fieri dicebātur transformationes: & ſi allegorici ſenſus, eis aliam præbeſent rationem, quemadmodū in puella Aegyptia oſtenſum fuit, cum parentes in equā mutatam ad Hilarionem duxiſſent, quam is breui in priſtinam humanam ſpeciem reſtituit. Cui etiā ſimilis dici poteſt fuiſſe iuuenis ille, qui per magas fœminas in Aſinam conuerſus videbatur, de quo cotam Leone pontifice, Petrus Damianus accuratè cum diſputaſſet, magicæ artis effectū, & non figmentum eſſe aſſeruit.

De Gnidone Bonato Aſtronomo.

Magnos aſtronomicæ artis effectus, Guido Bonatus oſtendit, cum Guidoni Montisferrati comiti, diem prædixit qua ſi Foroliuio egreſſus, aſtu inuaderet hoſtes, eos ſuperaret, atque victoria potiretur: ſed in coxa vulnus acceptuꝝ us eſſet. Atq; vt Guido comes rem certiorē habere poſſet cum eo in eruptione ipſe quoque proficiſci voluit, ac ſtupas oūaque, atque alia, quibus nōdum facto vulneri opem

ferret secum attulit: secutoque pugnæ atque victoriæ euẽtu quem prædixerat, vulnus quoque illatum est.

De Ioanne Guttenbergio Argentinensi.

Omnem mœchanicæ artis effectum, non recentis modo, verum etiam antiquę illud superauit, quod scribendo Guttenbergius Argentinensis ostendit, primum à se inuẽta imprimendarum literarum scientia, nam non solum vno die, imprimendo plura scribere, quam vno anno calamis docuit. Verum causa etiam extitit, vt aucta librorum commoditate, bonarum artium scientia, quæ intermortua erat velut ab orco excitata videatur. Visus est enim immortalis Deus, huiusmodi industriam huic homini diuinitus infudisse, veluti commiseratione motus, quod tantarum doctrinarum volumina, scribendi difficultate perirent, per hanc igitur literarum impressionem artem, præclarissimi autores, & si diu ante fuerũt, tamen Anno salutis quadringẽtesimo ac quadragesimo supra mille, haud iniuria iterũ nati esse dici possũt.

De Christophoro Columbo.

Mirus etiam nauticæ artis, ac Cosmographiæ effectus fuit, quem Christophorus Columbus, natione Genuensis, Anno salutis quadringentesimo nonagesimo tertio supra mille ostẽdit: vno ac triginta diebus, in Indiam à Gadibus per Oceanum profectus, quemadmodum se facturum esse prædixerat, & sæpius coram Ferdinando Castulonensi rege disputaret: ei enim tandem rationibus persuasit, nõ modò posse, verumetiam esse perfacile à Gadibus recto cursu in Indiam nauigare. Quod tamen ante eum nullus ea breuiore via fecerat alius, quanquam perrari quoque illi fuerint, qui per Aethiopiæ littora, ac meridionalẽ Oceanum magno tempore, ingentibusq; periculis, vix ad primos Indiæ fines peruenerint.

DE QVIBVSDAM QVAE ARTE *confici nequeunt*. Cap. XII.

QVædam sunt, quæ nulla arte, nisi per circuitionẽ, aut sortè benè effici nequeunt, de quibus tanquam de ijs quæ ad artem tamen pertineant, & cognita voluptatem afferant, scripturi sumus.

De Prothogene Pictore.

Pro-

Prothogenes, cum diligenter canem pingeret, & sibi ipsi omni in alia eius parte satisfecisset, lassum effingere eum volebat, & cui vndique spumosum os esset: re sæpius tenta ta, cum ars ipsum in eo deficeret, vt tanquam verâ spumam formaret, quæ ad naturalem prorsus accederet, animò perturbatus spongiam varijs infectam coloribus, in canē iratus impegit. Fortè autem eo ictu canis os attigit, atque in eo dum formandi desperatione, totam imaginem se euersu um putat, ceu veram expressit spumam, quam arte nulla ante exprimere potuerat.

De Lysippo.

Eandem fortunam tulit æneum Alexandri signum Lysippi opus, quo mirificè Nero captus erat: nam cum vt speciosius redderetur, inaurari illud Nero iussisset, & tunc de pristino decore videretur aliquid amisisse, detracto auro, longè pulchrius quam ante remansit: quod aurum in concauis statuæ locis, rugosisque partibus vestis relictū, quod nisi offensa statua penitus abolere nequibat, in ea plus luminis & decoris afferebat: quod igitur in tota statua super impositum decorem minuerat, illud ademptum præstitit, quod effici arte posse nemo existimabat.

De Nealce Pictore.

Cum nauale prælium Nealce pingeret, quo Persæ cum Aegyptijs, in Nilo decertauerunt, neque penicillo tam bene assequeretur, vt inter Nili aquas, ac mare discrimen appareret, id ingenio assecutus est, quod ars præstare non poterat: nam in Nili ripa asellum pinxit bibentem, & iuxta Crocodilum addidit, asinum inuadentem, vt deuoraret: cū sciret nullum animal maris aquas bibere, atque in ea regione Crocodilos solum Nilum ferre.

QVOD OMNES ARTIS SVAE *optimi autores ac disputatores sunt.*

Caput, XIII.

QVanquam multis rationibus, magnisque experimentis exploratum sit, omnes artium suarum optimos autores atque disputatores esse, clarius tamen etiam sequentibus exemplis ostendetur.

De Hannibale Carthaginensi.

Cum

Cum Hannibal, in Chalcide apud Antiochum Asiæ regem esset, atque coram eo Phormio Philosophus, vt doctrinæ magnitudinem ostentaret, varijs de rebus copiose disseruisset: postremò eò descendit, vt de militari arte loqueretur, de qua cum permulta dixisset, Antiochus ingenij & facundiæ magnitudinem admiratus, postea quam hominem laudauit, ad Hannibalem conuersus, qui illic silebat, quæsiuit, Quid ei de Phormione videretur? ei subridēs Hannibal liberè respondit: Multos se iam senes deliros vidisse, sed neminem qui Phormione magis deliraret: nam, cum ne tubarum quidem clangorem vnquam exaudisset aut stringi gladium vidisset, se præsente, de militari scientia loqui ausus esset, qui quindecim annos, graui bello Romanos vexasset, totque eorum exercitus ac Consules occidisset: prudenti enim responso illo ostendit, nō omnes omnia scire, solisque rerum magistris, de illis quæ ipsi sciunt, credendum esse, præsertim in arte bellica, quæ solo experimento comparatur.

De Aristophane poëta græco.

Non minus se in arte sua, eruditum Aristophanes poëta ostendit, quàm Hannibal in armis: nam cum à Ptolemæo Philadelpho Aegypti rege, in numerum eorum positus esset, qui disputantes de arte poëtica, iudicaturi erant, cōtra omnium aliorum opinionem, & præter communem populi sententiam, victorem declarauit eum qui minus laudabatur: quam rem, cum rex cæteriq; alij vehementer admirarentur, Aristophanes cum eis bibliothecā ingressus, in veteribus libris multa ostendit esse, quæ disputantes poëtæ, veluti sua in carminibus recitatis vsurpauerāt, & idcircò se eos, pro illis, quæ furto subripuerūt, laude dignos non putasse: præsertim, quòd is pro quo iudicium tulerat, ex ingenio suo ea composuerat, quæ in ea disputatione ab ipso prolata fuerant. Ea enim ratione, sapienter docuit, neq; populum, qui ignarus plerunque est, neque regem, non ad modum peritum poëtam, de ea arte posse æquè iudicare, atque ipse, cuius poëtica sola & propria ars esset.

De Cantore quodam.

Cum Græcus quidam apud Philippum Macedoniæ re-

rem can

gem cantaret, & Philippus quadam in parte modos eius reprehenderet, cantor qui plus se, quàm Philippum, ea in re quæ ipsius propria ars erat, sapere arbitrabatur, respondit, Nequaquam Deo placeat, vt plus quam ego hanc artem calleas: libero enim verbo, plus se de musica arte, quã Philippum scire declarauit.

De Apelle pictore.

Idem in pictura Apelles erga Alexandrum fecit, tabernam eius frequentantem: nam cum interdum de pingendi arte, Alexander verba faceret, ridens Apelles, Vt sileret eũ rogabat: aiebat enim, Cum de ea arte quam ignoraret, loqueretur, à discipulis eum irrideri, qui colores attererent. Ostendens, non à se solum, qui in ea magister erat, verumetiam à discipulis eum superari.

De Lysippo.

Rectè Lysippus pictor, atque sculptor insignis, dicere solebat, Ab omnibus alijs pingi homines vt erant, à se solo, eos fingi vt videbãtur: subtili doctoque verbo ostẽdens, picturam sculpturamque, ad ea extendendã esse, quæ vt oculis conspectæ res apparent, eas ostendunt: & non ad rerum veritatem, quæ non emineat, & discernãtur. Nam pingendi ars non ea est, quæ ipsa res efficiat, verùm repræsentat, vt res ipsæ nobis esse videantur.

De Mathematico.

Cum Mathematicus, proconsuli in Asia seniori Gordiano prædiceret, ad imperium ipsum peruenturum: & Gordianum verbis suis non habere fidem perspiceret, artis suæ libris atque instrumentis, per rationem omnia quæ dixerat probabit: adeò vt fidem apud eum, etiam experimento ipso sibi faceret: etenim omnia vt prædixerat, iuxta tempus designatum euenerunt.

RECENTIORA.

De Aurelio Augustino.

Adeò Augustini nota est doctrinæ magnitudo, vt minimè nouo testimonio egeat, & tamen is doctor, cum gentilium calumnias, sicuti postea fecit, refutare vellet, qui clades in imperio Romano acceptas, nouæ religioni ascribebant, atque eis ostendere, longè plura atque grauiora perpessos

pessos Romanos, antequàm Christus nominaretur, idque historiarum fide atque testimonio probare, ad eā rem Pauli Orosij, cui ea notior erat historia, opem requisiuit, eamq; assecutus, largè ipsa vsus est.

De Origene Adamantio.

Origenes Adamantius, ætatis suæ doctorum hominum facilè princeps, cùm Esaiam prophetam interpretaretur, minimè dedecori sibi esse duxit, ad Hunllum Rabi Hebreū confugere, vt ab eo disceret vbi olim vrbs Ariel esset, iudicium que illius secutus ea reuocaret, quæ ante scripserat: nam quanquam inter Christianos peritissimus esset, magisterque haberetur, in Iudaica tamen historia peritiori in re sua Hebræo, cedere voluit: quem alijs in rebus inferiorem magis quam parem habebat.

De Hilario pontifice.

Cum videret Hilarius Pontifex, in ecclesia ortam esse contentionem, quo tempore Paschatis solennia celebranda essent, & si ipse omnium erat pastor, tamen quoniā in eiusmodi re, arithmetica atque astronomia erat opus, huius rei iudicium, Victorino in Galliæ parte, quæ pro Morinis nunc (vt iam aliquoties ostensum est) Britannia dicitur orto, qui in vtraque illa arte peritissimus habebatur remisit: voluitque vt temporis rationem, quam ipse iniuerat ad diem inueniendum, catholica tota seruaret ecclesia,

De Sixto IIII pontifice.

Propter hanc ipsam controuersiam, Sixtus quoque 4. pō tifex, ex Germania, Ioannem Monte regium, arithmeticū, atque astronomum peritissimum, Romam acciuit. Et quāuis ipse non ob aliam rem, quàm propter ingentis doctrinæ opinionem, ad Pontificatum conscendisset, aliorū doctrinæ in eo, in quo ipse plurimum excellebat, cedere voluit.

De Michaële Attendulo Venetorum militari duce.

Clarè Michaël quoque Attēdulus, omnium Venetarum copiarum dux ostendit, quantum omnibus in arte sua credi oporteat. Cum Francisco Sforcia Mediolanensis populi militari duce Caraugium obsidente, Veneti legati, siue vt vulgo ferunt, Prouisores, eum ad ferendā obsessis opem

mons-

monerent: eis enim respondit: Longè satius ducere, vt Cauuagium amitteretur, quàm vt cum hoste manum conseret, quòd sine magno incommodo, Venetas copias inire prælium non posse videbat. Itaque cùm legati omnino vt irent, vt opem ferret, prius ex scripto obtestatus est, se id facturum, quia iubebatur, & non quòd ita agi debere sentiret: rationesque attulit, propter quas si prælium iniretur, necessariò Venetæ copiæ superarentur: contra autē, si cunctando abstineretur à prælio, vtilius Venetis cōsultum iri. Itaque cùm coactus esset dimicare cum hoste, Venetus exercitus, vt prædixerat, superatus fuit, ipse autem Venetias profectus, ex ijs quæ ante ex scripto prædixerat, eā cladem accusauit. In qua re eius sententia viri prudentis fuisse, & qui longo experimento rectè militarem artem calleret, iudicata est: cum apertè ostendisset, homines armis insuetos, quanquam fieri posset, vt in cæteris saperent, persæpe bellicis in rebus errare.

De Paulo Florentino geometra.

Paulus Florentinus geometra, omnia quæ de arte illa ijs diceret pictura, aut ligneis machinis, vera esse atque necessaria ostendebat.

DE SENECTVTE. Cap. XIIII.

DE senectute scripturi, vt ordo seruetur, longamq; quorundam vitam ostensuri, quoniam ea res experimento magis, quàm argumentis est probanda, non multa ante præfati ad exempla descendemus: si hoc ante monuerimus. Satis dici debere eum vixisse, cui vt benè moreretur contingit: cōtra nimium vixisse eum, qui malè moriatur: ab horum autem numero eximemus Adam, Lamechque, item eum qui alio nomine Melchisedech dictus fuit. Noē quoque ac Mathusalem, atque alios permultos eorum temporum, qui omnes septingentesimum excesserunt annum: ea enim res adeò trita est, vt hoc repetitum necessarium non sit, tum etiam fastidij plenum.

De Moyse atque Aaron fratribus.

Moyses

Moyses propheta centum ac viginti vixit annos, quem per id tempus nullum corporis languorem sensisse, pro explorato habetur: quin potius & colore & pelle se annum quinquagesimum non superasse, oculis atque alijs sensibus pollens videbatur. Frater autem eius Aaron, quãquam viribus imbecillior, centum ac triginta attigit annos.

De Ioiada Pontifice Iudæorum.

Indæorum Pontifex Ioiadas, quanquam iã permultum ætas hominum declinasset, mortuus est cum centum ac triginta annos expleuisset: sed ad proximiora tẽpora venientes, nonnullorum Italorum exempla proferamus.

De Tito Fullonio Bononiensi.

Titus Fullonius, Bononiensis, in Claudij principis cẽsura, dinumeratis ab eo diligẽter annis, ne qua inesset fraus, inuentus est, annos centum ac quinquaginta superasse.

De Lucio Terentino Bononiensi.

Eo censu, quem Vespasianus pater, & Titus filius habuerunt, Bononiæ inuentus est L. Terẽtius centum annos impleuisse.

Item de quibusdam alijs.

Eodem censu, similiter Parmæ tres inuenti fuerunt, centum ac viginti annos attigisse. Item Placentiæ vnus, centum ac triginta, insuperque alium impleuisse. Brixelli alius centum viginti quinque. Præterea eo censu, quo tota Italia censa fuit, apud oppidum Velleiacium in Placẽtino agro, sex inuenti sunt, cẽtum ac decem annos vixisse, quatuor ducentos ac viginti. Et ne mira in viris ætas tàm longa videatur, iam ad fœminas quæ longum æuum vixerunt descendamus.

De L. Tertulla Ariminensi.

L. Tertulla Ariminensis Vespasianorum censu, de quo dictum est, inuenta est, centum ac triginta septem annos habere. Item alia Fauentiæ duos supra centum atque triginta.

De Mima & Valeria Copiola Emboliaria.

Luceia Mima, ludis Romæ cantauit, cum centum annos ageret. Item Galeria Copiola Emboliaria, à Pompeio Sulpitioque consulibus, cùm iam centum ac quatuordecem annos

annos superaret, ludis, qui pro Augusti salute voti erant, rum conducta fuit: quam exploratum erat multò antè, Mario & Carbone consulibus, à Marco Pompeio ædile conductam fuisse.

De Samulla.

Samulla, vt Asconius Pædianus scripsit, mortua est, cum centum ac tredecim ageret annos.

De Augusto.

Mirum in Augusto notari potest, quod cum primus fuerit, qui Imperatoris nomen atque titulum sibi sumpsisset, per ac quinquaginta annos imperium rexit, & post eum, in tanto numero veterum Imperatorum nullus (quanquam, in eis, aliqui tenera adhuc ætate, ad eum honorem ascenderint) in administratione eum annorum numerum implerit, & si inter recētiores quidam satis propè accesserint.

De Simone Cleophe.

Simon Cleophe, secundus Hierosolymarum Episcopus, sub Traiano principe crucifixus fuit, satis robustus, cùm iā centum ac viginti ageret annos.

De Paulo primo heremita.

Paulus primus heremita, Cariotis, siue vt aliud est nomē, dactylis, atque aqua nutritus, nonaginta annos prospera valetudine vixit: & postea cùm vitam egit, centum ac viginti annorum erat.

De Antonio Aegyptio & Cronio.

Aegyptius abbas, qui austerè admodum vixit, integris viribus, ac iuuentæ seruato decore, ad centesimum ac quinquagesimum peruenit annum, atque quinque annis plus eius comes Cronius vixit.

De Narcisso Hierosolymarum Episcopo.

Illi annorum numero viuendo, vndecim Narcisus superaddidit, qui Hierosolymarum Episcopus fuit, imperante Septimio Seuero Augusto.

De Democrito Abderita philosopho.

Democritus Abderites, studiosissimus, atque idem doctissimus philosophus, omnem ætatem contemplando, inuestigandoque consumpsit, solus in magna rerum inopia, vitam ducens: & tamen cētum ac nouem annos attigit, nō

morbo sed longo senio mortuus: quæ res experimento ostẽdit, studia minimè tempora de hominis vita deducere, sed eam incolumem ac longam præstare.

De Galeno Pergameno medico.

Galenus Pergamenus medica arte vir excellens, nos docuit, quantum arte sua posset: semper enim prospera valetudine vsus est, & cum decesit, nullo ante morbo correptꝰ est, ætate vsq; ad centũ ac quadraginta annos producta.

De Apollonio Tyanæo philosopho & Anneo Seneca.

Excesit centum annos, quemadmodum nonnulli scribunt, Apollonius philosophus, aspectu minimè senium fatente: item L. Anneus Seneca Cordubensis saltem centum ac quatuordecim impleuit annos: permulti etiam plus eum vixisse putant, viuendi modestia, & ipse & Apollonius ad eam ætatem perducti.

RECENTIORA.

De Pacomio abbate.

Quorundam de quibus dictum est vitæ austeritatẽ secutus Pacomius, Abbas in Aegypto: nono. Honorij atque Archadij principum anno, decesit: cum iam ad centesimum decimumque insuper annum peruenisset: experimento enim nos docuit, non minus ad extendendam vitam sobrietatem prodesse, quam ad corripiendam officere crapulam: cui illud etiam additur, quod per modestiam, id ipsum temporis, quod viuimus, prospiciore vtimur valetudine, atque morborum molestijs caremus: quibus inter ęgritudines confici solent, qui genio nimium indulgent, & delicatioribus vtuntur cibis.

De Attila Hunorum rege.

Occultum quidem, cæterum iustum semper Dei iudiciũ est, siue præmia, siue pœnas, aut sua, aut aliena manu mortalibus irroget, vel ob aliam causam quæ homines latet, quibusdam longius quàm alijs vitam extendat: quanquam non modo non sobriè viuant, sed inter epulas, ac vina ætatem agant. Itaque persæpè contingit, vt de eis iudicando homines fallantur, quia diuini iudicij profunda intueri nequeant: interdum quoque quorundam corpora, tam robustè compacta sunt, vt quamuis eos in viuendo temperantia nulla

nulla tueatur, tamen minus robustos, qui modestius vitam ducunt, viuendi longitudine excedant: quos credibile est longius victuros fuisse, si vt corporis viribus magis valebant, plus etiam studij, vt temperantius vitam agerent elaborare voluissent: vtriusque rei exempla, in Attila Hunorum rege perspecta sunt. Hic crudelitate insignis, anno salutis quadringentesimo quadragesimo quinto decessit, cum annos ætatis suæ, cētum ac quatuor & viginti implesset: tam diu fortasse Dei numine seruatus, vt corruptos imperij mores, posteaquam leniter non corrigebantur, Attilæ sæuitia mulctaret.

De Gartio Aretino.

Vixit Gartius Aretinus, vsque ad annos centum ac quatuor, prospera semper vsus valetudine, decessitque nullo ante affectus morbo qui appareret: nisi quod aliquantisper debilitatas vires sentiebat, quemadmodum Petrarcha scripsit reliquit, cui Gartius paternus fuerat proauus.

De Richardo.

Scribit Guido Bonatus Astronomus ingentis doctrinę, salutis anno ducentesimo vigesimo tertio, supra mille, hominem à se visum, nomine Richardum, qui se cum Carolo magno stipendia fecisse dicebat, & iam quadringentesimū annum vixerat.

De Ioanne Tampes Equite Gallo.

Ioānes Eques Tāpes loco Gallico ortus, qui & ipse, cū Carolo magno militauit, cū iā vnum et sexagīta, supra trecētos annos vixisset, imperāte Cōrado II. salutis anno supra mille cētesimo quadragesimo sexto, decessit. Eius itēq; aliorū (de quib. est dictū) exēplo, satis intelligi potest, nulla re certius mortē accersiri, quā senio: nā aduersa valetudo, vt grauis sit, persæpè tamē curatur, incendia cōprimi possunt, ne homines ac alia absorbeāt, ruinis occurri potest vt lētius agant, mare quos absorbet, nonnunquā viuos adhuc reuomit, carnificem sæpe à cæde, vel imperium reuocat: sed senij nunquā alius quàm mortis esse finis visus est. Quamobrē quia homini permissum nō est vt semper viuat, quod viuendi diuturnitate ei est ademptum, id aliā arte, id est gloria atque fama, vt resarciatur, elaborari solet.

DE GLORIAE AC FAMAE CVpiditate. Cap. XV.

GLoriæ Famæq; desideriũ, persæpè veluti calcar, ad exercendam virtutem homines impellit, per eam enim, vera gloria, bonumque nomen comparari solet, atque in eo gloriæ desiderium, nequaquã laudis expers esse debet, quod longè aliter in his est, qui peruerso ingenio, dum quomodocunque in ore hominum versari cupiunt, pro bono nomine male agendo, in infamiam incidunt. Siquidem gloria in his nulla dici debeat, quorum finis in rebus agendis, à vera atque ingenti virtute abest, quemadmodum exempla, quę de vtraque re à nobis proferentur, satis clarè poterunt ostendere.

De Alexandro Magno.

Nam Alexandrum Macedonum magni nominis auidissimum regem, quid aliud spectasse debemus arbitrari, cum ab vltima India reuertens, maiora equorum frena, locaque in quibus stabulantes equi manderent, item arma, his quibus vtebatur maiora, in ea regione relinqueret? nisi quod per ea credere apud Indos posteritatem cupiebat, & statura & viribus, atque insuper virtute, se suosq; maiores, quã essent, fuisse.

De eodem.

Vrbes quoque ab ipso nominatæ in India, apud Assyrios, Aegyptum atque Asiam, item à Seleuco Seleuciæ, Antiochiæ ab Antiocho, Cæsareæ quoque per terrarum orbẽ à Cæsaribus conditæ, quid aliud indicant, nisi immensum famæ desiderium? quia sperabant huiusmodi vrbium conditores, ea appellatione additis simul præclarè gestis rebus, se æternitati nomina sua consecraturos.

De eodem.

Quid aliud quoq; in Phrygia, apud Achillis sepulchrũ, lachymas ab Alexãdro extorsisse arbitrabamur, quã quod Homericam eloquentiam, Achillis rebus gestis præoccupatam, videbat? & quod sibi parem in scribendis rebus suis cõtingere vatem cupiebat? speraſſet enim, si suarũ gestarum rerũ magnitudini, Homero similem præconem addidisset, se nominis sui æternitatem, certius consecuturum.

De

De eodem.

Adeò autem cupiditate incensus erat Alexander, vt de is permulti doctè, neque id tamen præter veritatem scriberent: vt cum de rebus suis, non bonum poëtam Chœrilum scripsisse intelligeret (quanquã sæpè dicere soleret, ab Homero se Thersitem esse, quàm à Chœrilo Hectorem, aut Achillem scriptum malle) tamen vt alios ad scribendum meliores inuitarent, in singulos versus aureũ Chœrilo Philippeum nummum dono daret: Præcipitem quoque in Hispasem amnem deturbare Aristobolum voluit, cum ei fabulas ipsius laudes recitassẽt, ademptũ profectò ei librum in amnem demersit:

De C. Iulio Cæsare.

Alexandro par animo, atque gloriæ cupiditate Iulius Cæsar, cum in Hispania quæstor, Gadibus Alexandri imaginem conspexisset, grauiter suspirauit. Cogitans ea ætate, qua Alexande Asiam penè totam subegerat, se nondum gerere præclaram rem vllam cœpisse.

De Themistocle Athenienſi.

Themistocles Athenienſis partam de Xerxe Persarũ rege victoriam, cum in Olympicis ludis, ab vniuersa Græcia, ingenti omnium admiratione, immensaque laude exceptus esset, tantæ gloriæ ac famæ superato gaudio, ad quosdã amicos conuersus: Tunc verè optatum præmium laboris periculorumque, quæ pro Græciæ salute subiuerat, à Græcis se accepisse, dixit, gloriam scilicet, laudemq; omnibus alijs præmijs anteponemus.

De Lyſandro Lacedæmonio.

Lysander Lacedæmonius, ductus & ipse gloriæ desiderio, Chœrilum poëtam secum semper habebat, vt carmini bus ea celebraret, quæ ipse armis atque virtute gessisset.

De Adriano & Seuero Imperatore.

Quod Lysander, ad celebrandam nominis sui famã per alium quæsiuit, Helius Adrianus ipse efficere contendit, dũ magna diligentia rerum suarum Historiam scripsit, & ne ei nominis sui inscriptio fidem adimeret, sub liberorũ suorum nomine edidit. Septimius quoque Seuerus, non alterius, sed suum imposuit titulum.

De Marco Tullio Cicerone.

Huius gloriæ desiderio incensus Marcus quoque Tullius Cicero, lõga epistola à L. Luceio, ciue Romano enixè petijt, vt Catilinariæ coniurationis historiam seorsim ab alijs rebus, ad propagandam nominis sui famam scribere vellet, neq; abstinuit illud quoq; deposcere, vt in ea etiam aliquid amicitiæ daret, ipsoq; viuente eã ederet, vt viuens gloria sua perfrui posset: adeò enim magna est, in plerisq; hæc gloriæ sitis, vt quanquam Cicero per eloquentiam æternũ sibi comparasset nomen, eam quoque, quæ ex sapienter ac præclarè gestis, in reipublicæ administratione sequi solet, vendicare sibi cuperet.

De L. Sylla dictatore.

Lucius Sylla, cum hastam spectaret, vbi publicata quorundam ciuium bona vendebantur, & ei quędam carmina, in ipsius laudem scripta, non bonus poëta dedisset, famæ desiderio motus, ex his quæ subhastabantur, nonnulla munus poëtæ dare iussit: ea lege, Ne in posterum de se scriberet: tanta eum famæ suæ cura tenebat.

De C. Mario.

Quid aliud primi odij inter Syllam Mariumq; originẽ iutulit, nónne magni nominis ac gloriæ cupiditas? quod cum Bocchus Mauritiorum rex, statuam auream Syllæ posuisset, qui ab eo Iugurtham captiuum acceperat, Mariusque eo loco dimouere statuam voluisset, quod Marij, qui Consul erat nomine, eam Sylla acceperat, & idem Marius, de Iugurtha triumpharat. Ex eo inter ipsos ortũ ciuile bellum, tanto partium damno atque periculo stetit, vt etiam nunc malorum memoria maneat.

De Gneo Pompeio Magno.

Quid in Creta Magnus Pompeius egit, dũ Piratas bello prosequeretur? nónne cũ à Metello prætore, in ea insula oppugnatos intelligeret, nimia gloriæ cupiditate incẽsus, armis suis, aduersus Metellũ eos defendit? vt Romanũ neminẽ piraticæ victoriæ socium atque participem haberet.

De C. Caligula.

Adeò apud omnes dulcis hęc glorię cupiditas habita est, vt hi quoq;, qui per ignauiam ac scelus præclusam sibi nominis

minis ac gloriæ, apud posteros propagandæ viam viderũt, vt in obscuro ipsorũ nomen maneret, eius celebritatẽ per magnum scelus comparare sibi contenderũt. Inter hos Caligula princeps connumerari debet, qui amens prorsus, atque omni scelere imbutus, cum per virtutem sciret se nomini diuturnitatem non assecuturum, temporibus suis palã parare se aiebat, Vt ingens aliquod malum contingeret, de quo diu homines loquerentur: quemadmodum imperante Augusto primo, Variana clades fuerat, & sub Tiberio Fidenis ruina theatri, in qua viginti duo milia hominũ oppressa fuerunt.

De Nerone, Item de Adriano Imperatore, & Lucano Poëta.

Nero quoq; Imperator, cũ nomen suum præclaris facinoribus, aut virtute, cuius erat hostis celebrare non posset, inter musicos principatũ appetijt: sublatis omniũ statuis, quæ tẽporibus suis Olympionicis victoribus, cãtoribus aut tragœdis positæ fuissent, & pro eis poni suas iussit. Lucanum quoque poëtam prohibuit, ne carmen quod scribebat ederet, vt solus in poëtica excelluisse videretur: quare non minus quàm Nero nominis ac famæ vanitate Lucanus cõpulsus, cum eam contumeliam immoderatè nimis ferret, cum Pisone coniurauit, atque ob id à Nerone damnatus est. Nero etiam, præter alia, desiderio torquebatur, vrbem Romanam de nomine suo Neropolim appellandi, quemadmodum ante Aprilem mensem Neronem nominari iusserat. Adrianus quoque Augustus, præter modum cupidus, vt in omni arte atque disciplina supereminere alios putaretur, cum ei Augusti nominis magnitudo, item historiæ à ipso de rebus suis gestis scriptæ, satis non viderentur, si multarum artium ac disciplinarum, in quibus ipse reuera multum excellebat quenquam inueniſſet, scientiam habere talem, vt imminere periculum putaret, ne aliquando ab eo superaretur, inuidia pressus, eũ occidebat. Inter quos Apollodorus architectus, in ea arte vir admirandus fuit, quòd, cum ad eum Adrianus inspiciendam misisset, magni operis formulam, quã ipse designarat, is efficacibus rationibus ostenderat, quibusdam in locis corrigendam esse, quemadmodum Dion Græcus in historia scribit.

De Commodo Imperatore.

Non melioribus, quam ij de quibus scriptum est, artibus, Commodus Imperator, cum fama extendere nomen suum cuperet, Carthaginem à nomine suo Commodianã appellauit, sublatoque de Neronis colosso capite, suũ pro Neroniano imposuit. Item menses quosdam à se compellauit: cæterum horum desiderio, qui obliquè præter virtutem famam quæsierunt, fortuna obstitit, ne quod cuperẽt assequerentur. Nam quemadmodum Alexandri, Cæsaris Augusti, & aliorum bonorum principum imposita vrbibus, atque mensibus nomina firma reliquit, ita in Caligula atque cæteris ei similibus, vt spem adimeret, in posterum retinendæ bonæ famæ, vbi eam per virtutẽ non quæsiuissent, post eorum mortem, statim illa omnia extinxit, per quę nominis sui æternitati consuluisse se arbitrabantur.

De Cheope Aegypti rege.

Nouam rationem, aut potius dementiam atque scelus Cheopes Aegypti rex, ad comparandum sibi nomen excogitauit: nam cum priscis Aegypti regibus, mos esset glorię operam dare, struendis insanis molibus, & ipse Pyramidẽ inchoasset quam deficiente pecunia, imperfectam reliquerat: filiam miræ pulchritudinis, inter lapidicinas prostituit, vt ita ad perficiendam Pyramidem pecuniam pararet. Itaque perfecta omni ex parte Pyramide, vt illius scelere atque insania dignum erat, pro gloria quam inde sperabat, dedecus est assecutus, cum Pyramis non boni nominis, & gloriæ, sed stultitiæ atque ignominiæ eius, perpetuum monumentum haberetur.

De Rhodope meretrice.

Rhodope Græcum in Aegypto scortũ, parto turpi quæstu ingenti thesauro, quanquam ipsa humili fortuna orta esset (serua enim fuerat) tamen famæ desiderio incensa, minorem, quæ cernitur Pyramidem extruxit: quæ quãto molis magnitudine ab alijs vincitur, tanto alias, ipsa operis excellentia superauit, cum meretrix ac liberta, cum tantis regibus magni operis impendio, contendere ausa esset, nec minus se in lupanari, quam illi in palatijs famæ cupidam, nomini ac gloriæ dare operam velle ostendit: quæ tanto re

ges

ipsos in nominis ac famæ desiderio superauit, quanto
perij atque opum magnitudine, reges eam anteibant.

De Empedocle.

Haud meliori ratione, neque minus ridenda, quin prorsus insana, Empedocles philosophus famam sibi comparare studuit: nam cum Panthiam Agrigentinam, in graui morbo curasset, atque ob id se penè pro numine coli animaduerteret, immortalitatis atque famæ studio incensus, Aethnam insiluit, atque medios ipsius in ignes se coniecit.

De Metrodoro & Care Persis.

Non solum inter claros atquè insignes viros, hæc famæ cupiditas inuenitur, verum in mediocri quoque, atque infima fortuna positos, cadit, quemadmodū in Mithridate & Care Persis inspectum est. Nam cum in prælio inter Artaxerxen, Mnemonem, ac fratrem eius Cyrum, Metrodorus Cyri capiti vulnus intulisset, Cares autem retrò poplites succidisset, Artaxerxes huius famæ auidus, vt manu sua Cyrum interemisse videretur, dum milites recenseret, ob virtutem præmia dignos, ad Mithridatem misso munere, ei mādari iussit, vt munus acciperet, quia Cyri pileum ad Artaxerxem detulisset: Care autem, quòd primus Cyrum nunciauerat mortuum ex vulnere, quod ei Artaxerxes intulisset: tanta in vtroque gloriæ cupiditas fuit, vt spretis muneribus, contra regis voluntatem, se ipsos prædicarēt esse, qui Cyrum interemissent, eumque ab Artaxerxe ne tactū quidem fuisse: itaque indignatus rex, cum sibi ipsi eam famam vellet, vtrunque iussit occidi.

De Sostrato Gnidio.

Quanta industria, periculoque, Sostratus Gnidius architectus insignis, Alexandriæ famam sibi comparare studuit! nam cum turrim magnitudine specieque eximiam ad portum exēdificasset, clàm in magno marmoreo lapide inscripsit. Sostratus Dexiphanus Gnidius, Dijs nauigantibus Salutiferis. Atque huiusmodi inscriptionem, calce sub inducta occultauit, imposuitq; regis nomen, cuius impensa turris constructa fuerat: regis nomen in calce caducum ac fragile, suum autem in marmore perpetuum arbitratus.

De quodam Indo.

Cum Alexandro Magno dictũ esset, Indum quendã, sagitta arcu emissa, singulis ictibus mediũ annulũ petere, ad se accersitum iussit, vt se præsente id ageret: is autem adeò obstinatũ, ne id ageret, se præbuit, vt iratus Alexãder, morte eũ dãnaret. Cum autẽ traduceretur, à multis interrogat⁹, Quamobrẽ nõ sagittasset? Dixit, Eã fuisse causam, quod cũm iã diù eius rei, in qua excellere plurimũ putabatur, periculũ non fecisset, errare verebatur: adeò magna eum vrgebat cura, vt excellens sagittarius haberetur: quam rem cum Alexander accepisset, eum periculo liberauit, atque insuper ingentia munera addidit.

RECENTIORA.

De Constantio Augusto.

Constantius, quanquam Romani imperij princeps, famæ tamẽ auidior ac gloriæ fuit, cuius fine incommodo cõparandæ, occasiones miro studio captabat: nam si aliquando ab eius ducibus, qui in longinquo bella gerebat, victoriarum nuncij perferebantur, ipse ab Italia, per cæteras orbis terrarum partes, eas scribebat, tanquam virtute sua atque industria partas, quin ordinẽ modumq; gestarum rerum, tanquam ipse interfuisset designabat.

De Bellisario Patricio Romano.

Meliorem rationem, quam multi è superioribus, inter recentiores, ad seruandam nominis sui famam Bellisarius iniuit: posteaquam in Italia sæpius Gothos deuicit, regemque eorum Vitigen cœpit, atque in Africa Vandalorum regem Gilimerem, Africamque atque Siciliam recepit: & de Persis quoque triumphauit. Cruci enim aureæ, gemmis contextæ, centum pondo, Græcis Latinisque literis, victorias suas inscripsit, atque eam Romæ sancto Petro apostolo munus dedit, ratus ob religionem perpetuam fore, atq; insigne, omnibus seculis, magnitudinis militaris virtutis suæ monumentum fore.

De Leone I I I I. pontifice Maximo.

Leo quoque I I I I. Pontifex maximus, dum vrbis Romę partem, quæ cis Tyberim est muro cingeret, ipse etiam famæ ac nominis cupidus, à nomine suo Leoninam vrbem appellauit.

De

De Eugenio quarto pontifice Maximo.

Eugenius quartus pontifex, & ipsæ famę cupidus, cum non satis sibi duceret, quod à multis scriptum esset, ab eo conuentię Græcorum, Armeniorum, Aethiopum atque Indorum ecclesiam, in id deductam, vt ipsorum atque Latinorum vna esset fides, idemque ab omnibus crederetur: voluit etiam, vt tota illa historia, duabus æneis foribus exprimeretur, easque ipsas fores, ad primariam in Petri apostolo templo portam posuit.

De Sixto buarto Pontifice Maximo.

Sixtus quartus Pontifex, in porticu quam à fundamentis instaurata, sancti Spiritus hospitatoria domo Romę cõdidit, vitam suam resque à se gestas pingi iussit, pontemque qui in Tyberi dirutus erat, instauratum, à suo nomine Sixtum appellauit.

De Ioanne Capistrano, ordinis Minorum & quibusdam alijs.

Gloria, quę propriè sanctorum hominum pestis dici potest, clàm perrepè, ceu fulgẽti virtutis amictu tecta, eorum pectora subit: quemadmodũ in Ioanne Capistrano ostentum est, qui quanquam ex eo numero esset, qui Minorũ ordinẽ profitẽtur, quę professio, nullius rei magis, quam humilitatis studiosa esse debet, cum pręliũ scriberet, quo Mahometes Turcarum rex, apud Belgradum vrbem à Ioanne Huniade, eius Mœsię partis, quę nunc Transyluania dicitur Vaiuoda (hoc quoque honoris nomen est) superatus ac fusus fuit, nulla penè de eo, atque de Apostolico legato mentione facta, de se tantum loquutus est, ceu ipsius vnius virtute aut miraculo, parta tam insignis victoria foret: & qui alijs prędicabat, ambitionem atque mundanã gloriam fugiendam esse, doctrinę suæ penè immemor, pleno cursu insequutus alienam, occultata eorum virtute ac robore, qui verè res gesserant, sibi vsurpabat, quemadmodum in historia Pius testatur. Sed minus fortasse mirum videatur, huius sancti viri pectus honestum hoc famæ desideriũ imminuisse, cũ austeritate vitæ, insignem atq; secularium honorũ contemptorem Hieronymũ, legamus in libro, quẽ de viris illustribus scripsit, in eorũ catalogo se ipsum quoque connumerasse, diligẽtique etiã cura, omnibus voluminibus,

quæ

quæ vsque ad eam diem scripserat, titulos ac nomina sua reddidisse. Augustinum quoque in confessionibus, propriã vitam doctrinamque luculenter, cum aliud agere videretur, nõ sine magna dexteritate videamus expressisse: adeò enim honestæ huius gloriæ auidum, natura humanum fecit ingenium, vt aliorum doctrinam stilumque, ad celebrandas ipsorum laudes, expectare homines nequeant. Sed in ijs, haud iniquè ferendum est, si in tantis virtutibus, cũ nõdum mortalitatem exuissent, in re præsertim, in qua à verò non aberrarunt, aliquid offenderunt: illud quidem & mirum, & permolestum videri debet, cum qui, in ignauia atque omni scelerum genere, à virtute alieni, totam vitã delituerunt, precio sibi comparare laudatores non erubuerũt, et qui corruptis moribus, quibus tenebras omni studio obtendere debebant, falsarum virtutum fulgorem, præferre contenderunt: vt pro ignauis industrij, liberales pro prodigis, pro stupidis prudentes, compellentur: atque impudicitiæ Venerisque studium comitatis appellatione leniatur, ac similiter ignorantiæ culpam, modestiæ velamine celare cõtendant, peruersè vicijs sceleribusque in contrarias virtutes, quas nunquam agnouerunt, permutatis. In eiusmodi enim hominibus, audacia satis culpari non posset, non eorum modo, qui ex eo laudem sibi apud posteros quæsiuerunt, in quo vt elaborarent, adduci nunquam potuerunt, verum illorum quoque, qui per imprudentiam quæ falsa esse norant, pecunia adducti, tanquam vera essent, literis mandauerunt.

De Alphonso Aragonio Siciliæ rege.

Alphonsus Aragonius, Siciliæ rex, gloriæ atq; famæ studiosus, non contentus ædificiorum magnitudine, qua nulli recẽtiorum regum cessit, apud se Panormitam insignem eo seculo poẽtam, item Bartholomæum Facium, historiæ scribendæ peritum habuit, quæ gestas ab eo res perscripserunt.

De Hieronymo Olgiato.

Vix adduci possem, vt hac ætate nostra, in qua vna cum virtutibus non parui solùm fit, verumetiam penè despectui habetur fama, aliquem fuisse crederem, qui famæ desiderio,

derio, morti se obiecisset, nisi ego ipse, libellum legissem, Hieronymo Olgiato dictante, cum torqueretur scriptum: qui vnus è quatuor fuerat, qui Galeacium Sfortiam Medio lanensem ducem confoderunt: In eo enim libro fassus est, id facinus se adductum, solo gloriæ, ac magni nominis desiderio, quo incensum se dicebat, cum priscorum hominum res præclarè gestas, puer adhuc in literario ludo legeret: adeò autem, eo is fuit animo, vt notarius, qui morienti dictabat, scripserit, cum extremam penè animam Hieronymus ageret, Latinè hęc verba sub carnifice effudisse: cũ iã cultro non admodum acuto pectus illi incideretur: commemorato tam acerbę mortis optato prędio: Collige te Hieronyme, Stabit vetus memoria facti, Mors acerba, fama perpetua.

QVAE RES MAGNAE QVIBVSdam contigerunt. Cap. X.

De Pyrrho Epirotarum rege.

NEc eos quibus in vita magnæ res ac memoratu dignæ contigerunt, Pyrrhum haud iniuria ante alios commemorabimus: Antigonus enim Asiæ atque Syriæ rex, militaris artis peritissimus, hac eum laude extulit, affirmauit enim, Si consenesceret, primum ætatis suæ belli gerendi ac militarium rerum ducem fore. Hannibal quoque, cum Scipione de militaribus ducibus, qui vnquam virtute insignes fuissent, minimè obscurè primum esse Pyrrhũ nominauit, Scipione idem affirmante. Itaque ingens profectò laus dubenda fuit, à tribus tantis viris, bello tam excellentem duci, atque tot tantisque Græcis ac Romanis ducibus præponi, qui ante eum, rerum præclarè gestarum magnitudine plurimum excelluerunt.

De Lucio Fuluio.

Haud leuius Romani quoque, ac Tusculani bellicosorũ populorum, de Lucio Fuluio iudicium fuit, quàm triũ, quos diximus de Pyrrho: nam cum Tusculanorum consul esset Fuluius, atque pro eis multa prędare gessisset, Romã transiuit, atq; eo ipso anno, Romę Consul factus, Tusculanos prędio deuicit, ac de eis triumphauit Solus Romę, ac primus, qui ciuitate donatus, & consul factus esset, ac triumpharet

pharet, eo ipso anno, quo hostium dux fuisset.

De T. Quintio Flaminio.

Tanta etiam Senatus, ac populi Romani de Flaminio fuit opinio, vt quanquam Tribunipleb. omnes, concordi animo aduersarentur, tamen ante legitimam ætatem, consulem vnanimes eũ creauerint, atque in Macedoniã aduersus Philippum miserint.

De M. Vlpio Traiano Imperatore.

Quid magnificentius alicui potest contingere, quàm id, quod Traiano Imperatori euenit? eius enim bonitas, successoribus, inter fœlices acclamationes, quæ à senatu Romano fiebãt, commemorabatur. Traiani bonitate, in alijs æquè atque Augusti fœlicitate desiderata.

De eodem.

Illud quoque non minus esse affirmari debet, Neruam Cocceium, cũ imperaret, senio confectum, multis Romani atque Italici generis propinquitatibus præditũ: cũ sibi, insignem virtute virum, imperij successorem deligere vellet, alijs postpositis, Traianũ adoptasse, Hispania oriundum, illius virtute atq; animi vigore ad id impulsum. Is enim externorum primus fuit, qui ad Romanum imperium conscenderet, quemadmodum in eius vita Dion scribit.

De Aristide Athenienſi.

Magnum & quod summoperè magnificũ existimari debeat, testimoniũ fuit, quod Græci omnes Aristidis Athenienſis virtuti præstiterũt, cũ omnes concordes, ob insignẽ virtutem, Aristidem Iustum cognominauerunt.

De Iacobo minore.

Iacobus minor, primus Hierosolymarũ Episcopus, Frater domini, atq; eiusdẽ Apostolus, à Iudæis Christianisque simul, eodem Iusti cognomine honestatus fuit.

De Ioanne Baptiſta.

Quanquam magnifica putari debeant, eorum præconia, de quibus dictum est, superat tamen alia, mea quidem sententia, Iesu Christi de Ioanne Baptista iudicium, quanto ipse viuentes omnes dignitate excelluit, & quanto creaturam is qui creauit vincere solet: de eo enim dixit: Inter natos mulierũ, neminẽ Ioãne Baptista maiorẽ surrexisse. Perfica

sta regna atq; Asiatica, itē cōsulares Cæsareosq; triūphos, diuino ac certo, Ioannis Baptistæ virtuti postposuit.

De Aarone Pontifice Iudæorum.

Si Scipio atq; Pōpeius, ante legitimum tempus, propter ingentē virtutis opinionem, à populo Romano Consules creati fuerunt, id tamen, non nisi hominū iudicio factum fuit, qui multis rationibus errare possunt, sed diuinum, quo Aaron electi populi, Pontifex primus creatus fuit, longè magis faciendum est, cū prodigium electionem confirmauerit, egit enim, vt virgulta iam desecta florerent, atq; vna de eadem nocte fructum proferrent.

De Iosue & Caleph Iudæis.

Penè simile fuit Dei iudiciū de Iosue & Caleph, Iephonnis filio, ambobus Iudæis, quos solos ob virtutē, de sexcentis Iudæorū milibus, qui Aegyptū egressi sunt, Deus dignos duxit, vt in terram à se promissam ingrederentur.

De Moyse propheta.

Siue propria virtus, siue gratia ea fuit, per quam Moyses Deum alloquutus est, & vidit quantum humanitas diuinitatem, quæ infinita atque incomprehensibilis est, potest intueri. Profectò digna est quæ maximi fiat, non modo vt res, quæ rarissimè contingit mortalitatem superemineat, verumetiam, quæ fortasse alteri nemini accidit. Sed iam à virtute ad doctrinam trean seamus.

De Euthimo Poëta.

Adhuc viuens Delphici oraculi, atque Iouis responso cō decratus est Euthimus Poëta Locris in Italia natus, cū semper aliàs Olympicis ludis victor declaratus, semel tantum præteritus esset.

De Sophocle Tragico poëta.

Sophocles sine cōtrouersia Tragicorū princeps, Athenis mortuus est, cū à Lysandro obsiderentur. Itaq; in somnijs, sæpius Lysandrū Bacchus monuit, vt delicias suas sepeliri pateretur. Ea re Lysander motus, cū quæreret, qui tunc Athenis decessisset, inuenisset q; Sophoclē mortuū esse, permisit, vt extra vrbē ad sepulturā efferretur. Magni profecto faciēda res, vt ab his, quos gentilitas Deos rebatur esse, tale de Sophocle atque Euthimo testimonium prodiret.

De

De Beroso Astronomo.

Beroso Astronomo, qui multa prædixerat, quæ tempus vera fuisse declarauit, Athenienses in gymnasio suo, statuã æneam posuerunt, cuius lingua tota aurea erat.

De Marco Varrone.

Magna profectò res ea fuit, quæ. M. Varroni contigit, cuius viuentis imago, in bibliotheca publica, à Pollione posita fuit: qui honos, doctissimis post mortem solum habebatur, tantum enim & magnæ existimationis, & reuerentiæ per doctrinam Varro sibi pepererat, vt viuens quoque mereretur eo honore perfrui, quod cæteri docti, etiam ancipiti spe, post mortem assequi cupiebant. Et ne viris tantum eiusmodi honores contigisse credamus, his quæ dicta sunt, quasdam annectemus fœminas. Nec vero Mariam Dei genitricem attingemus: siquidem de his quę humanitatem solam sapiunt, sermo noster est, ipsa autem à Deo electa, nimium cæteras mortales transgressa est, quam Deus, *qui* omnia creauit, & cuius nutu sine errore cuncta reguntur, solam duxit dignam, quę Dei filium, ad redimendum genus humanum pareret, et eadem virginitate insignis, Dei parẽs, non amissa virginitate posset haberi.

De Vxore Olitoris Aegyptij.

Vahron Sesostris filius, Aegyptius rex, luminibus orbatus, cum circiter decennium cæcitati remedia quæsiuisset, tandem oraculo monitus est, vt oculos mulieris vrina laua ret, quę alium quam virum suum nõ agnouisset: quamobrẽ à regina incipiẽs, permultas Aegyptias mulieres expertus, ægritudini suæ remedium nullum inuenit, nisi per vxoris vrinam cuiusdam Olitoris, quæ prodigioso experimento, oraculoque inter Aegyptias casta inuenta, longè solidiori laude digna mihi videtur, quàm Sulpitia, ob castitatẽ sola Romæ electa, quæ Verticordiam Venerem dedicaret: fieri enim potuit, vt Sulpitia aliquo astu cæteras mulieres falleret, quod Olitoris vxor, in oraculo, quod prodigio ipso confirmatum fuit, facere non poterat.

De Agrippina Augusta.

Agrippinæ Augustæ, inter fœminas Romanas, quæ ante eam fuerunt, vni contigit, vt Romani principis vxor, so-

ror,

ma mater ac filia haberetur. Germanici enim filia fuit, quē Tiberius imperij successorem adoptauerat, Claudium Augustum virum habuit, Caligulæ soror erat, denique Neronem peperit.

De Mesa Varia.

Longè etiam magis facienda mihi videtur, Mesa Varia, siue Emesa, quę in Phœnicia est orta: hæc Iulię soror fuit, Iuliæ Septimi Seueri Imperatoris coniugis, nā mortuo Bassiano, à Macrino, qui ei successerat in imperio, in Phœniciā dimissa, astu mentiendoque consecuta est, vt neporem ex filia Heliogabalum nomine, cum nondum quartumdecimum excederet annum, in imperio constitueret: ipsa sub eo Romanum imperium, quam diu vixit administrauit: quod etiam egit Alexandro imperante, quem vt Heliogabalum, ita æquè auia erat, arte sua ad principatum euexerat. Hæc gloria insignis facta, quæ aut nulli, aut rarissimis contigit, vt fœmina in Senatu sederet, ac verba faceret, nomen suum inscriberet, cætera Imperatorum munia obiret: item mortua Imperatoria pompa sepeliretur, atque in diuarum Romanarum numerum reciperetur, omnium iudicio fœlix atque prudens habita.

De Delbora propheta.

Si Agrippina ac Mesa apud Romanos excelluisse plurimum putantur, Delbora hoc apud Deum, quod maius est, ac Iudæos obtinuit: nam cum propheticum haberet spiritum, viginti annos Israēlis populum rexit, iudicauitque, & ne minus armis ac bello, quam pace aut religione, in administranda re Iudaica excelluisse videretur, Chananeorum exercitum, Sisara duce consilio suo deiecit.

De Mercurio Trismegisto.

In Hermete, qui idem est quod Mercurius, quem Eupolemus Græcus, Moysem dicit fuisse, à Græcis Musēum appellatum, à quo Orpheus permulta didicit, tria quæ plurimum excellerent inuenta fuerunt, propter quæ dictus est Trismegistus (quod Latinè ter maximū sonat, id quod Alexandro Pompeioq; semel tantum attributum est) nam et ter maximus in Aegypto fuit, itē philosophus mira præditus doctrina, præterea sacerdotali honore, qui maximus

erat insignis: quibus de rebus, ab Aegyptijs post mortem inter numina cultus est, primúmque anni mensem ei sacrarunt, vrbémque in Aegypto clarissimam, ab eius nomine Hermopolim nuncuparunt.

De Hyrcano Pontifice ac principe Iudæorum.

Hyrcanus, alio nomine Ioannes nuncupatus, primus solúsque inter Hebræos fuit, qui Princeps, Pontifex, atque Propheta simul esset: haberétq; vnus treis gentis suæ primarios honores, inter quos, prophetiæ mun⁹, humana fraude minimè paratur.

De C. Aurelio Valerio Diocletiano Imp.

Non parui faciendum est id, quod Diocletiano contigit: nam sponte depósito imperio, cũ nono anno post morereturpus atque postremus Romanorum fuit, qui Senatus atque populi Romani consensu, siue imperio, in numerum Deorũ referretur, & si in imperio filius nullus successerat, in priuata enim fortuna, à Romanis eum accepit honorem, quem multi in imperio cum decessissent, assecuti non fuerunt.

De Flauio Val. Valentiniano Imperatore.

Nõ leue singularis virtutis argumentũ testimoniúmq;, quod ab omnibus magni debeat fieri. Valentiniano primo Augusto contigit, cum à Romano exercitu concordibus omnium animis, absens, & quẽ ea res prorsus latebat, ad imperium vocatus est: ac decem dies, vt veniret expectatus (eo enim tempore ipsa in priuata fortuna fuit, gente Pãnonia, atque humili satis fortuna) & quod penè maius est, in interregno (defuncto enim erat Iouinianus) nemo alius Augustale sceptrum inuadere ausus est: quæ res etiam satis ostendit, quæ de ipsius virtute opinio haberetur.

RECENTIORA.

De Constantino Maximo.

Miram Constantinus virtute sua gloriam assecutus est, nam primus solúsque inter Romanos Principes, atque Imperatores, à gentilibus in numerum Deorũ relatus à Christiana quoque ecclesia, in Sanctorum catalogo receptus fuit, diésque vigesimus primus mensis Martij, in ipsius nominis honorem celebratus est. Nam ei ob virtutem, magna

gna ipsius laude, maiore etiam omnium mortalium admiratione contigit, vt duarum inter se plurimum aduersantium religionum populi atque ecclesiæ, ipsum ad tantum eóque rarum honoris culmen reciperent: id quod nulli antea vnquam contigisse visum fuerat.

De Ioanne Chrysostomo.

Vt nos iterum inter recentiores ac doctos recipiamus, mouet nos Ioannes patriarcha Constantinopolitanus, quē ob doctrinæ magnitudinem, atque singularem eloquentiā Græci Chrysostomon cognominauerunt, quod os aureū Latinè significat.

De Victorino.

Victorinus quoque ob doctrinæ magnitudinem, Romæ in foro poni sibi statuam vidit, quemadmodum in Palatina bibliotheca Varro: sed vt fastidium euitemus, parum in omni qualitatis genere commorati, ad sanctimoniæ exempla transeamus.

De Catharina virgine Alexandrina & alijs.

Si prisci nostri, Valeriusque in primis, tanti Græcorum honorem, Amphiarao ad eius sepulchrum habitum fecerunt, quid egissent, si Catharinæ Alexandrinæ virginis, itē Pauli primi heremitæ, aut Mariæ Aegyptiæ tumulum vidissent! quorum prima angelorum manibus tumulata, in Sina Arabiæ monte fuit, alios duos, feri in eremo ipsa leones prodigiosè ei fosso brachijs suis loco, tanquam humanus eis sensus inesset, sepulturæ honore prosecuti sunt, res profecto Mausoleo, Aegyptijsque pyramidibus, aut cuiusuis insigni sepulturæ generi longè anteferenda.

De Clara in Vmbriæ vrbe Assisio orta.

Inter taros quoque honores is annumerandus est, qui Claræ in monasterio prope vrbem Assium mortuæ habitus est: nam cum in ea vrbe, Innocentius quartus pontifex esset, statim cum toto vrbis illius populo, totáque aula, vbi mortuæ corpus erat, profectus: canentibus tubicinibus, intra vrbem, non vt mortuam, sed in triumphantis speciem, eā detulit, atq; ipse omne funeris officiū executus est: inopi enim, quæ ciuilem statum egressa non erat, tantus princeps, & cum eo populus totus, hunc honorē præstitit, quē

fortasse alicui regi negasset: honorē, inquam, omni ex parte non minus excellentem, quam cum Macedones legati Romæ Scipionis feretrum subiuerunt.

De Francisco eadem Asisio vrbe orto.

Quàm ingentem quoque perfectæ virtutis prærogatiuam, atque minimè dubium argumentum, Franciscus Asisio vrbe natus, à Deo tulit? nec vero id dico, quia in sanctorum numerum relatus fuerit, id enim etiam, ad alios pertinere videmus, sed quod præcipuo Dei munere dignus, & factus & iudicatus est, qui viuens in corpore suo veram certamq́ue vulnerum pertulerit formam, vnde humani generis abstersa labe, vita prodijt mortalibus, quos primi parentis error, in æternum peremerat: ita autem fuisse, præterquā quod res ipsa inspiciebatur, Alexander quoque quartus, Gregorius nonus, Nicolaus tertius, apostolica authoritate testati sunt: O singulare munus, gratiaq́; diuinitus infusa, ô vnica rerum excellentissimarum excellentia, ferre Frāciscum in corpore suo, ita vt inspici tangiq́ue possent signa illa, quibus precium conferri nullum potest, in quibus iuncta diuinitati humanitas, dum per ea mortem accepit, salutem vitamq́ue terrarum orbi peperit.

De Victore è gente Pisana, Patricio Veneto.

Si primo Africano glorioſum ducimus fuisse, quòd exercitus à Senatu ac populo peteret, vt ante legitimum tēpus ei Consulatum deferrent, cum is & liber, & gratioſus esset, nónne maius esse dicemus, id quod Victori Pisano, cum in carcere esset, euenit? nam cum capta à Genuensibus vrbe Clodia, inter Patricios Venetos nullus iā petere auderet, vt classi præficeretur, plebs nimio incensa ardore, tota magnis clamoribus petijt, vt Victor Pisanus eligeretur, sine quo, victoriam se asecuturam desperabat. Itaque ea re motus senatus Venetus, vna cum principe, à palatio ad carcerem vbi Victor erat falsò accusatus, ob acceptam antea apud vrbem Polam cladem descendit, eductumq́; è carcere eius belli ducem creauit, populiq́ue ac Senatus iudiciū, res à Victore fœliciter gesta approbauit.

De Martino Quinto Pontifice.

Non minoris momenti Christianorum omnium iudicium,

um in Martino V. Pontifice fuit, quàm antea Venetorũ
Victore Pisano fuisset: nam cum schismate dississa esset
Christi tunica, ad diuersos pontifices inclinante, varijs stu
ecclesia in Constantiensi concilio, vbi Cardinalium
merus duos & triginta superabat, abdicatis pontificatu
anne, Gregorio, atque Benedicto, miro omnium consen-
pontifex creatus fuit, atq; ex Odone, qui gente Colum-
ortus erat, Martinus V. appellatus est: vnum enim illum
singularem virtutem, bonitatem atq; doctrinam, tanto
nore dignũ duxerunt, neq; ipsorum suffragijs, sed à Deo
ctum ferebant: quæ res facit, vt longè excellentius fuis-
arbitremur, id quod de Petro Christus iudicauit: nam
quam ter Christum abnegasset, atq; inter apostolos
so doctiores essent, aut qui affinitate arctius Christum
ngerent, ipsum tamen, neq; id fine iusto, quanquã oc-
to iudicio, in terris ecclesiæ principem eum constituit,
que verò ipsum solum, verum successores quoque ipsius,
m ei viuenti aperiendi claudendique cœli claues tra-
disset.

De Nicolao V. Pontifice.

Non potest nisi mira res ipsa quoque dici, & cui supra
modum propitiã se fortuna præberet, ea quæ Thomæ Sar-
zano contigit, qui vno atq; eodem anno, Episcopus,
Cardinalis, ac Pontifex creatus est, & in ponti-
ficatu, Nicolaus quintus appellatus. Long-
gè enim hoc difficilius atque rarius
fuit, quàm Pompeio ante
legitimum tempus
triumphare.

DE HOMINVM LVXV ATQVE DELICIIS, LIBER NONVS.

CAPVT PRIMVM.

HOminum luxuriam ſcripturi, quomodo eã melius exprimemus, quàm poſitis quibuſdam ipſius exẽplis id eniti, vt per exẽpla veluti in ſpeculo, homines turpitudinem ipſius, atque vilitatem intuentes, diligentius hunc ceu morbum effugiant, cũ inter vicia illa, ſit luxuria, quæ ad trahendas ad ſe hominum mentes plus valeat, & per quam ingenij vires, ac corporis robur magis eneruantur. Ei delicias tanquã ſorores annectemus, quas certatim inopia morsq; ſubſequuntur quarum alteri (hæc autem pauperies eſt) comites morbi ſolent eſſe, atque inanis peractarum iam rerũ pœnitentia: quæ pluſquam cætera, inter humanas res, ridiculos ſine vlla commiſeratione mortales facit.

De Demetrio Aſiæ rege.

Demetrius Aſiæ rex, effrenata libidine laborauit, qui cũ vrbem Megaram obſideret, audita Crateſipolis apud Patras inſigni forma, omiſſa vrbe Megara, exercituque ſine duce relicto, vt cum ea conueniret, non ſine ingenti periculo profectus eſt: paruo enim temporis momento, quin ab eis caperetur hoſtes fefellit. Neq; verò eo periculo factus prudentior, in Lamiæ tibicinis quanquam vetulæ, atque proſtitutæ amorem incidit, atque ita captus eſt, vt ſe ab ea regi pateretur: quare cum Lyſimacho cõtigiſſet, Demetrij legatis in colloquio cicatrices oſtendere: eius vulneris quod leo intulerat, cum ei ab Alexandro eſſet obiectus: legati reſponderunt, in brachijs colloque poſſe Demetrium, meretricis Lamiæ dentium notas oſtendere.

De

De Salomone Iudæorum rege.

Vt multa prætereamus, quæ Salomon Iudæorũ rex nimis delicatè egit, hoc eius nimiæ quoque libidinis insigne facinus cõmemorabimus: nã cum septuaginta vxores duxisset, atque insuper trecentas concubinas addidisset, vt earum nonnullis morem gereret, spreto veri numinis cultu, ad idololatriam, plus libidini quam Deo tribuẽs, transiuit,

De Sardanapalo Assyriæ rege.

Non satis fuit Sardanapalo, muliere corruptioré se præstitisse, quia etiã in fœmineo habitu, pensa inter mulieres accipere ac nere solebat: posteritatẽ quoq; turpitudinis suæ retẽ habere voluit: tumulo enim suo inscribi iussit, Id solum quod ebibi, atque voluptatibus impendi, habeo: reliquorum nullam sentio voluptatem.

De Artaxerxe Memnone Persarum rege.

Artaxerxes Persarum rex, Darij filius, adeò libidini frenalaxauit, vt non contentus tercentum ac sexaginta concubinas habere, omni naturali lege bonisque moribus despectis, Attossam atq; Amistrim ambas filias duxerit vxores, quemadmodum Plutarchus scriptum reliquit.

De Persis Magusæis.

Non scelerata modò, verumetiam præter modum fœda, Magusæorum Persarum libido fuit, quos Eusebius Cæsarẽsis scribit, nulla pudoris ratione habita, spreta ea quam feris quoque natura imposuit lege, cum ipsis matribus concubuisse: quod scelus Indos quoque atq; Aethiopes, ac Medos, Hieronymus librorum postremo quos aduersus Iouinianum edidit, non in matres solum, verũ in auias quoque ac filias perpetrasse scripsit,

De Cambyse rege Persarum.

Exhausti quoque ruboris Venus, in Cambyse Persarum rege fuit, qui duas sorores suas in matrimonium duxit.

De Cypselo Corinthio tyranno.

Non minus etiam Cypselli Corinthij tyrãni detestanda veneris cupiditas fuit, cum Melissæ vxori iam mortuæ, libidinosè se cõmiscuit, quæ res fidẽ ijs præbet, quę ab Herodoto de Aegyptijs scripta fuerunt. Ait enim apud eos funerũ curatores, cũ ijs venerẽ exercuisse, quorũ corpora sepulturę

mandanda acceperant: propter quam iniuriam, apud Aegyptios mos inoleuit, vt corpora sepulturæ curatoribus quarto die duntaxat post mortem crederentur, vt fœtor ab eiusmodi iniuria, mortuorum corpora defenderet.

De Euridyce Macedonum reginæ.

Effreni quoque Euridyces Macedonum reginæ veneris stimuli fuêre, quæ Amyntæ vxor, atq; Philippi mater fuit: hæc enim vt adultero regnum traderet, Alexandrũ ac Perdiccam filios, veneno sustulit, atque idem viro feciſſet, nisi filia scelus detexiſſet.

De P. Octauio, & Apicio Romanis.

Barbaris Græcisq; tandem relictis exemplis ad Romanos transibimus: apud eos enim, in omni virtutis ac vitiorum genere magna se scribendi copia offert. P. Octauius, atque Apicius, piscem Tiberio Cæsari dono datum, qui in piscario foro, vænalis propositus erat, certatim aucto precio, eò perduxerunt, vt eum Publius quinque sestertijs coëmerit: neque enim puduit in priuata fortuna viuentem ciuem, tam ingenti precio piscem emere, quem Rom. Imperator vendi iubebat: nimio gulæ studio Publius, honoris atque fortunæ suæ immemor factus.

De M. Scauro L. Syllæ genero & priuigno.

Ingens etiam prodigalitas, atque immensæ deliciæ fuerunt M. Scauri L. Syllæ generi atque priuigni: nam vt in ædilitate sua, quemadmodum eius honoris mos ferebat, ludos ederet, neque publicis theatris vti vellet, ipsorum ludorum gratia tantùm, quos ipse editurus erat, extemporarium theatrum extruxit, & peractis ludis opus ipsum demolitus est: fuit autem illius magnitudo speciesque tanta, vt viuentium regum, nullus his temporibus simile, pro mã suro opere facturus fuerit: in eo marmoreas columnas trecentas ac sexaginta posuit: qui omnes tricenorum octonorũq; pedũ, ac circiter longitudinẽ implerent. Scænæ autem pars marmorea fuit, altera autẽ polymito opere exornata, tota æneis inauratisq; tabulis tecta. Intercolumnia verò, æneorum statuarum tribus milibus exornauit, præter tabularum ornamenta, quæ insignium pictorum opere, mira arte confectæ erãt: reliquæ theatri partes, auleis egregij operis

restita, ita vt quod in eius operis vsum supra necessita-
tem comparatum fuerat, mille sestertiorum precium exce-
deret. Cuius tam ornati preciosíque theatri amplitudo tã-
ta fuit, vt in eo sedere hominum octuaginta milia potue-
rint, quanquam Circus maximus, quem Pompeius lapide
calcáque extruxit, vltra sexaginta milia non caperet: deli-
cia profectò atque prodigalitas tantò L. Crasso, atque Sy-
rie regi Antiocho, de quibus Valerius scribit, anteferenda,
quantò terras cœlum anteire videtur.

De L. Lucullo.

Post ingentes victorias in Oriente partas, Romã reuer-
sus L. Lucullus, luxuriæ atq; deliciarũ inuentor ac parens
habitus est: nã quocunq; in loco eũ voluptas cœpisset, nũc
in mari, depulsis vndis, immẽsa palatia ædificabat, nũc mõ-
tibus ædificãdo occupatis, aquas super inducebat, vt in his
cũ natura contendere videretur, nullaq; eũ impensæ ma-
gnitudo deterreret, quominus perageret, quæ omnino fieri
non posse viderẽtur, itaq; haud iniuria togatus Xerxes à Ro
manis appellatus fuit. Piscíũ quoque atq; ostrearũ viuaria
aluit, marinis atq; dulcib⁹ aquis diuisa. Insuper auiaria tan
ta, vt omnibus tẽporibus, auium sicut piscíũ ostrearumque
copia ingens suppeteret: ante alia etiã immodicus eius lu-
xus tũ præcipuè apparuit, cũ inuẽro in foro Magnus Põ-
peius Ciceroq; vltro dixissent, Se cũ eo cœnaturos, ea con-
ditione, ne quid domi mandaret: ab eis enim is vnum dun-
taxat exegit, vt ministris locum ipsum declararet, vbi ea
die cœnaturus esset. In Apolline igitur (ita enim conclaui
nomen erat) parari cœnã iussit, ad quẽ locũ cum venissent
Põpeius ac Cicero, tã magnificè, tantisq; delicijs paratam
inuenerũt cœnã, vt eã etiã opulentissimi regis fortunã ex-
cedere videretur: quam rẽ Põpeius Ciceroq; mirati, cũ cau
sam tãti apparatus quærerent, Vnius duntaxat triclinij, in
quo cœnandũ erat significatione facta: Respõdit Lucullus:
Omnibus triclinijs apud se conuiuiorũ taxatã esse impen-
sam: & propterea cum architriclinis suis locum vbi cœnan
dum esset declarasset, satis semper cœnæ notum esse appa-
ratũ. Cum igitur semel architriclinum increpitaret, quod
parum lautè cœnã apparasset, & is excusaret, id circo factũ

fuisse, quia hospes nullus inuitatus esset: respondit Lucullus, Sciebas tamen, & si hospes alius non erat, Lucullũ hodie mecum cœnaturum. Hoc enim respõso significauit, nõ pompæ tantum gratia, eam à se fieri impensam, verumetiã, vt gulæ atque voluptati operam daret, per delicias absumendis opibus, quas ingentes magno sudore, neque sine sanguine Orientalibus bellis parauerat.

De M. Antoniotriumuiro.

Quis vnquam delicijs atque luxuria, M. Antonio triumuiro par fuit? ebrius enim in conspectu popu. Rom. negotium publicum gerens, hesternam cœnam euomuit, ac gremium suum, totumque tribunal incoctæ cœnæ frustis, vinum redolentibus impleuit, muficis mimisq; immẽsas possessiones oppidaque donauit. Nec contẽtus Cleopatræ arbitrio Orientem totum regere, ei Arabiam, Phœniciam, Syriam, Ciliciam, item Iudeæ partem, prouincias omnes, maximo populi Rom. labore sanguineque partas, dono dedit: nondum his expletus, quæ antea in Italia libidinosè egerat, dum exercitus circuiuit, vir temporibus illis insigni honore præditus, lectica vna cum mima deferebatur.

De Cleopatra Aegypti regina.

Hîc amatorem Antonium, Aegypti regina Cleopatra sequetur, quemadmodum & viuentẽ & morientem sequuta est: hæc ab irato Antonio in iudiciũ vocata, cum ex Aegypto in Ciliciam nauigaret, flumen Cydnum incredibili pompa subiuit, nauis eius purpurea habuit vela, sericeosq; rudentes, argento quoque remos exornatos, vt remigando tibiarum sonum, per dimensa temporis spacia, percussis vndis, imitaretur: ipsa sub aurea vmbella, in media naui, in Veneris speciem ornata sublimior sedebat: circumfusa virginum choris, in nympharum formam auro amictarum. Ad extrema nauis latera, permultæ aliæ insignes puellæ, aureis thuribulis ad fluminis ripas odoramenta perfundebãt: itaque haud iniuria tunc dissemiatum fuit, Venerem ad Bacchũ profectam esse. Egressam postea naui, cum pro iudicio res in conuiuiorũ certamẽ deducta esset, inter cætera quæ nimis profusè delicateq; egit, cum pepigisset cũ M. Antonio se plus impensæ vno bolo, quàm Antoniũ magno con

uiuio

nitio absumpturam, ingentem vnionē, cui similis magnitudine specieque nunquā visus erat, ab aure detraxit, atq; aceto maceratum absorpsit. Et cum iam manum ad alterius auris vnionem apposuisset, ab Antonio cum vicisse eam declarasset, prohibita, abstinuit: quæ quanquam ingenti re eo potiretur, non erubuit, cum vxor esse Antonij nō posset, superstite Octauia eius vxore, quæ Romæ erat, cum eo amicæ atque impudicæ nomen sustinere.

De Messalina.

Apertam nimiam Cleopatræ venerem, nulla conuenientiam, quàm Claudij coniunx Messalina sequetur: cui satis nō fuit, alijs rationibus turpissimæ libidinis incendia implere, noctu veste mutata, prima lupanar ingressa, vltima viris lassata, & tamen nondum satiata recedebat: tandemque C. Silij iuuenis forma, atque amore capta, palam viuēte Claudio nuptias parare non verita est.

De Tiberio Imperatore.

Romani principes, omniū virtutū sceleruq; veluti inexhaustus fons, iā me vt de his scribam inuitant, à Tiberioq; ordiamur: de quo, vt permulta fileam, scelerum magnitudo pudorisq; mei ratio mouet; adeò enim fœda infandáq;, in eo plurima sunt, vt vel commemorando tantùm, veluti per contagium inficere scribentem possint: itaque ex tanta eorum copia, notiora tantum deligemus, ex quibus facile eorum magnitudo, quæ præteribuntur intelligi poterit. Hic vini appetentissimus, gulæque obnoxius, biduū continuū, cum nocte quæ media erat, potando epulandóq; cum Pomponio Flacco, & L. Pisone perditissimis senatoribus peregit: atq; huic turpitudini prodigalitatē quoq; addidit, vt imperiū hoc perpetuo dedecore insigniret. Ipsorū enim alterū Syriæ prætorē fecit, atq; alterum vrbi Romæ præfecit: cerapulæ atq; ebrietati his collatis honoribus, quæ virturi olim dari consueuerant. A Sexto Claudio, iam grandi natu atq; nimiæ veneris studio infami (quē olim Augustus ob eā turpitudinē damnarat, cœnam ea conditione exegit, ne quid in ea ex sua consuetudine mutaret, atq;, vt in ea nudę puellę ministrarēt. In quæsturę quoq; cōpetitores, ignobilissimū quendā alijs præposuit, quia in conuiuio propinante

nante Claudio, vini vrnã penitus exhauſerat. Aſellio Sabino ducenta ſeſtertia dono dedit, propter confectũ dialogũ, in quo boleti, ficedulæ, oſtrea, turdiq; introducti, inter ſe, qui ſuauius gulam explerent contendebãt. Tandem iã annoſus, cum Caprearum ſeceſſum delegiſſet, vt illic liberius ſine multis teſtibus obſcœnas libidines expleret, inter ſyluas multis in locis antra condidit, vbi vtriuſq; ſexus adoleſcentulos, in nympharum morẽ excultos conſtituit: qui cũ ipſum videre cõtingeret, venerẽ inter ſe exercerẽt, omnibus eius inſulæ locis exornatis obſcœnæ libidinis figurarum zabulis, vt ætate intermortua venus his exemplis excitaretur: tantò alijs magis damnandũs, quantò ſcœleſtius eſt, effœtas iam annis in venere vires, arte excitare velle, ac ſimul naturæ vim afferre, quàm in ætatis flore, ipſo iuuentæ ardore ad libinem impulſum continere ſe non poſſe: & vt paucis tantam turpitudinem, quæ in eo erat abſoluamus T. Cæſonium Priſcum veneri delicijsq; nouo inuento magiſtratu præfecit, qui omnes alicuius in venere inuſitati modi inuentores præmijs afficeret.

De C. Caligula Imperatore.

Caligula quoq;, laſciuia venereq́ue perditus, nuquã niſi in odoribus lauabatur, citreoq; ligno naues ædificabat, ornatis auro gemmisq́ue earum puppibus, in eis quoq; odoratas arbores atq; herbas plantabat, & viridaria porticibus, atq; triclinijs auratis circumſepta conſtruebat: quibus nauibus circum Campaniæ littora inter ſonos cantusq́ue ac ſcorta nauigabat, in conuiuijs aureo pane, aureisq; piſcibus in verorum ſimilitudinem expreſsis mẽſas inſtruebat. Pulmenta quibus excitari ſtomachus ſolet detritis maceratisq; margaritis cõficiebat, tanquã alia nulla Romani cõſumẽdi imperij ratio offerretur: qui denique ne intactũ aliquid in venere relinqueret, ſororibus ſuis ſe commiſcuit.

De Nerone principe.

Quod cum ſororibus Caligula perpetrare auſus eſt, id Nero dicitur cũ matre appetijſſe, cætera omnia fœda libidine tranſgreſsus animantia, caſtratum adoleſcentem Sporum, atque in fœminæ morem comptum, ſolenni pompa duxit vxorem, & veſtibus gemmisq; Auguſtalibus exornauit.

ta. Et ne aliqua in parte deesset, in qua naturæ vim non
ferret, ipse Doriphoro liberto suo nupsit, & dū se simul
rum vxorēq; effecit, in eo studia sua omnia reposuisse vi-
si est, cui prorsus natura repugnaret. Neq; verò naturæ le-
ges tā infami scelere violasse contentus, religioni quoque
nuriā addere voluit, vestali virgine incestata: itaque omni
parte animi corporisq; sensibus corruptis, non minus vi
tus atq; amictus sui delicijs, quàm venere ipsa modū om-
nem excessit. Nunquam plusquā semel eandem induit ve-
ste, aureo sericeoq; rete piscabatur, atque alea persæpè vno
iactu, plus quadringentis sestertijs perdebat, ingēti sum-
ma, nimijsque delicijs ædificauit, triclinium grande con-
struxit, in cuius fornice stellę, Sol atque Luna, gemmis ex-
pressæ, colore ipsorum siderum proprietatibus congruēte,
quæ omnia ex cœlestis cursus ratione mouebantur, in quo
cœlia aurea atque eburnea erant, & muri argenteis flori-
bus tecti, auesque quæ assiduè omnium odorum fragran-
tiam spirabant. Itaque ita egit, vt consumptis imperij the-
auris, cum aliunde opes, non suppeterent, ad rapinas con-
verteretur. Deliciarū autem ac prodigalitatis eius magnitu
do intelligi ex eo potest, cum is, qui solus imperij Romani
habenas habebat, in quo eo tempore, melior maiorque or-
bis terrarum pars continebatur, nimijs profusionibus in
necessitatē coniectus esset, & ei vni id non sufficeret, quod
reliquis omnibus in orbe terrarum satis erat.

De Poppea Sabina.

Eius vxor Poppea, delicijs atq; prodigalitate nō minus,
quàm vir infamis fuit, quæ quocunq; tenderet, secum in-
gentes asinarum greges trahebat, vt earum lacte lauaretur,
equosque quibus vtebatur, auro calceabat.

De Vitellio Imperatore.

Sumptuosissima quoq; cœna, quanquam extemporanea
fuit, ea quàm Vitellio principi frater fecit, in qua duo ele-
phorum piscium, & septem auium preciosarū milia, præter
alia exhibuit: quanquā cœnam cum superare Vitellius vel-
let, in sola vna patina, quæ tā latè patebat, vt Mineruæ cly
peus appellaretur, scaurorum iecinora, itē phasianorū atq;
pauonū cerebrum, tātum præterea phœnicopterorum lin-

guas,

guas, & murenarum lactes, ab orientali plaga Atlanticóque freto triremibus eius rei gratia missis, aduectarũ præbuit: tam longè tantóque impendio palati tam breuem atque pudendam voluptatem, & bonæ valetudini vehementer aduersam quærens.

De Commodo Imperatore.

Fastidium penè mouet, immensæ atque sceleratæ Commodi luxuriæ cõmemoratio, qui inter trecentas cõcubinas totidémque pueros medius, nullę Veneris genere, quanquã fœdo nimis atq; ferino abstinebat, in quibus nõnulla fuerunt adeo extra omnem hominum morem aberrantia, vt à scribendo manus refugiat. Concubinas, vt se præsente coirent, cogebat, ac demum sibi dum nimium indulget, eo fœditatis proruit, vt ipse sorores suas incœstaret, veste quoque ac muliebri gestu vsus, aureo puluere capillos, vt igne quodam rutilare viderẽtur, aspergebat: atque cũ nimia crapula, nimióque coitu gustum omnem amisisset, ad id furoris deuenit: vt humanum stercus cibis immisceret, eósque irrideret, qui eam mixturam abhorrerent. Irrisorum duos, nudos, synapi totum perfusos corpus in mensa in patinis ferri iussit, quos statim muneribus locupletauit. Iulianum quoque vrbis præfectum, multis spectantibus, nudum saltare coëgit, omnes, vt ipse erat amentes haberi cupiens.

De M. Aurelio Antonio Bassiano Heliogabalo Imperatore.

Omnes omnium delicias, omne libidinis atque scelerum genus, penè trãsgressus est Heliogabalus: nam quanquã in priuata adhuc fortuna esset, intectis auro lectis vtebatur, argenteísque centũ pondo vasis. Ex colorũ ratione conuiuia dabat: primo die rubentia omnia, secundo prasina, deinde persa tertio. Vini rosis conditi primus fuit inuẽtor, triclinia, lectos aque abacos rosis, violis atq; lilijs integebat. In piscinis odoriferarum aquarum natabat, lectos leporino pilo, aut quæ sub perdicum alis crescunt plumis conficiebat. Quare posteaquã ad imperiũ conscendit, malos quibus assueuerat mores secutus, pauonũ ac lusciniarum linguis vescebatur, ac solis camelorum calcaneis conuiuia cõstruxit, linguis duntaxat phœnicopterorũ phasianorúmq; atque psittacorũ: ex eo autẽ, quod de ipsa auibus supererat canes

alebat.

debat. Cum mari propinquus esset piscibus nunquam vescebatur, maritima mari longinquo appetebat, cum nihil à quo difficultas abesset eũ delectaret. Inter cętera conuiuiũ fecit, in quo vnũ ac viginti fercula, ac formosam mulierem singulis conuiuis apposuit, ac struthionũ capita sexcẽta, & quã prodigè atq; effusè operã gulæ dabat, in cæteris nequaquam restrictior fuit. Lucernas balsamo aluit, pomis quoque gẽmas miscebat, atq; ita cõuiuis apponebat. Domum etiam, pro fœno ad arcendũ frigus, tantũ croci, per pauimẽta strauit vt pedes integeret. In porticuũ pauimẽto, intritũ lima aurum inseruit, neq; veste eadem, neq; annulo, plusquã semel vsus, domi diademate auroq; ornatus agebat, calceos gẽmis tegebat. Ventrẽ aureis trullis leuabat, & caphijs gẽma confectis vrinã excipiebat, atque ita in vrbe Roma, naualia prælia manantibus vino lacubus edidit. Et vt pecuniã parui se pẽdere ostẽderet, naues sæpe iocans cũ ipso onere demersit. Vt autem quemadmodum viuebat, ita etiam moreretur, in aureis vasis venenum parauit: itẽ sericeos laqueos, gẽmatosq; cultellos, si vel appẽdere se, vel iugulare vt casus ferret, voluisset: atque, si vt præcipitem se ex alto daret in animum venisset, turrim auratam, totam exuxit in marmore auroque constrato circa eam solo. Ex homine igitur ob amentiam factus bestia, ne Neroni cessisse videretur, tanquam in mulierem conuersus virum cœpit, matremque vxorem duxit, & cum se in Veneris forma ostendisset, repentè dilapsa ab humero vsque in terram tota veste, altera manu pectus, altera pudenda texit. In vrbe Roma lupanar in palatio condidit, atque illic coacta Romana fœminarum, exoletorumque scorta, magnis muneribus affecit, in curruque aureo, nudum se à quatuor nudis fœminis trahi fecit. Ne autẽ homines huius vitæ eum vnquam pœnituisse arbitrarẽtur, dixit, Hæredes suos obligare se velle, vt eandem quam ipse tunc agebat vitã, viuerẽt.

De Aelio Vero Cæsare.

Delicijs præter modũ, Aelius quoque Verus deditus fuit, is quem Adrianus adoptauit, ac Cæsarem creauit: lectos roseaque violisque sternebat, fortasse arbitratus Fabricios Scipiones, Brutos, Publicolas, Cincinatos atq; alios priscos,

scos, quorum sudore sanguineque partum fuit imperium, ita lectos, cum bella gererent strauisse.

De L. Vero Imperatore.

Eisdem delicijs L. Verus vtebatur, qui vnà cum M. Antonio imperauit: nam cum ad Persicum bellum proficisceretur, conuiuium fecit, in quo conuiuæ omnes cristallinis gemmatisq; ijsdem vasis, aut murinis quæ recentiores Alexandrina nuncupant, biberunt. Omnibus autē ferculis, pocula seruiq; mutabantur, qui ministrabant, quos omnes cō uiuis donabat, cum argenteis curribus, quibus omnes ad domos suas deducerentur. Conuiuij autem illius impensa circiter centum, atq; sexaginta sestertiorum nummūm milibus constitit, vt verò is fulgentiore capillo vteretur, auri limatura comam perfundebat.

De Galieno atque Carino Imperatore.

Non minus quoque deliciarum atque veneris appetens Galienus, in mensa gausapina, sericea aureaque adhibebat: aureis gemmatisque vasis, semper vtebatur, atque auri puluere crines aspergebat. Mensæ mimos semper, atque scorta adhibebat, quotidiéq; in balneis inter vetula fœdáq; scorta, adolescentulis commixtis exhilarabatur: in quibus magna ex parte Carinus Imperator ei persimilis fuit.

De Prætorianis militibus.

Principum deliciæ libidinésque ad Romanos quoq; milites, per contagium transierunt, adeóq; eos principū corrupti mores, à priscæ virtutis disciplina abstulerunt, vt Didij Iuliani Imperatoris cohortatione, moti Prætoriani milites, vt imminente Seueri bello, vrbem Romam, murorum instauratione fossáq; munirent, pecunia sua ad eam rē operarios conducerent: adeò rastri pastiniq; atque militarium operum, iam eos dedignatio cœperat.

RECENTIORA.

De Ioanne Arminiaco comite

Ne in priscis diutius cum scelerum molesta nimis commemoratione immoremur, ad recentiora transituri, multorū nominibus viuentium abstinebimus, ne quis eorū scriptione, ac diligētia nostra lædi se queratur. Ioannē autem Armeniacū comitē primū cōmemorabimus, qui nimia in-

census

census libidine, sororem suam vxorem duxit, quamobrem extra catholicæ Ecclesiæ gremium factus atq; infamis harus est. Carolusque septimus armis illatis, euersis eius re bus, fortunaque omni de viuentiũ numero ipsum sustulit.

De Genis Scotiæ rege.

In Britanniæ insulæ parte, quæ recentiore nomine Scotia appellatur, Iacobus rex eius gentis appellatione Genis dictus, publicè quidem matrimonia non contraxit cũ duabus sororibus, sed cætera quidem maritalia iura cum eis exercuit.

De Picente quodam Fabriani accola.

Fera prorsus libido fuit Fabrianensis cuiusdam ciuis, nã cum defciscente populo à Clauellis eius vrbis principibus, ne fœminis quidem populi rabies ferrumque peperciſſet, ipse cum mortua Clauellorum virgine, commiscere se per venerem non erubuit.

De Petro Riario ordinis Minorum ac Cardinali tituli S. Sixti.

Vidit ætas nostra, Petrum Riarium Sauonensem, ordinem Minorum fratrum profitentem, quem Sixtus quartus pontifex, ad Cardinalatum extulit, inter domesticos auris vestibus vtentem, neque verò lectos aureis stragulis integere satis habuit, sed lectorum etiam ipsorum culcitras & sericeis & aureis pannis confecit, argenteis quoque vasis onus ventris excepit. Is Heleonoræ Aragoniæ, cũ Ferrariam Herculi Estensi duci nupta proficiscereturꝰ, conuiuium Romæ fecit, quod propter ferculorum numerũ, quæ præcioſis atque delicatiſsimis cibis constabant, inter quæ dicti insignes plurimis interuallis edebantur, horas septem perdurauit: architriclinique in eo atque ministri omnes, sæpius, vt conuiuij magnitudini responderent, amictum pro ferculorum genere mutauêre: populoque ea ex cibis sparge bantur, quæ de mensis auferri contingebat, quorum particularis commemoratio, longiora spacia quàm præsens patiatur locus occuparet. Et ne quid deesset, in quo ordinis sui seueritatem non contempsisse videretur, amicam Thirenam, non palàm solum, sed tãto etiam sumptu alebat, quã tus ex eo intelligi potest, quod calceis margaritarũ tegmẽto insignibus vtebatur: temporis meliore parte, inter scor-

ta atque exoletos adolescentes comsumpta, carnibus totò anno, etiàm parte ea, cui carnium vsum religio interdixit, vescebatur: arbitratus fortasse ita facilius ad cœlestia perueniri regna posse, quàm per castitatem atque ieiunia, quibus is operam dabat, cuius ab initio habitum sumpsit, & se qui vitam vouit, & ante eum Apostoli vtebantur: quorum in Cardinalatu factus postea successor, ita vt dictum est eorum imitari debebat vitam.

De Mahumete Ottomano Turcarum rege.

Mahumetes Ottomanus Turcarum rex, quanquam armis plurimum excelleret, adeò libidinibus superari se passus est, vt in Veneris vsum, quadraginta tum fœminas, tum mares, septis tanquam cauea incluſos haberet: apud quos nonnunquam ita perpotabat, vt nimio vinora tionem amitteret, & somno captus, ferarum modo humi iaceret, militari gloria, insignibusq; victorijs, huius vitę fœditate deturpatis.

DE CRVDELITATE.

Caput II.

CRudelitas horrendum scelus, atque feris quàm homini conuenientius, cuius in alieno malo voluptas est, hic à nobis magis vt damnetur, quàm vt memoratu digna sit, describetur: sed neque longiorem orationem eius descriptio requirit, siquidem posita de ipsius vi exempla, cuiusmodi sit, satis eam declaratura videantur: hæc verò quanquã in parte iustitiæ videatur posita esse, longe tamẽ ab ea virtute disiungitur. Nã iustitia, si ad inferendã pœnã cogitur, misericordiæ semper coniuncta est, atque ad leuiora pœnarum inclinat: contrà autem crudelitas, effundendi sanguinis auida est, tormentorumq; studio tenetur, tormentorum quóque noui generis inuentrix, prorsus humanitatis expers, tantũ hominem à Deo separat, quantum ei per iustitiam coniungi solet.

De Asdrubale Carthaginensi.

Asdrubal Carthagini obsessus à Scipione, cuius vrbis iã partem Romani milites occuparãt, impellente, quæ ei à natura insita erat crudelitate deductis in hostium conspectũ omnibus Romanis captiuis, partim eorum ambos defodit

oc-

oculos, quibusdam linguam neruosque desecuit, multis quoque genitalia hamato ferramento diuellere nixus est, nonnullis etiam ex pedum planta cutem abrasit, aliquos genitus excoriauit, atque ita affectos ab vrbis muris laqueo suspendit: horum enim variandis tormentis, cum tanquam in re gratissima, suum patriæq; periculum leniré sturet, magis aggrauauit.

De Alexandro Phæreo tyranno.

Alexander Phæreus, crudeli tyrannide insignis, nonnunquam viuentes adhuc homines sepeliebat, quosdam quorumue ferarum pellibus cõtectos, ceu feras immissis in eos canibus dilaniabat.

Do Astyage Medorum rege.

Quàm atrox Astyagis Medorum regis crudelitas fuit? cum parũm nepotem suum Cyrum ab Harpago cõtra ipsius imperiũ seruatum fuisse intellexit: nam nulla eius rei habensa indignatione, Harpagi filium, sub alterius rei prætextu ad se vocatum, clam occidit, atque in varia epularũ genera coctum, ignaro patri vescendum apposuit: & postequam Harpagus his epulis naturæ satisfecit, ne eum lateret filij extis se cœna saturatum, caput, manus, pedesq; in lãce pro secundæ mensæ frugibus, ei iussit apponi.

De Artaxerxe Persarum rege.

Artaxerxes Persarum rex, Xerxis filius, viuẽtes homines, quibus thecis includebat, è quibus, cum capite manus pedesque eminebant, adhibitis in hoc statu cibis, eos vitam protrahere cogebat, quæ vt grauior esset lacte ac melle ipsa pascebat, atque melle perunctos ora in sole versabat, vt ictore muscarumque morsu, validius torquerentur: cùm eisdem in thecis ipsis ventrem leuarent, & non modò à sordibus se purgare, sed ne mouere quidem corpora possent, innascẽtibus paruo temporis spacio vermibus, viuorum corpora absumebantur.

De Xerxe Persarum rege, Darij Hystaspis filio.

Pariter plusquam ferina Xerxis Persarum regis crudelitas fuit, qui cum in exercitu suo Pythij quinque liberos haberet, rogatus, Vt vnum ad patris solamen, ne omnes in eodem periculo haberet, relinquere vellet: respõdit,

Vt Pythius quem mallet eligeret: electum autem Xerxes in duas diuisit partes, atque inter eas transire exercitū iussit: quemadmodum maiore etiam crudelitate Darius pater cum Oebazi Persa ante egerat: nam cum is Darium rogasset, Vt è tribus liberis suis, quos secum in expeditione Darius contra Scythas ducebat, vnum tantum solandi patris gratia domum redire pateretur, cum se omnes dimissurum respondisset: postero die eos occidit ac mortuos reliquit. Nunc iam à Barbarorum exemplis ad Hebræos transeamus.

De Gedeone Israëlitici populi iudice.

Cum Gedeon Madianitas persequeretur, acie à se victos atque in fugam conuersos, ipseque ad vrbem Soccoth peruenisset, pro petitis commeatibus, ab eius vrbis populo per contumeliam irrisus est: cum autem confecta expeditione inde reuerteretur, Soccoth vrbem prælio adortus, in potestatem redegit, ac septuaginta Soccothinorum ciuium primarios viros, in torcularibus, inter tribulos spinasque nouo crudeliq́ue pœnæ genere presit, atque huiusmodi supplicio egit, vt ira quæ alioquin in Soccothinorum gentem iusta erat, iam propter tormenti crudelitatem damnanda videretur.

De Abimelech Gedeonis filio.

Mirum minimè videatur, si ex sæuo patre crudelissimus nascatur filius, quemadmodū de Gedeone Abimelech natus est, qui patri in iudicijs Israëliticis honore successit: Septuaginta enim fratres, quos habebat interemit, vt vix paruulus Ionathas manus eius euaderet.

De Dauid Iudæorum rege.

Non potest nisi immensæ crudelitatis facinus dici, quod Dauid in Ammonitas patrauit, cum vrbē Rabbath cepisset: populū enim vniuersum nullius ætatis aut sexus habito discrimine, à ferratis curribus, atque equis dilaniari in frusta, atque proteri iussit, quam sæuitiam, sæpius quoque postea in multas eius gentis vrbes exercuit.

De Manasse Iudæorum rege

Nouum crudelitatis commentū, & in quo longius mors trahebatur, illud fuit quo Iudæorum rex Manasses, Esaiam prophe-

ophetam, inter duas tabulas constrictum serra diuisit.

De Alexandro Iudæorum rege.

Alexander Iudæorum rex, insigni crudelitate notus, quē ob nomine Iamnæum appellarunt. cum Hierosolymam expaulò ante ab eo desciuerat, armis in potestatem redegisset, octingentos Iudæos, eodem temporis momento in crucem extulit, atque illis cernentibus, vxores eorum ac liberos interemit: nam præter fas iustumque, ac præter communem hominum morem, contra innoxiam ætatē sexūq; omnia non abstinuit.

De Herode Antipa Iudæorum rege.

Herodes Antipa Iudæorum rex, non solum dum vixit, crudelis esse voluit, in vxorem quoque ac liberos moriens, crudelitatem exercuit: quin etiam vita functus, vt occideret homines tentauit: nam cum æger ad mortem laboraret, Iudæorum primarios ad se sub ficta causa vocatos, in hippodromo omnes inclusit, ac sorori Solomæ ordinauit, vt statim, cum ipse animam egisset, omnes interficeret, Iratum vt ante ipse dixerat, agere voluit, vt Iudæi, quibus ipse ob animam crudelitatem inuisus erat, pro lætitia, quam ipsi ex morte sua accepturos non dubitabat, flendi causas haberent propinquorum haberent,

De Iudæis.

Apertè ostenderunt Iudæi, quàm ferum atque crudele esset eorum ingenium, cum in oriente bellum gerente Traiano, ob illius aduersam valetudinem, ipsi in libertatis spē insurrexerunt, atque in Cyrenis Cypro que rebellarunt: nam duce quodam Andrea nomine, in vicinos populos sæuierunt, atque ducenta hominum millia occiderunt: neque vllis eis tantum humani sanguinis haurire satis fuit, rabie ferali, luporum more, humanas carnes dentibus dilaniabāt, atque occisorum intestinis se cingebant, amicti quoque occisorum pellibus, ceu furijs acti passim discurrebant. Per humana etiam cadauera, ferarum rabiem transgressi profanabantur: sed de tanta vesania, à Traiano missi duces: minore quidem crudelitate, sed non pauciore eorum sanguine pœnas sumpserunt.

De Naa Ammonitarum rege.

Vt Iudæorum crudelitatem egrediamur, Naan Ammonitarum regem citabimus, qui omnibus Iudæis, quos in bello cepisset, aut qui se eius fidei credidissent, statim dextrum oculum eruebat.

De Scotis.

Ferus nedum crudelis mos fuit, quem Scoti (ita enim vt ante sæpius dictum est Britannorum pars, quæ ad occidentem vergit appellatur) vsque ad Hieronymi tempora seruauerunt, quemadmodum is in secundo aduersus Iouinianum libro testatur. Nam carnibus humanis in conuiuijs vescebantur, qui, cum plenas armentorum gregumque, atq; aliarum in venationis vsum ferarum syluas haberent, pastoribus nates ac mulieribus vbera, vt his vescerentur, demere solebant.

De Scythis.

Non minus quoque Scytharum fera consuetudo fuit, qui primi hostis, quem manu sua in prælio interemissent, sanguinem gustabant, atque detractam capitibus cutem cum capillis equorum pectoribus appendebant, solennibusque diebus pro poculo in calua honoratioris hostis, quem interemissent bibebant: adeò ab omni humanitate abhorrebant, quibus fortasse regio ipsa, longusq; vsus huiusmodi causas præbebat. Itaq; eò magis in Romanis eiusmodi feritas damnanda est, quantò omnibus de causis humanitate alios excellere debebant.

De Romanis.

Romani edendis gladiatorum muneribus, haud medio cris sæuitiæ nomen subiuerunt: seruos enim coëmebant, quos gladiatoria instructos arte, producebãt, vt acutis inter se gladiorum mucronibus dimicarent: alios etiam feris in harena obijciebant, vt plerosque miserabiliter à feris dilaniari, atque semiuiuos deuorari, non sine voluptate conspicerent: precio enim humanum sanguinem parabant, quẽ sine vllo necessario vsu effundi spectarent. Ad ea autem spectacula, cum non viri modo, sed fœminæ quoq; ac pueri magno studio concurrerent, quis negauerit, in grauem crudelitatis notam, sub voluptatis specie eos incurrisse.

DE

De Arantio Paterculo.

Arantij paterculi fabri, ferum atque immanè fuit ingenium. Aeneum enim taurũ tanta conflauit arte, vt damna qui in eo includerentur adhibito igne, cũ præ dolore gemerẽt, taurinos mugitus edere viderẽtur: cum autem Cẽsorino Aegeste tyranno in Sicilia munus dediſſet, iuſtè vt in primus inuenti ſui periculum faceret, à Cenſorino coactus eſt: quemadmodum de perſimili tauro, fabrum ad experimentum ſimile Phalaris tyrannus coẽgit.

De Triumuiris.

Diuiſo inter ſe Romano imperio, Lepidus, Antonius, atque Octauius triduum continuum eorum notandis nominibus, quos morti deſignarant, conſumpſerunt, morem ſibi inuicem, de ijs quos odio habebant, gerentes: in eorum numero fuit Lepidi frater, itẽ Antonij auunculus, & Octauij quidam amici, quos alij odio inſequebantur: proſcriptorum igitur numerus, quorum capita ad triumuiros deferebantur, fuit trecentorum ſenatorum, ac duũm millium equeſtris ordinis, qui inter epulas, aut cum vxoribus cubantes, vt forte deprehenſi erant, occidebantur: quorum corpora quia ſepeliẽdi facultas ſublata erat, cũ paſſim inhumata lacerẽt, in macelli ſpeciẽ, vniuerſam vrbem reddiderant.

De Tiberio Cæſare.

Quàm ſæuus, ſanguinisque humani appetens Tiberius quoq; fuit, perſæpe hominibus ob leue crimẽ morte mulctatis? neq; verò in eo explendæ crudelitatis mors terminus erat, ſi quem ſciret propter tormentorum formidinem, velle ſibi manus inferre, obſeruari iubebat, ne ſe perimeret, vt poſtea diutius in eum ſæuire poſſet: Mortẽ enim leue pœnarum genus eſſe ducebat: quamobrem cum morti damnatum Carmiliũ, accepiſſet ſibi mortem conſciuiſſe exclamauit: Carmilium manus ſuas euaſiſſe. Cũ autem ſe mel carceres recenſeret, atrocibus factis crudelia addẽs verba, petenti dãnato, vt ei liceret mori: reſpondit, Se nondum ei ignouiſſe: mortẽ enim muneris loco ducebat. Diu etiam, verum eius crudelitatis ſignũ, ſcopulus præaltus in Caprearum inſula oſtenſus eſt, à quo præcipitari dãnatos ſpectabat: quos nautæ, ad id præparati, remis fuſtibusq; exceptos

occidebãt. Semel quoque omnes humanitatis ac bonorum morum terminos transgressus, vno die viginti damnatorũ liberos occidit, in quibus aliquot forma insignes fuerunt puellæ, quas ante à carnificibus incestari iussit. Nouũ etiã tormenti excogitauit genus, cum arctè deuincto quibusdã genitali membro, ebrietatem superadderet, vt per eum modum impedita vrina magno dolore discruciati tandem perirent: qua sæuitia, ferę similior quàm homini factus, cũ ne suo quidem generi parceret, Tiberium Drusumque Germanici, quem ipse adoptarat filios, in carcere fame confecit, adeo vt Drusus inuentus fuerit, culcitram præ fame nimia momordisse. Sed fortasse ita Dei iudicium tulit, vt is in nepotes atque heredes suos innocentes sæuiret, quos, vt magis diligamus natura impellit, quia innumerabiles alios per summam iniuriam occiderat.

De C. Caligula.

Horret animus ea meminisse, quę sæuè atq; crudeliter Caligula princeps egit, qui non solum sine causa, Antoniã amitam & fratrem Tiberium occidit, sed etiam Syllanum socerum iugulauit, multosque Romanos ciues, nobilitate insignes ad bestias damnauit, quod ludos eius nõ probassent. In filiorum quoque conspectu, vt dolor augeretur, dã natos ipsorum patres occidi iubebat. Cuidam etiam, qui ne ad eum iret, ægritudinem excusabat, lectică qua deferri posset misit. Equiti Romano exclamanti, quod innocens morte mulctaretur, linguam abscidit, atq; ab bestias iterũ deduci iussit. Cum autem quendam à vetere exilio reuocatum sciscitaretur, Quid in exilio agere consueuisset: respõdente eo per adulationem, Assidue se Deum rogasse vt id eueniret, quod accidit: scilicet vt Tiberius moreretur, ipse imperaret: opinatus suos quoque exules idem facere, misit circum insulas, qui vniuersos trucidarent. Sed cũ in singulos sæuitia vti satis esse non duceret, generatim in vniuersum Romanum populum crudelitatem exercuit, nam sępè cancellos, quibus à feris populus distinguebatur in theatro ademit, clausisq; publicis horreis Romæ, totum populũ fame macerauit, & cũ nullã sibi, nisi in alieno malo voluptatẽ cõstituisset, persępe cũ corpus curaret, ferias disquisitiones

sitiones aut eos quibus gladio mirus decollandi artifex, caput adimebat, spectare voluit. In sacrificio, pro hostia ferunum, qui illam directam tenebat malleo percussit, ne pars vlla in ipsius vita esset humano sanguine non respersa. Quare minimè mirum videri debet, si Dei iudicio ipse simul cum vxore filiaque eodem die in crudelissimam incidit mortem.

De Claudio Imperatore.

Claudius Imperator, crudelitatis atque eius quidem ingentis, expers non fuit. Gladiatores enim, qui peracutis mucronibus decertabant auidè iugulari perspiciebat, attentius ora morientium intuitus: bestijs quoque damnatos, non sine voluptate dilaniari cernebat. Paruisque de rebus homines feris ipsis obijciebat. In theatro ad spectandum commoratus, etiam cum populus pransum abiret, feris ipsis crudelior, nisi pudor obstitisset, ab humana carna dentes non cohibuisset. Quamobrem cum Tyburi secundum veterem morem, securi quendam ferire ad palum ligatum cuperet videre, atque abesset carnifex, eo se loco, vbi res agenda erat, non dimouit quò ad carnifex ab vrbe Roma venit: ô animum profecto in humano corpore, crudelem prorsusque ferinum.

De Nerone Imperatore.

Damnatorum propter Pisonianam coniurationem filios, Nero mari submersit, aut ademptis omnibus fortunis, prohibuit ne vlla ope iuuarentur: itaque fame confecti, in vijs ipsis commoriebantur: postremò ab Aegypto quendā acciuit, qui viuas adhuc hominum carnes deuorabat. Cum autem alia deessent, in quęsæuire posset, Petum Thraseam quem Romanum occidit, quod in fronte nimiam pollicerisęueritatem videbatur, quæ res Senecæ quoque in parte mortis causa extitit: in crimen morte dignum illud trahens, quod alij magnæ laudi in naturæ bonis ascribunt, vt autem incęsæ patriæ inuidiam declinaret, in nouā Christianorum religionem culpam reiecit. Itaq; quosdam eorum ferarum pellibus tectos, feris canibus vt dilaniarentur, obiecit. Alios autē pice corpus totum perfusos, ac palis alligatos, vt profunalibus arderent viuos combusit: adeoque

progressa eius crudelitas est, vt vel legendo fastidium atq; horrorem inducat.

De Vitellio Imperatore.

Nihilo Nerone humanior Vitellius fuit, qui duos fratres adolescentes ad mortē damnauit, quod pro patris periculo eum rogarant: adeò enim inuisa ei pietas fuit, vt eam in filijs quoq; erga parentes damnatione dignam duceret.

De Commodo Imperatore.

Non minus sęuitiæ in Commodo fuit, nam præterleuissimas alias causas, quibus persæpe interfici homines iussit, morte vnum mulctauit, quia C. Caligulæ vitam à Suetonio scriptam legisset: interdum quoque si aliquem cerne re ei contigisset, obeso ventre atque adipe molli, medium vno ictu secari iubebat, vt viscera eius à ventre discurrentia videret, vtpote qui ex eo voluptatem ingentem acciperet, quod alijs permagnum incussisset horrorem.

De M. Valerio Antonino Caracalla Imperatore.

Profectus Alexandriam Antoninus Caracalla, & Alexandrino populo indignatus quia editis ludis, de eo carmina recitauerant, quæ ipse grata non habebat: delectu eorū habito, qui militiæ idonei viderentur, cum eos inspicere velle ostendisset, omnes interemit. Militibusque Romanis, quos in eam vrbem secum adduxerat, ordinauit, vt per noctem hospites suos interficerent, & cū alia sæuiendi materia deesset, eos interfici curabat, qui carminibus aut alia superstitione remedia quartanæ quæsiuissent.

De Heliogabalo.

Sceleſtis atq; crudelibus factis Heliogabalus vsus est, cū adolescentulos innoxios quorum ambo adhuc parentes viuerent, interficiebat, vt eorum mors ad plures dolorem extenderet.

De Macrino Imperatore.

Macrinus, quem ob crudelitatis magnitudinem Macellinum nuncupauerunt, viuētes homines mortuis alligabat, donec vermibus fœtoreq; conficerentur.

De Maximino Imperatore.

Maximinus, vt humano sanguine feritatem suam expleret, contra salutē suā initas esse conspirationes multas finxit,

sit, atque ob id quatuor hominum millia occidit. Vt autem noua tormentorum ac mortis genera inueniret, viuos homines exenteratis bobus includebat, ita vt caput exta-
ret, atq; ita mori finebat.

De Auidio Cassio.

Auidius Cassius, non seuerus modò, verumetiam sæuus, trabi octuaginta pedes prælongæ, atque à terra vbi validè figebatur in altum erectæ, ab imo vsque ad summum viuentes alligabat homines. Atq; circum ipsam succenso ig ne, eorum partem ignis vi, partem fumo, nonnullos quoq; rei ipsius formidine atq; horrore necabat.

De Diocletiano Imperatore.

Diocletiani sæuitia, in Christianæ religionis homines, tantò aliorum Romanorum principum crudelitatem supe reminet, quantò agnos feritate leo anteit: vnde si ipsius atque aliorum, qui Christi religionem persequuti sunt, crudeliter atq; nefariè gesta scribendo prosequi voluero, dinumerandi stellas sumpsisse mihi laborem videar. Quamobrem ex innumerabilibus pauca quædam magis insignia, veluti currens perscribam. In Thebaide, quæ Aegypti pars est, nudas fœminas suspendebat: alias deuexis arboribus alligatis pedibus, eum in contrarium redire arbores permitteret, in duas partes dilaniabat. Quibusdam cum adhuc viuerent, pellem coriumque detrahebat: alios ferreis vnguibus, totum non profundis, sed oblongis vulneribus dilaniatos corpus, carceribus vinctos restituebat, ac tegularũ fragmenta pro strato eis subijciebat, vt quieturi, quàm ante in martyrio deterius haberent. Alexandriæ autem nonnullis ademptæ manus ac pedum digiti, item nasus, labra & aures: atque ita affectos viuere (si hæc uita & non longior mors esse posset) permittebat. Quosdam veluti hœdos ignibus assabat. Verùm in Ponto atque Cappadocia, in Christianos arte aucta fuit crudelitas: peracuta enim cã narum frusta, inter vngues carnemq; digitorum figebat, alios liquefacto plumbo totos instillabat, aut per anum eis corpora replebat. Fœminis quoque per sexum candentia ferramenta adigebat, quibus rebus, nullius tanta barbaries ac feritas est, quæ vehementer horum tormentorum horrore

rore moueri non debuerit. Sed iam priscorum crudelitati finis fiat, ne diutius molestissima nos materia detineat.

RECENTIORA.

De Ecelino de Romano oppido.

Ecelinus Romanensis (Romanū autem in Patauino, vt dictum fuit ante, agro oppidum est) latè in Italia tyrannidem exercebat: tertio Mantuanæ obsidionis anno, cum Patauium vrbem rebellasse audisset, vndecim Patauinorum millia, quos secum habebat, diuersis inclusos carceribus, variis tormentis, atq; insuper fame quoque confecit. In Italiam inducto crudelitatis insueto genere, multorum damnatorū ciuium filios castrauit, tam multis quoq; eodem tempore erui oculos iussit, vt ingentem patinā oculis nō repleret modò, sed etiā spectare vellet. Syllā enim, vt in peremptorum numero, ita etiam in necis modo superare voluit.

De Othone Antonio Montis Feretri comite, Vrbini principe.

Otho Antonius Montis Feretri comes, atque Vrbinatiū princeps, puerum, quem in cubiculi ministerio habebat, refinato linteo, atq; sulphure perfuso inuolutum, viuum in candelę morem combussit, quòd hora, quam ei præfixerat, ipsum non excitasset.

De Mahumete Ottomano Turcarum rege.

Aetate nostra Mahumetes Ottomanus Turcarum rex inter alia sæuitiæ genera, quibus vtebatur, quum in hortis, quos Constantinopoli in delicijs habebat, deesse pomum in arbore cedro, quod paulo antè inspexerat, animaduertisset: arbitratus proculdubio, vnū è tribus pueris quos secum habebat, pomum decerpsisse, quòd in hortis præter eos alius nullus fuerat, quia quilibet ipsorum, se pomū decerpsisse negabat, Iussit vt ferro eorum pectora aperirentur: & nisi in primi, cuius apertū fuit pectus, stomacho fuisset inuentum, dubium non erat, quin ad omnes ipsos ea pœna transiret: quod supplicium, in non conuictum, nimis profecto sæuum fuisse dici debet.

De eodem.

Eidem quoq; mos erat, captiuis quorū aut ætate, aut aliam ob rem inutilis videretur seruitus futura, grandi palo, per anum in totum adacto corpus, in terra defixum,

palum

palum in sublime erigere, atq; ita quantum fieri posset dato cibo alere.

De Nicolao Picinino.

Potest sæuitiæ nomine carere, si quis ad seruandam militarem disciplinam, aut aliquid simile occidatur, cæterùm si in eo inusitatũ tormenti genus adhibeatur, aut ex tormẽto capi voluptas videatur, euitari nõ potest quin illud crudelitatis nomen subeat. Ita Nicolaus Picininus egit, cum Philippi Mediolanensis ducis auspicio, Album Ingaunum obsideret: captum enim Valentem Fogatiam, quod ab obsessis deferre literas deprehensus erat, collo eius ad crura alligato, ita vt in globum cõuersus esset, tormẽto cui vulgo Italicè Bricolæ nomen est, in vrbem Album Ingaunũ transmisit, qui quanquam antè moreretur, quàm terram attingeret, sæuum tamen mortis genus visum est, discerptus enim tanti casus altitudine humanam formam amiserat, ita vt vix parua in parte, alijs amissis, colligi posset.

De Vitoldo Lituaniæ duce.

Quàm fera Vitoldi Lituaniæ ducis crudelitas esset: is enim Sigismundi imperatoris temporibus fuit: experimento eo ostendebatur, quod fallere nunquam solebat. Nam qui ex populis ei parentibus iudicio damnabantur: ad primum damnationis nuncium vltro vi sibiipsis illata vitam suspendio finiebant. Ita enim effugere studebant, ne vrsorum pellibus inclusi ab vrsis ipsis dilaniarentur: aut alio tormentorum genere crudelem in modum, vt consueuerat, torquerentur.

De quibusdam Gallis.

Seuius crudelitatis genus Carolus septimus Gallorum rex in principe Egidio de Raxa Gallici regni Marischallo exercuit: dum furcis appensum atque igne assum fœda morte affecit: quod magicæ arti deditus, centum ac viginti, tum prægnantium mulierum, tum infantium corpora occiderat. Mulier quoq; rusticana Abbatisuillensis viua combusta fuit: quia infantes peremerat, & sale conditos in cibum adhibebat: omnes crudelitatis transgressa terminos: dum in eam sæuiret ætatem quę etiam feras interdum mites inuenit.

DE

De Rogerio Vbaldino, Archiepiscopo Pisano, alijsq; ciuibus Pisanis.

Sæuitia quoq; tantò insignior in Rogerio Pisano Archiepiscopo fuit, quantò pastoralis dignitas magis ab eo abhorrebat. Is enim cum quibusdam alijs Gubellinæ factionis ciuibus Pisanis, ab vrbis administratione Vgolinũ Gerardeschum depulit, cum ipsum in eo honore, Guelfum Pisani constituissent, vt Lucensium atq; Florentinorũ Guelfi nominis amicitiam aduersus Genuẽses cõciliarent: quorum res in Gibellinorum, Vbertorum, Aurię, Spinulæq; manu erant: & à quibus maritimo bello Pisani magna clade afflicti, nouem millia, atq; insuper ducentos anno Salutis ducentesimo atq; octuagesimoquarto supra mille, è suorũ numero desiderauerant. Carcere igitur longo maceratum Vgolinum, pollicitus Archiepiscopus se incolumem seruaturum, si pecuniam quam habebat patefeciſſet, posteaquã eius thesaurum assecutus est, fame, cum tribus liberis, quadriennio postquam clades illata fuerat, ad mortem compulit: sub eo prætextu, quemadmodum cum Genuensibus, per Nicolinum Petracium Genuensem pepigerat, vt Gibellinę factioni, Pisanę vrbis administratio restitueretur: in quo non minus, cum Genuensi populo Archiepiscopus fidem violauit, non tradito Vgolino, quem se daturum promiserat, quàm cum Vgolino, cui incolumitatem pollicitus, si thesaurum detegeret, postea cum thesauro etiam vitam, vt dictum est, ademit.

De Carolo vltimo duce Burgundiæ.

Sæuitiæ terminos transgressa videtur illa quæ in Carolo vltimo Burgũdiæ duce dicitur fuisse. Nã vel ipsarũ tragœdiarũ portenta superauit, nec verò pauci operis fuerit, singula exequi, quę dum iræ indulget, is naturæ violato iure, per summam immanitatem edidit. Quibus enim (vt alia multa omittam) pro rei dignitate verbis, satis deplorari exciſæ penitus vrbes clariſimæ Leodium atq; Dinantũ poterunt? in quib. omnibus, igne ferroq; fœdatis, nulli ætati aut sexui pepercit. Quis etiam sine ingenti dolore, illata Heluetijs mala commemoret? è quibus vno die, quingentos in deditionem acceptos suspendit. Iniuriæ tamẽ à Leodienſibus & Dinantinis, atque etiam ab Heluetijs acce-

ptæ

ræ excusare in Carolo sæuiendi atrocitatem, aliquo modo debere videntur, nam alteri in ipsius contemptum Episcopatu propinquum eius deiecerant, alteri furcis Caroipsius atque procerũ eius simulacra, appenderant, sed pro dubio, in dedititios, atque in sexum ætatemque imbellem tàm crudeliter sæuire, hominis nimium iræ frena laxã ss, opus fuisse videtur.

DE IRA ATQVE ODIO Cap. III.

NE Valerij ordinem deseramus, hoc loco de iracundiâ dicendum est: quæ dum durat, insaniæ furorisq; vt effectum exhibet, ita etiam nomen indipiscitur: neque verò aliud vitium magis hominem torquet, & dum incipit, & cum vim suam exercet, cuius assiduè pœnitẽtia comes est: ad persæpè tam sera venit, vt fructum aut nullum aut per exiguum afferat. Verùm cum exprimi eius vis, nulla re magis quàm exemplis valeat, ad ea descendemus, si ante præfati fuerimus, nos cum ira etiam de odio scripturos, quod inter ipsa haud parua videatur esse coniunctio.

De Marcio Sabino.

Marcius Sabinus, post Numæ Pompilij mortem (nam cum eo Romam habitatum venerat) cùm præferri sibi Hostilium in regno videret, cui ipse aspirabat, adeò indignanter atque iracundè eam rem tulit, vt vitæ tædio sibipsi mortem consciscceret: ô furibundum profectò hominem, quæ enim incendia, quæ ruinæ, aut quæ popul. Rom. strages, effususque sanguinis huius iracundiam explere potuissent? qui cum in populum, Rom. non posset, tam acerbe in seipsum sæuijt.

De Valerio Publicola.

Haud minus grauiter Publicola ad iram propter consulatum, quam Marcius regni gratia, incensus est: nam cum arbitraretur, pulsis Tarquinijs, Bruto in consulatu collegam se futurum, vt Lucretium Collatinum præferri sibi vidit, adeò ira exarsit, vt omnes ante id tempus acceptos honores deponeret, abiectaq; senatoria dignitate, patrocinijs quoque causarum ac clientelis renunciaret, atq; omni publico munere abstineret.

De Spurio Licinio Tribuno plebis.

Cum

Cum Aequi populo Romano arma intulissent, atque ex toto Latio Fidenateque agro, prædam abegissent, Senatus decreuit, vt legiones aduersus Aequos conscriberentur: cũ eam rem Spurius Licinius tribunus plebis impediret, atque eum, quidam Senatores imminentis periculi, atque detrimentorum monerent, quæ toti vrbi inferebantur, Spurius ira atque odio contra Senatum incensus, respondit: passurum se prius Ethruscos aliosque hostes, non prædam modo ex Romano agro agere, verum ipsi quoque vrbi, potiusquàm patricios senatumq; dominari: adeo iracundia atq; odium ei bonam mentem ademerat, vt hostes dominos ferre, quàm ciues mallet.

De Populo Romano.

A Priuatis odijs ad publica quoque transeundum est: cũ populus, à Senatu videret Appium Claudium iuniorem cõsulem, cum T. Quintio Capitolino creari, ingenti odio commotus, quo Appiam gentem prosequebatur, ac simul indignatus, comitio excesit, ne ad honores euehi, quenquam ex ea gente conspiceret.

De eodem.

Grauius quoque odium, eo tempore in patricios ostendit, cùm per noctem occupato Capitolio ab Appio Herdonio: cum quatuor Samnitium milibus, consules Valerius Publicola, & C. Claudius populum ad recipiendam arcem vocarunt. Immobilis enim populus mansit, ceu nihil hostes curaret, captamque patriam perpeti à latronibus diripi, atque incendi, quàm patricijs morem gerere malebat: neque ante de sententia deduci potuit, quàm petitã legem ei Senatus concesit.

Item de eodem.

Repentinam quidem, atque haud scio an iustam quoq; iram populus Romanus ostẽdit, cum ad mortem stilis graphiarijs Erixonem equitem in foro percussit, quòd ad eo filius nimis sæuè vapulauerat. Sed fine Romanis exemplis facto, ad Barbaros atq; exteros transibimus.

De Aegyptijs.

Psamniticus Aegypti rex, illato Aethiopibus bello, exterorum militum virtuti, magis quàm Aegyptiorum fidere vide-

videbatur: cum autem ob eam rem peregrinos maiore in honore haberet, indignati Aegyptij, ad ducenta milia coacti, Psamnitico rege deserto, in Aethiopiam tetenderũt: cũ autem ipse abeuntes secutus blandè appellaret, patriæque & vxorum atque liberorum eos commoneret, Aegyptij in ira perseuerantes, concussis armis dixerunt: Illis nouam sibi patriam comparaturos. Sublatisq; vestibus cum genitalia membra patefecissent, donec incolumem eam corporis partem seruarent monuerunt, neque vxores, neque liberos eis defuturos. Plus enim apud eos indignatio atque iracũdia, quàm patriæ liberorumque charitas valuit.

De Gallis atque eorum duce Brenno.

Vehemens quoque Gallorum ira fuit, cũ aduersus Clusinos cæterosque Ethruscos populos, motis armis, pacem cum Romanis seruarent: nam cum inito cum Clusinis prælio, resciuissent Fabium Ambustum, legatum Romanum, qui ad conciliandam inter Gallos Clusinosque pacem missus erat, in prælium cum Clusinis descendisse, atque gentis suæ Gallum vnum interemisse, ira ac potius furore repleti omissis Clusinis, Romam petierunt, occisisque omnibus quos inuenerant, sacra atque prophana incendio ruinisq; fœdarunt.

De Cambyse Persarum rege.

Persarum rex Cambyses, Darij filius, cum Amasis Aegyptij regis filiam in matrimonium petijsset, atque Amasis verus, ne ea potitus, non vxoris loco, sed in concubinarum numerum retineret, aliam pro filia ei simillimam misit: quã rem Cambyses cum cognouisset, ira exarsit, atque cũ ingenti exercitu in Aegyptum descendit, vbi cum defunctũ Amasim inuenisset, filium eius Psamniticum regno deiecit, ipsius quoque Amasis corpus sepulchro eruit, & tanquam viueret, verberibus cædi, acutisque ferramentis totũ pungi, ac deinde in foro comburi fecit: neque enim animad uertit, plus in seipsum iracundiæ flammas telaque, quã in mortuum Amasim sæuire: quod ea iracundiæ vis ac natura est, vt semper authorem torquere incipiat.

De Septimio Seuero.

Septimius Seuerus Imperator, tanquam immemor esset,

se à Iuliano Imperatore olim desciuisse, Clodium Albinū, ob similem culpam, posteaquam prælio victum interemit, nudum eius corpus, pro palatio proijci iussit, ad quem cū ipsius equus accedere formidaret, calcaribus adactum coēgit corpus ipsum calcare. Indigna profecto res, vt vir, qui iam sexagesimum excederet annum, tam graui cōtumelia, Romanum virum, non modo nobilitate, verumetiam Imperatorio honore insignem afficeret: neque verò hoc egisse contentus fuit, illic enim corpus Albini retinuit, quoad fœtore compulsus, iuberet in flumen proijci.

De Tertulliano.

Quantum ira atque indignatio possit, & quam hominū hebetare ingenia atq; animos soleat, Carthaginensis Tertullianus declarauit: nam cum antea singulari vitæ innocentia esset, ac permulta de Catholica religione ingenti doctrina atq; eloquentia scripsisset, Romæ quorundā clericorū contumelia effectus, maiore indignationis, ad quā permotus erat, quàm honoris propriæq; salutis habita ratione, ad hæresim transiuit, ac prauum Montani Phrygij dogma secutus, aduersus Catholicam fidem scripsit.

RECENTIORA.

De Alarico rege Gothorum.

Recentioris iracundiæ principium, in Alarico Gothorū rege faciemus: is cum ab Honorio Imperator. obtinuisset, vt in Galliam ad quærēdas nouas sedes proficisci posset, & iam profectioni se accinxisset, iuxta vrbem Vercellas, contra fidem datam solenni dominicæ resurrectionis die, Saulus à Stilicone missus (penes quem eo tēpore Occidentalis imperij administratio erat) eum inuasit, Alaricus autem cū strenuè ingentiq́ animo se tueretur, ac diu grauiterq́ prælitatum esset, tandem Romanum fudit exercitum, vehementerq́ ob eam rem indignatus, omissa Gallia, retrò exercitum conuertit, atque omnibus, vsque ad vrbem Romam direptis incensisq́, quid ira posset ostendit. Vrbem enim quam primo Galli, Fabij Ambusti culpa incenderant, nunc quoque Stiliconis, qui tueri eam debebat perfidia cū ad eam vlciscendam Gothi se conuertissent, euertit: id enim iræ magnitudo, Gothos vt agere auderent, compulit, quod

quod antea, ne cogitare quidem ausi fuissent.

De Totila Gothorum rege.

Gothorum rex Totila, recepta vrbe Roma, quam ei Belisarius à Iustiniano in Italiâ missus ademerat, Oratores ad Iustinianum Constantinopolim misit, petitū, vt ipsius Iustiniani auspicio, ac nomine, obtinere ac regere vrbem ipsam liceret: cum autem accepisset Iustinianum conditionē repudiare, repentè immanem regem, atrox ira impulit, vt vrbem quam mortales alij spectando admiratione capiebantur, quæ orbis terrarum erat caput, & cuius iam possessor erat, incendio, ruinisq; totam deformaret, muris quoq; nudatam, quadraginta diebus feris, vt in ea stabularentur, donec denuo ipsa Belisarius potiretur, permisit.

De Constantino Militari tribuno.

Eo bello, quod cum Belisario Gothi gesserunt, cum vnus militum Constantini tribuni, Romano iuueni, insignē specie ensem ademisset, atque Constantinum Belisarius reprehenderet, quod tam insolenter agi à sui ordinis milite toleraret, reprehēsioniq́ue minas pro imperio adderet, nisi gladius repræsentaretur, adeò indignè eam rem Constantinus tulit, vt præ magnitudine iracundiæ, Belisarij dignitatis ac vitæ suæ immemor, pugione quo accinctus erat Belisarij pectus peteret: propter quod facinus, statim cōprehensus, ac laqueo enectus fuit.

De Monte.

Nihil profecto metitur ira, quemadmodum Montis, accolæ montis Silicei, in Patauino agro, factum testatur: qui proditionis insimulatus, cum Verona ad Ecelinum tyrannum, honestè tamen deduceretur, fortasse animos ei faciens de innocētia, magnis clamoribus vociferabatur, Neque se, atque suorum quenquam proditionis infamia ac crimine vnquam laborasse: quæ verba cum tyrannus, à palatio audiret, in propatulum descendit, vbi Mons erat deductus, subitaq́; concitus ira atque toruo vultu Monti appropinquans, inquit, Proditor etiam hiscere audes? quo verbo tanta animi indignatio Montem perculit, vt nequaquā excusare obiectum crimen cogitaret, verum in tyranni collum inuasit, adimereq́; pugionē quo cinctus erat, cōtēdit: quod

cum facere nequiuisset, in terram prostratum vnguibus, atque dentibus ita deformauit, vt vix multis diebus sanari vulnera possent, tandemque oppressum enecuisset, nisi ab astantibus ministris Ecelinus adiutus, & Mons interfectus fuisset.

De Ioanne Andrea Lampugnano.

Nec Mons, de quo dictum est, primus fuit, neq; vltimus, quem ira in grauissimos casus, ac deinde in miserandã mortem deduxerit: nam ætate nostra Ioannes Andreas Lampugnanus Mediolanensis ciuis, in iudicio contendebat, cum Branda Castilionense Comẽsi Episcopo, in qua re, vir qui patrimonium alea ac prodigalitate decoxerat, cũ litis detrimenta grauiter faceret, & vt fieri solet, in principẽ maiorum suorum causas conferret, in tantam non iram, sed rabiem exarsit, vt neglectis quæ supererant fortunis, neglecta ipsa animæ salute, atque præsenti vita, cum sextũ mensem in ea animi perturbatione perseuerasset, ingressum Mediolani principem Sancti Stephani fanum, qua die illius memoria colitur, vt missarum solennia audiret, à tribus comitibus adiutus, interemit: neque verò militaris cohors, quę armis tegere principis corpus solebat, tueri eũ potuit, quia repentè Ioannes Andreas, cum nullus tam grande facinus ausurum quenquam putaret, ad patrandum scelus apparuit: qui dum postea re peracta, apparitorum telis confoderetur sæpius, Ita mori volo, horrẽda voce exclamauit: ô ferum profectò atque furijs exagitatum pectus, ô cæcam iram, imò potius ferinam atque immanem rabiẽ, adeò cupidè alienam appetere mortem, vt propriæ vitæ immemor fieret: nam si scribendo dira Ioãnis Andreæ facies (ne venenatum animum dicam, qui interius latebat) ita vt erat exprimi posset, horrenda adeò proferretur figura, vt solo illius conspectu, ne dum iræ, quæ in viuente erat magnitudine territi mortales, omnia alia, quã ipsum intueri mallẽt.

De Gualterio comite Brenensi.

Perniciosi quoque exitus exemplum, propter immodicã iram, Gualterius Brenẽsis comes præbebit, cui Tancredi olim Siciliæ regis natu maior filia nupserat, & ipse tanquã soceri regnorum hæres, cum quadringentis tantum militibus

ribus profectus, mira fortunæ fœlicitate, ingentique animo penè omnia receperat. Mortuo enim Henrico Imperatore, relicto Federico filio impubere, populorum discordijs agitatum regnum nutabat, atque ad Gualterium plerique inclinabant: sed postremò, cum à Thebaldo Germano, apud vrbem Sarnum Gualterius deuictus in eius potestatem venisset, tanto odio atque vesania in Thebaldū exarsit, vt cum tertio die posteaquam captus fuerat, Thebaldus liberatorum se Tancredum offerret, atque in amissum penitus regnum restituturū, si loca, quæ ipse in eo regno possidebat, confirmare vellet: Gualterius nihil ad amissum regnum cogitans, quod recuperare: nihil ad captiuitatem considerans, quam exuere poterat, vt fera amens, rabi dáque respondit: Neque ea quæ Thebaldus offerebat, neq; longè maiora, tam vilis hominis manu accepta, vnquam grata esse habiturum: quo responso haud ab re indignatus Thebaldus, quòd tam insigni iniuria, ab eo quem captiuū habebat afficeretur, interminatus est, Se facturum, vt tantæ contumeliæ eum pœniteret. Sed hac re Gualterius, furore etiam magis exarsit, ita vt laceratis vestibus, laceratis etiā fasciis, quibus vulnera alligauerat, exclamaret, Viuere amplius nolle, posteaquā in eiusmodi hominis manu esset, qui nimiter in eū ageret: itaq; ipse vulnera atq; intestina discerpsit: et cū vltra, neq; cibo, neq; medēdi aliqua arte curari vellet, iratū furibundumq; spiritū vi extra corpus suum egit, vnica filia relicta. Huius igitur Gualterij imaginē, tecum Lector animo proposueris, pristinę fortunę recuperationem propter odium aspernantis, deinde manum sibipsi inferentis, propter amentiam, iudicabis proculdubio, iratum hominem non à ratione solum aberrare, verū omnibus quoque humanitatis sensibus spoliatum, sub humana specie, moribus in feram conuerti, quanquam feranum nulla adeò vt hic, in seipsam sæuire cognoscebatur: nunc à priuatis ad publicas iras transeamus.

De populo Romano.

Orta inter Ioannem decimum Pontificē, atque Albertū Etruriæ Marchionem discordia, quia Albertus Pannonias aduersus Romanam ecclesiam mercede conduxerat,

qui iuxta gentis suæ morem, ferro atque igne omnia fœdabant: indignatus ob eam rem populus Romanus, quod illorum discordijs Romanus ager vastaretur, capto Alberto caput ademit. Exercitus quoque Pontificem manibus in eum iniectis, in carcere puluino ori obiecto enecuit: nulla in vtroque dignitatis, vel ecclesiasticæ vel seculáris habita ratione.

De Stephano sexto Pontifice.

Stephanus sextus Pontifex, in Formosum Pontificem, quanquam mortuum, quod is interdum, ne ad Pontificatum ascēderet obstiterat, odij tenax fuit, adeò vt erui è sepulchro corpus iusserit, ademptis Pontificijs vestibus atq; ornamentis, seculari amictum indumēto, vt extra ecclesiā sepeliretur, statuit: manuū quoq; digitos abscidit, tanquā mortuum sacerdotali atque Pontificio honore priuare vellet, ac piscibus deuorandos in amnem abiecit. Adeò propter odium amissa ratione, vt dominicæ admonitionis, de iniuriarum remissione rationem nullam haberet. Malus enim grex ita à semina veri pastoris aberrauit, vt Pontificatum in tyrannidem conuerterent.

De Lothario Gallorum Rege, & Sergio tertio Pont.

Sergius tertius Pont. odij iniquus vltor, Formosi Pontificis, de quo diximus, corpus denuò erutum, à secūdo tumulo, palàm in foro capite mulctauit, ac deinde in amnem Tyberim proiecit: ob id solum, vt Lothario Gallorum regi morem gereret, qui hoc odio Formosum defunctū prosequebatur, quod ipsius opera imperium à Gallis ad Berēgarios transierat. Nonnulli quoque arbitrati sunt, in Formosum sæuiendi apud Sergium eam fuisse causam, quod in Pontificatus creatione, Formosus nonnunquam Sergio restitisset. Cæterum quæcunque eius rei causa fuerit, profectò & turpis habita est, & vnde magnum in authorem dedecus atque infamia resultauit.

De Clothario Gallorum rege.

Ira prorsus furoris plena Clotharij Gallorū Regis fuit, Clodoueo patre orti, qui alio nomine Clouis quoque nuncupatus, I. Gallorum Regum habitus est, qui Christianū nomē profiterētur: nam cum inuidorum opera, resperſum

falsis

falsis criminibus Gualterium Iuetoti dominum, regij cubiculi honore, atque ministerio insignem expulisset, & is decennium in Oriente aduersus Christi hostes pugnando, consumpsisset, inde postea reuersus, cum Regi Clothario, Virgilij Pontificis scriptas in commendationem suam literas, in templo reddidisset, ea die, qua Christi redemptoris mortem Ecclesia ingentibus ceremonijs celebrat, arbitratus, & loci & temporis ratione clementiorem se Regẽ habiturũ, ex toto eũ opinio fefellit, quod præter modũ furore correptus rex Clotharius, eum manu sua crudeliter occidit: quamobrem acerbè à Pontifice reprehensus, cũ præterea etiam eum conscientia, id quod persæpè in ira cõtingit, torqueret, vt pro tanto crimine, quantũ fieri poterat, satisfaceret, sicuti nimia ira atq; superbia palã deliquerat, ita etiã palã atq; humiliter corrigere crimen voluit. Gualterij enim hæredes ac posteros, itẽ Iuetoti vrbẽ, atq; agrũ, ab omni Gallici regni imperio ac seruitute liberauit: itaque ab eo tẽpore, eius loci potiti homines, regio nomine insignes facti sunt, neq; vero Iuetoti exiguitas obstitit, quanquam vndique eum Gallici regni loca ambirent, & à rege Gallico defenderetur, quin subiectionis ius nullum agnosceret.

De Bonifacio octauo Pontifice.

Quis immensi odij magnitudinẽ enarrare possit qua Bonifacius octauus Põtifex Gibellinam factionem prosequutus est? facinus profecto non modo sacerdote indignũ, sed ne latroni quidem aut piratæ congruẽs: nã qui pro pastoralj officio extinguere odia debebat, ea ipse, verbo atq; re inflammabat. Itaque Cinerum die, cum mos esset, vt Pontifex ecclesiasticorum antistitum capita cinere aspergeret, vt ad Porchetum Spinulam, Genuensem Archiepiscopũ, peruenit, quod Gibellinæ factionis esse putabatur: Cineré nõ capiti insperſit, sed in oculos, peruersè enunciatis solennibus verbis, coniecit, dixit enim: Memento te Gibellinum esse, & quod cum Gibellinis in cinerẽ reuerteris: tãta enim odij vis, scelerato pectori insedit, vt sacra verba, ad euomendum factiosæ mentis virus peruerteret.

De populo Florentino.

Regnante Neapoli Mãfredo, cum Gibellina factio vrbe

Florentia ab aduersarijs pulsa, Manfredi atque Senensium ope subnixa, redire in patriam contenderet, ingentibus copijs ad amnem Arbiam aduersus Florentinum populum vrbe egressum acriter dimicabat: eo ipso tempore Gibellini, qui in castris Florentinis erant, facta ad hostes transitione, auctis exulum viribus, Florentinum populū, terga dare coëgerūt. In quo prelio Bucca abbas (id gētis nomē est) gladio Florētini populi signifero, qui è Pacia gente erat, manū abscidit. Florentinorū igitur ac fœderatorum multa hominū milia, eo die desiderata fuerūt, adeo Gibellinorū pectoribus odium in Guelfum nomen insederat, vt nulla honoris aut patriæ charitatis habita ratione, suos euertere, & gloriam hostibus tradere, non erubuerint.

De Henrico Hispaniarum rege.

Moriente Ioāne Castulonēsi rege, eius nominis vltimo, superstites duo filij fuēre, Henricus atq; Elizabetha, quæ postea Ferdinando Ioannis Aragonij Siciliæ Regis filio nupsit: cum autem Henricus Elizabethæ frater, procreationi impotēs haberetur, atq; vt interdū contingit, verbis cū eo soror contendens, dixisset: Etiam inuito ipso se post eū regnaturam: tantum ex eo indignationis Henricus concepit, vt statueret omnino operam dare, ne sorori quod optabat succederet. Itaq; cum Hispanum iuuenem conspexisset, decora quidem facie, sed humili fortuna natum, nomine Beltramum Cueuam, in regiam eum acceptum, ducem Alburcherchensem creauit, egitque, vt cum regina conçumberet, itaque filiam edidit, cui Elizabeth nomen editū est, quæ magnorum Castulonensi regno, post Hērici mortem motuum causa extitit, alijs filiam, alijs sororem ad capescendum regnum vocantibus: quamobrem cum soror viribus superior fuisset, filia in Lusitaniam profugit, retento regio animo nomineque, & si eam qui diuersas partes fouebant, Beltramicam appellarent.

De Stephano Konth equite Pannonio ac comitibus.

Cum Sigismundus Brandenburgensis Marchio, vxoris gratia ad Pannonum regnū peruenisset, patuit quantas vires insitū à natura inter Bohemios Pannoniosq; odiū haberet: nā cum Sigismundus Stephanū Konth, Pannoniū equi-

equitem, atq; cum eo alios viginti equites, veluti parũ dicto audientes, cõprehendi iussisset, cathenisq; vinctis omnes ad eũ deducti essent, nullus eorũ, vnquã regem, ne capita quidẽ conniuens, honore dignatus est, neq; regẽ suũ nominare voluit, maluerunt q; non ipsi modò, verũ ipsorum quoq; ministri, prius capite mulctari, quã sententiam mutaret. Inter ministros autẽ Chiotza Stephani alumnus, cũ domini mortem grauiter quereretur, & eum, quia adhuc tenera ætate erat, Sigismundus multa promittens, solari vellet, offerretq; se suorum numero eum habiturum, is turbato vultu, plenisq; animi indignatione verbis, respondit: Se nunquam scrophæ Bohemæ subiturum seruitium: atque in hac animi obstinatione interemptus est.

De Genuensibus aduersus Pisanos.

Vno adhuc exemplo Genuensium iræ atque odij posito, huic materiæ quæ rabiei plena est finem faciemus. Anno salutis ducentesimo atq; octuagesimo quarto supra mille, cũ bello inter se Genuenses atque Pisani decertarent, Genuenses captis duabus Pisanorum triremibus, cum Syracusis in Sicilia appropinquassent, atq; per noctem extra vrbis muros triremium patronos in furcis suspendissent, reliquam nauale turmam vendiderũt, precio in singulos vnius cœpæ constituto, eam ignominiam longè grauiorem, quã ipsam mortem arbitrati.

DE AVARITIA. Cap. IIII.

DE auaritia iam tandem scribamus, quæ fomentum auiditatis est, atque vrgens ad omne scelus calcar: ab animis enim in quos semel ingressa est, amicitiam honorisq; desiderium pellit, ac nunquam inde egreditur, quin potius cum annis crescit, & quamuis senio subeunte corporibus vires decrescant, habendi cupiditas, tempore ipso augetur: & in quo minus ad viuendũ spacij supereſt, tantò plus struendis intenta opibus, timidius necessaria promit. Itaque quicunque auaritia captus laborat, cum neminem amet, à nullo etiam amatur, & cum omnia auro postponat, quantò plus auri possidet, tantò plus quærendo inhiat: ve luti hydropicus, qui bibendo semper magis sitit, & si totũ aqua perfusum plenumq; corpus habeat. Quæ res effi-

cit, vt non sine ratione, omnium Italorum consensu, in idē conuenientium nomen, auaritiæ enim comes semper est miseria, auaros omnes miseros esse dicamus.

De Perseo Macedonum rege.

Miseros esse auaros, exēplo suo Perseus vltimus Macedonum rex ostendit, à Paulo Aemilio superatus ac captus: nā à reliquis militibus desertus, paulo antequā caperetur, magnarum promissionum spe, paucos quosdam Cretenses secum retinuit: promissorū pignus fuēre data aliquot aurea vasa. Cum autem Cretensium præsidio, in tuta se loca recepisset, pollicitus se pecuniam daturum, vasa à Cretensibus recepit, & cum vasis pecuniam quoq; retinuit: itaque ab ipsis etiam Cretensibus destitutus, cum nullo alio, quàm auro comite, in Samothraciam profugisset, ab Aemilio captus, Romam in triumphum, quemadmodum tanta auaritia dignum erat perductus fuit: nam cum in bello pluris aurum quam homines fecisset, tandem experiendo cognouit, aurū se, quia homines quibus aurum defenderet non habebat, vna cum libertate ac regno amisisse.

De filio Tigranis Armeniæ regis.

Cum Tigranem Armeniæ regem, Pompeius deuicisset, & is ab eodem Pompeio, in regnis quæ ante possidebat restitutis, im Romana castra, ad salutandum Pompeium venisset, maiore natu filiorum prosequente, à toto exercitu amanter exceptus, & à Pōpeio cœnæ honore dignatus, postepulas Pōpeio, totiq; exercitui ingentia munera contulit: cum postea filius quoq; inuitatus esset, respondente eo tanti se cœnam emere nolle: indignatus Pompeius, custodiri eum iussit, ac Romam in triumphum duxit: nam patre eius ob liberalitatem in regnis relicto, auarum filiū, qui abiecto erat animo, vnè cum regno libertate quoq; priuauit.

De Tiberio Rom. principe.

De omni vitiorū genere scribendi, abundè Romani principes, vt ante etiam dictum fuit, exempla subministrant, inter quos auaritia Tiberium Cæsarem notabimus: occidit enim Gn. Lentulum augurem, patricio genere, vitæque modestia ac virtute impensè laudatum, posteaquā is eum hæredem scripserat. Veneficij Lepidam fœminam innocentissi-

tissimam condēnauit, vt Quirino diti, atque orbo morem gereret, fretus ob nauatam eā operam, se eius futurum hæredē. Vononū quoq; Parthorū, regē qui per seditionem regno pulsus ad eum confugerat, posteaquam opibus spoliauit, quas ingentes attulerat, interemit. Itaq; cū Lentulum vt hæreditate potiretur occidisset, & spe alterius hæreditatis innocentem fœminam damnasset, ac præterea regē spoliasset interemissetq;, qui sub fide ad eū se receperat, cum ip se maiore orbis terrarum parte potiretur, satis intelligi potest, quam eius esset habendi cupido. Etenim etiamsi in humili fortuna natus, priuatam egisset vitam, pudere tamen tantæ turpitudinis eum debuisset: verum vt hæc in eo horrenda fuerunt, ita quæ sequuntur dedecoris plena.

De C. Caligula Imperatore.

Caligula post immensas profusiones (delicijs enim animum explere voluit) ad auaritiā atq; rapinas conuersus (id quod agere solēt quibus expendendi nullus est modus) testatores, vt ipsum hæredē scriberent cogebat, quos postea, si superuixissent veneno tollebat: ridendos ducens, quòd condito testamento superuiuerent. Superante demum cupiditate atq; auaritia, fœminarū mariumq; lupanar in palatio condidit, ac misit, qui per vrbē cursitantes obuios, vt fructuosum vectigal principi redderent, inuitarent. Coacta igitur ex eo vectigali ingēti pecunia, cum in ea nudum se prouolueret, auri auiditatem explere cōtendebat. O ingentem nimiamque auaritiam, quæ in tanto imperio, tantum principem excæcatum, in eam vilitatem abiectionēq; deduxisti, vt neque dedecus suum, neq; imperij ignominiā agnosceret, cum se veneficum atq; lænonē præstarer, quod nemo, ne obscuro quidem ortus loco, quamuis inopia pressus, vix quin erubesceret, in occulto agere posset. Tu sanguinem, tu honorem, tu vitā, tu Deū, auro parem (quibus nulla vis auri par esse potest) duxisti, à quo necessariū expendendi vsum ademeris, nulla magis, quàm è saxo vtilitas sentitur: quin ex eo habendi insatiabilis auiditas prouenit, & eius amittēdi perpetuus timor, cui odium atque inuidia comes nunquam definit esse.

De Commodo Imperatore.

Com-

Commodus Imperator omniũ auariſsimus, alienæ mortis facultatem, cupiẽtibus facilè pecunia permiſit, omniũque aliorum criminum impunitatem, auro condonauit, palam litium capitaliumque criminum iudicia vẽdidit: haud ſecus, quàm ſi publicis nundinis venundandæ merces eſſent. Cæterum iam à tetræ crudelisque auaritiæ moleſtia, ad minus ſæua eius crimina deſcendamus.

De Galba Hiſpaniarum proconſule.

Galba antequam imperaret, Hiſpaniarum Proconſulatum ſub Nerone gerens, cum ei Tarraconenſis ciuitas, dono coronam auream daret, quam ponderis quindecim librarum dixerunt eſſe, ſtatim adhibita ſtatera, iuſsit pondus inſpici, & cum inueniſſet tribus libris minus quam dictum fuerat pondus eſſe, munere tanquã deberetur in obligationem conuerſo, poſtpoſito pudore à Tarraconenſibus, tres libras quæ coronæ deerant, exegit.

De Veſpaſiano Imp.

Veſpaſianus Imperator, & ſi aliorum principum ſcelere effectum eſt, vt inter bonos annumeretur, tamen haud mediocriter auaritia laborauit: nam cum ab amicis reprehenderetur, quod rapaces homines in prouincias, atq; ad obeunda publica munia mitteret: reſpondebat, Eis ſe tanquã ſpongia vti: quia rapinis locupletatos, ipſe poſtea ſpoliaret: eos enim pro crimine quo ipſe laborabat, huiuſmodi pœna parum honeſtè mulctabat.

De eodem.

Idem filio Tito reprehẽdenti, quod è viliſsimis rebus cogere pecuniam non omitteret: dixit, Vt follem pecunia plenum, quem à procuratoribus allatum, tunc ante ſe habebat, olfaceret, experireturq; quídnam oleret: & reſponden te Tito, Grauem nullum inde odorem ſentiri: ridẽs dixit. Atqui hoc lotium eſt, nam ex vrinæ vectigali hæc pecunia confecta eſt. Neque enim animaduertere voluit, vrinæ fœtorem, cui auaritia eſſet coniuncta, & ſi naſum non læderet, famam tamen denigrare.

De exercitu Titi Veſpaſiani Rom. principis.

Aurum inexplebiliter ac ſceleratè nimis ſitire ſe oſtẽdit Romanus exercitus, cum Hieroſolymas Titus obſideret,

Iudæ-

Iudæos enim, qui ab vrbe fame cõpulsi profugiebant, deuorata aurea moneta, vt ita eam ab hoste incolumem seruarent, medios ferro diuidebant, vt in intestinis aurum, quod deuorauerant, inquirerent. Cum pusillam horam, qua ventrem exonerantes inter stercora aurum effunderẽt, quæ nimia cupiditate ferre nõ possent. Biduo enim duo Iudæorum milia, per hunc modum milites interemerunt: plures quoque occidissent, nisi Titus graui proposita pœna eam rẽ interdixisset.

De Argiraspidis.

Argiraspidæ post Magni Alexandri mortem, ab Eumene Cardiano conducti (qui vnus successorũ Alexandri fuit) cum eo aduersus Antiochum bella gerebant, qui vt impedimenta recuperarent, paulo antè ab Antigono adempta, nulla fidei atque honoris habita ratione, Eumenem captum Antigono prodiderunt. Sed vt pro perfidia atque auaritia parem gratiam, vt digni erant, acciperent, iterum ipsis impedimentis spoliati, omniũ egeni, nisi perfidiæ infamia remanserunt. Atq; in tanto Antigoni, cui eam operam nauarant, atque eius militum odio post id factum fuerunt, vt eorum nullus in patriam viuus redierit.

RECENTIORA.

De Constantia Galli Cæsaris coniuge.

Inter recentiora auaritiæ exempla, primo cõmemorabitur Constantia, Constantini Maximi Augusti filia, & Galli Cæsaris, qui in Oriente regebat coniunx: quanquam autem plerunq; in eo sexu, aut prodigalitas insignis, aut tetra auaritia conspici soleat, id tamen, quod ipsa patrauit, tam longè ab officij meta discesserit, vt fidem vix inueniat. Quis enim facile adduci possit, vt credat tam sublimis fortunæ fœminam, iussisse Clematium Alexandrinum, virum innocentẽ, indicta causa interfici: & nihilominus ita res fuit, gemmato enim monili, corrupta à Clematij socru, generi mortem ei vendidit, quem inuisum socrus habebat: quia vir probus stupri ab ea interpellatus, tanta turpitudine abstinuerat, cuius rei quoties mentionem fieri continget, haud facilè dijudicabitur, quid potentius existimari debeat: effrenáne in Clematij socru libido, an Clematij honestas,

ſtas, aut rapacis Conſtantiæ auaritia.

De Conſtante tertio Imp.

Conſtans tertius Phocæ Imperatoris ex Cõſtantio maiore natu filio nepos, ex Græcia ad vrbem Romam profectus, omnibus ſacris prophanisq; locis ſpoliatis, quinque diebus, quibus in ea vrbe manſit, tantum ſtatuarum ac reliquorum ornamentorum inde abſtulit, quantum antea ex magno numero omnes barbari, qui vrbem Romam diripuerant, non abſtuleruntadeoq; acerbè populos imperio parentes, atque nõ in poſtremis, Siculos grauibus tributis preſsit, vt multi vẽdere filios cogerẽtur, adeò à primis principibus degenerauit, qui non ſolum ornare ſtudebant vrbẽ Romam, verumetiam victui neceſsaria populo, atque inſuper pecuniam largè præbebant: id gloriæ ex donationibus quærentes, quod in rapiendo Conſtans ſibi propoſuerat. Cæterum cum in Sicilia à militibus ſuis interfectus eſset, Sarraceni, qui per id tempus in Sicilia Panormum vrbem occuparant, in Africam omnes Conſtantis rapinas deuexerunt: cui id contigit quod plerunque auaris ſolet, vt opum quas rapinis congeſserunt, hi poſſeſsores fiant, quos minimè arbitrabantur, ac penes raptorem auarumq; infamia ac crimen maneat, cum alij recto Dei iudicio, rapinarũ cõmodo ac voluptate perfruantur.

De exercitu Balduini ſecundi Hieroſolymarum regis.

Sæuitiam immenſæ iunctam auaritiæ, qua Romani milites, vt ante dictum eſt vſi ſunt, dum exenteratis Iudæis captiuis, deuoratum ab eis aurum inteſtinis perquirunt, exercuêre etiam Balduini ſecundi Hieroſolymarum regis milites in Turcas, quos deuicta Cæſarea, in ea vrbe cœperunt. In eis enim immenſa habendi cupiditas, pudorem eum vicit, qui iure in eo bello ſeruandus erat, quod ſub religionis titulo, & non plura habẽdi cupiditate Balduinus gerebat.

De Rodolpho Imp.

Rodolphus Imperator natione Germanus, adeò auri cupidus fuit, vt Italicas vrbes, parua pecunia, ab imperij iure ac nexu liberaret. Paruum enim compendium, cum dedecore maluit, quam honeſtè ingenti regno potiri.

De Benedicto Pont.

Aua-

Auarum nimium Imperatorem, haud indecenter Pontifex auri auidissimus atque tenax sequetur, is Benedictus nonus fuit, qui Gregorio Sexto Pōtificatum vendidit, quē credibile est, si tantum emptorem inuenisset, seipsum quoque venditurū fuisse, ac libertatem vitāq; ipsam auro, si magna eius vis oblata fuisset, postpositurum.

De Petro primo Castulonensi rege.

Quo nomine, pro rei indignitate appellare poterimus id, quod Petrus Castulonēsis rex, aduersus Mahumetem Granatæ regem impiè gesit? cum ad eum opis petendæ gratia aduersus alios Mauros venisset. Omne enim aurum, quod secum attulerat, rapacissimus rex Petrus ademit, & cum palam iaculari cum suis iussisset, primus fuit, qui eum manu sua iaculo peteret. Hunc ne auarū, an crudelē aut ignauum nuncupabimus? aut eo solo contenti erimus, quod infelix Maurus rex tunc coram ei obiecit? dixit enim, Petrū regem turpem nimis triumphum ducere de rege, qui opis salutisque gratia in eius fidem se recepisset, violata fide, violato naturæ fœdere, atque omni humano neglecto more, spoliato atque occiso.

DE SVPERBIA Cap. V.

De Xerxe Persarum rege.

DE superbia atque insolentia scripturi, vt quæ ipsorum criminum vis sit, quantaque secum mala tulerit ac ferat, præfari nos multa non oportet: neq; enim quisquā est, quem lateat, propter superbiam deturbatum è cœlo cū angelis suis Luciferum fuisse. Omnibus etiam notum est, Adami primi parentis, dum plura scire quærit culpam, nō alio quàm superbiæ nomine compellari posse: Atque eius criminis magnitudinem ex eo conspici, quod crimine suo, in posterum totum genus humanum infecit, nec redimi crimen, nisi illius sanguine potuit, qui cum patre ac spiritusancto humanum genus condiderat. Quæ duo ingentia mala, cum superbia in angelicos choros atque humanum genus intulerit, frustra est, vt vltra alijs rationibus damnosum esse id crimen probemus. Itaque hæc pauca præfatos nos esse satis erit, si exēpla subiecerimus, quibus postea homines, in magna incommoda ob superbiam inci-

incidisse, ac suijpsius atq; aliarum rerum quas habere curæ debebant, oblitos ostendetur. Huius rei primum hîc exemplum Xerxes præbebit, cui cum satis non esset, superbè in homines agere, idem etiam aduersus mundi elementa facere cõtendit. Primum cum Hellesponticum fretum traijceret, indignatus ventis mare intumuisse, tanquam aquis sensus inesset, verbera ac carceres interminatus, ceu vincere vellet, compedes in mare deijci iussit: deinde, cum Athos lõgo tractu in mare procurrens, nauigationi eius incommodus videretur, à continenti montem abscidit, adeo enim à recto sensu superbia eum auerterat, vt maris terrarumque, ac propriæ naturæ inscius videretur.

De Cyro Persarum rege.

Eadem superbia Persarum rex Cyrus vsus est, cũ ad Babylonicam expeditionem, proficisceretur. Fluuium enim Gangem, immensæ magnitudinis, rapidumque in trecentos ac sexaginta paruos alueos diuisit, quod in eo eques Persa, vnà cum equo absorptus esset, nam superbæ rei, insolens quoque verbum addidit, affirmans, Se ita diminuturũ amnem, qui equiti suo se peruium facere noluerat, vt etiam prægnans fœmina, pedibus fine labore eum traiectura esset: ô immanem profectò superbiam, elementis non secus ac hominibus irasci, atque ab eis reuerentiam exigere.

De Sesostre Aegypti rege.

Aegypti rex Sesostris superbus nimis atque insolẽs fuit, qui principes ac rectores prouinciarum, ad se quotannis cũ munere cogebat venire, atque ex eorum numero, à quatuor veluti equis currui iunctis, ad templum trahi volebat: demens nimium, cui id in mentem non veniret, quod qui hominibus pro iumentis vteretur, ipse ob superbiæ magnitudinem, amissa ratione, bestia iumentumque efficiebatur.

De Tigrane Armeniæ rege.

Tigranes Armeniæ rex, haud minore quàm Sesostris superbia præditus, parentes sibi reges domestico ministerio adhibebat: in mensa enim atque alijs rebus, eorum opera atque seruitio vtebatur: & cum pro tribunali causas populorum aut legatos audiret, circũstare tribunali supplicibus manibus, in seruorum morẽ cogebat: hic autem superbus,

tanta

tanta timiditate laborauit, vt eum coram Pompeio defle-
to genu procumbere, atque ad eius pedes diadema depone
re, non puduerit. Etenim hæ superbiæ leges esse solent, vt
fortidorum corda plerunque inuadat, quos vt prospera for
tuna non capit, ita eadem, cum terga dedit, animo penitus
prosternat.

De eodem.

Immanem quoque superbiam stulte nimis idem osten-
dit, cũ arma in eum L. Lucullo mouente, illi qui primus hu
ius rei nuncium tulit, pro munere caput ademit.

De Cambyse Persarum rege.

Superbè quoque nimis atq; crudeliter Persarum rex Cã
byses egit, cum interrogatus ab eo Præxaspes Persa, nobi-
litate insignis, Quid de Cambyse populi sentirent? amicè
respondisset, In omnibus à Persis Cambysem laudari, nisi
quod vini appetentior esset. Arcum enim quem manu tene
bat, Cambyses tetendit, & ad Præxaspem conuersus, dixit:
Se quanquam immodicè potasset, sagittam tamen in me-
dium filij eius cor directurum, & ita cognituru Præxa-
spem, nunquã tã potum Cambysem esse, vt à vero sensu
aberraret. Cùm autẽ in hæc verba sagittam emisisset, me
dium adolescentis pectus traiecit, cui cum illa ipsa hora a-
periri totum iussisset pectus, inuenta est in cor ipsius sagit
ta penetrauisse. Prę superbia enim, cum audiendi veri pati-
ens non esset, in amicum adeò crudeliter sæuiuit.

De L. Sylla Dictatore.

Cùm Lucretius Offella consulatum à L. Sylla dictatore
peteret, quod ipsius opera Sylla vrbem Prænestę cepisset,
atque iuniorem Marium euertisset, Sylla autem nutu con-
sulatum negaret, neque ob id Offella rogare desineret, Syl
la qui foro, deambulabat, manu sua eum interemit, atrox-
que facinus, grauiore verborum atrocitate auxit cum po-
pulo qui in concionem venerat, aratoris fabulam narra-
ret, pediculorum enim morsu vexatum (omissa oratione) ve
stem, vt poterat manu sua purgasse, dixit: sed cum denuò
earum bestiolarum morsibus peteretur, eandem diligentiã
iterum adhibuisse, & cum ob id ea molestia non liberare-
tur, vestem ipsam, pediculosq; simul in ignem coniecisse:

ob eam rem cohortatus est omnes, ne vltrà ei molesti essent, nisi eadem ab ipso perpeti cuperent: inauditam profectò superbiam, orbis terrarum domitori populo, tanquã mancipijs silentium indiceret, & amicum, cuius labore periculoq; multa esset assecutus, quia meritum honorem peteret, crudeliter occideret.

De Roboam Iudæorum rege.

Insignis quoque Roboam Iudæorũ regis superbia fuit, nam cum mortuo patre Salomone, populi ad eum missi essent oratum, vt onera imminuerentur, qui blandiri populis debebat, quod inuenis in regno nouus esset, superbissimis verbis à se reiecit: dixitque tanto maiora ab eis exigere velle, quantò ipse patrem virtute antecedebat, qua nisi seipsum falleret, longè inferior erat: itaque eius facti indignitate, in desperationem coniecti populi, cum decem tribus ab eo rebellassent, Ieroboam primum Israëlitici populi regem constituerunt, Roboam igitur superbia egit, vt Israëlis regnum, ab altero qui Iudæ dicebatur, diuisionis initium inchoaret.

De Pausania Lacedæmonio.

Quod Roboam insolentia inter Iudæos peperit, id Pausaniæ superbia, inter Græcos effecit: nã cum vniuersæ Græciæ exercitus, aduersus Persas conuenisset, Pausanias sæuè nimis omnes verberibus afficiebat, qui ante Lacedæmonios pabulatum iuissent: nec minore superbia, petenti Aristidi Athenienſi, Se eum grauibus de rebus alloqui velle: respondit, Sibi tunc audiẽdi ocium non esse, quibus rebus Græcos omnes fastidio affecit, eiusq; superbia, ante alia reliquos omnes Græcos impulit, vt Lacedæmoniorum fœdus atq; amicitiam relinquerent.

De Lysandro Lacedæmonio.

Non minus quoque superbum Lysandri respõsum fuit; cum de finibus Argiui atque Lacedæmonij contenderent, nam cum Argiui potiora sua dicerent iura esse, Lysander stricto gladio affirmauit, Illius potiora iura, qui gladij dominus esset effectus. Insolenti enim verbo, ostendit se vim iustitiæ antelaturum esse.

De C. Iulio Cæsare dictatore.

Caius

Cuius Iulius Cæsar dictator, cum triumphali curru vehens, vicum præteriret, vbi è regione prætereuntis Tribuni sedebant, vehementer turbatus est aduersus Pontium Aquilam, quod vnus ex tribunorum numero, vt cæteri fecerant, ei non assurrexisset: neque vero multò post illum assurgendi honorem, quē ei Tribunus habere noluerat, ipse vniuerso Senatui negauit. Venientem enim in Veneris genitricis templum, sedens superbè nimis excepit, monentem quæ vestis contactu C. Trabatiū vt assurgeret, minus fami liari vultu aspexit.

De C. Caligula Imperatore.

Caligula vt in alijs immodicus fuit, ita etiam superbia aut potius immanitate omnes humanitatis metas transgressus est. Multorum numinum statuis capita ademit, & ita similia restituit. Castoris atque Pollucis templum, in vestibuli speciem, ante palatij sui valuas transtulit, atque illic inter deorum statuas sedens, tanquā numen coli se iubebat, ac latialem Iouem appellari, cum manu fulgur aura ta barba teneret. Cum autem interdum tridente manum assumaret, vt Neptuno similis esset, maris numen dici volebat. Idem sibiipsi templa ac statuas aureas condidit, fasianosq; tantum ac phenicopteris, pauonibusq; sacrificabat, Lunā quoq; tanquàm si fœmina esset in eundem thalamū recto lectum inuitabat. Iouem etiam se ab urbe depulsurum minitabatur: quod nonnunquam emissis imbribus, ludos ac munera quæ edebat perturbasset.

De Domitiano imperatore.

Domitianus & si minus amens, quàm Caligula, non minore tamen animi superbia laborauit. In edictis enim atque publicis scripturis, Dominus ac Deus appellari voluit: cum adeò eum animi potentia efferret, vt terrarum imperio non contentus, cœlestes quoque honores occupare vellet.

De M. Aurelio Antonino Bassiano Heliogabalo.

Heliogabalus imperator, cum ob superbiam Deus haberi vellet, currum conscendens, quem leones traherent, Cybelem se nominare iubebat & Bacchum vocari, cum curruī tygres iungeret, cui potandi studio similior fortasse

videre poterat. Sed cum immanitate alios omnes excederet, vniuersum Senatum vrbe expulit, atq; in contemptū seruos togatos nuncupauit.

De Sapore Persarum rege.

Non minus superbè quàm Domitianus atque Heliogabalus Persarum rex Sapor se egit, cum ad Constantium imperatorem scribens, Solis atq; Lunæ se fratrem & qui inter stellas partem haberet, nuncupauit, nullo erga Constantium honore vsus.

De Lucilla.

Ingens profecto Lucillæ superbia putanda est fuisse, quæ plerunq́ue muliebri sexui comes esse solet, nam M. Antonini filia, Lucia Vero imperatori nupsit, & illo mortuo Pompeiani nuptias sequuta est, imperatoris insignibus non omissis, vt imperatoria sede vteretur atque iter faciens, ignem vnicum honoris signum Augustis tantum atque eorum vxoribus seruatum, præmitteret. Cùm autem Commodus imperator eius frater, Crispinæ quam vxorē duxerat, primum honorem, vt par erat dedisset, Lucilla superba nimis mulier adeò id grauiter tulit, vt aduersus Cō modi fratris vitam, inscio viro Pompeiano, cōspiraret, propter quam rem Commodus eam cum multis alijs interfici iussit.

De Pallante Claudij liberto.

Neque noua, neque miranda videri debet ea superbia, quanquam immensa sit, si eam imperij aut regni alicuius fortuna traxerit, sed humanitas potius ac clementia mira est, si in magna fortuna retineatur, quod eiusmodi virtutes humilem potius fortunam, ac mediocres hominum statūs sequi cōsueuerunt. Inualuit autem magis, vt qui ab humili in magnam fortunam conscenderunt, prioris humilitatis obliti, longè insolentiores fiant, quàm qui in grādi fortuna orti sunt: testis est Pallas, Claudij Cæsaris libertus, qui sub eo principe, immensis opibus comparatis, cum à Peto accusaretur, in Neronem conspirasse, atque ad rem probandam quidam Pallantis liberti adducerentur, coactus est Pallas vt innocentiam probaret, superbiæ suæ magnitudinem detegere. Affirmauit enim, moris sui esse, nunquam

quam miniſtrorum ſuorum quempiam alloqui, ſed ſi quid vellet, id eis aut manu, aut nutu indicare: & ſi quid eſset, quod longiore oratione declarendum eſset, illud eis ſcribere. id autem agebat, ne cum miniſtris ſuperbæ vocis ſuæ dignitatem communicaret: ô immanem faſtum, adeò nimia fortunæ fœlicitate Pallantē efferri, vt primæ fortunæ gradum obliuiſceretur, & his in quorum ordine fuerat, adeò ſe illius rei auarum præbere, quod largè ſine vllo detrimento communicari poteſt.

De Sapore Perſarum rege.

Superbia profecto immanis ea fuit, qua Sapor Perſarum rex, in Publium Cornelium Licinium Valerianum imperatorem vſus eſt: quem cum prælio ſuperatum cepiſset, nō ſolum veluti canem vinctum tenebat, verùm tergo quoq; ac renibus eius, pro ſcamno vtebatur, vt commodius in equum conſcenderet.

RECENTIORA.

De Belphech Turca Perſarum rege.

Idem Belphech Perſarum rex in Romanum egit, Diogenē nuncupatum, Conſtantinopolitanum imperatorem, cum ſimiliter prelio eum cepiſset.

De Tamburlano Perſarum rege.

Tamburlanus Perſarū rex, quanquā cæteris in rebus moderatè fortunā ſuā ferre videretur, tamē in Baiaziten Turcarū regē, in prelio à ſe captū (vt duo de quibus dictum eſt) ſuperbè nimis ſe geſsit: nulla enim fortunę varietatis habita ratione, cauea Baiaziten incluſit, atque ita currui impoſitum, quocunque ipſe proficiſceretur, ſecū trahebat, eo pro ſabello vtens, vt faciliorem in equum pararet aſcenſum. Hæc autem de quibus nuper diximus regum exempla, haud in parua ambiguitate iudicandi nos relinquunt, fuerintne maior in victoribus regibus inſolentia, an eorū qui victi fuerūt, vitæ nimia cupiditas: cū ſe ſaltē morte vel pugnando in prælio, vel iam capti tam fœda ac miſera ſeruitute non liberaſsent.

De Edgaro Britanniæ rege.

Edgarus Britannicus rex, ſuperbiæ magnitudine notus Scotiæ atq; Hyberniæ reges remigrare cogebat, in ea cymba qua

ba qua ipse voluptatis gratia vehebatur. Sed iam à secularium hominũ superbia tẽpus exigit, vt ad ecclesiasticã trãsea mus, quæ in eo ordine tãto est detestabilior, quanto mansuetudinis ac bonitatis studium, ei plusquã cæteris cõgruit.

De Ioanne duodecimo Pont.

Ioannes 12 Pontifex, cum accepisset è Cardinalium numero, duos ad Italiæ totiusq; eccleſiæ salutem commodũque per literas cohortatos esse Othonem imperatorem, vt confestim in Italiam descenderet, superbum atq; insolens nimis ingenium, pro tyranni more sequutus, alteri eorũ nasum, alteri autem manum, qua scripserat, desecuit.

De Bonifacio septimo Pont.

Bonifacius septimus pontifex, in vrbem Romam reuersus, à qua propter crimina pulsus fuerat, nulla dignitatis habita ratione, Ioanni Cardinali innocentissimo viro, oculos defodi iussit, quod ei, in his quæ parũ iustè appetebat, aduersaretur: & ne de Ecclesiasticorum superbia longiorem habeamus orationem, hoc exemplo contenti erimus, cum sæpè eius tam multa habeamus, vt interdum vix perferãtur. Nã cum huiusmodi homines humilitatem, item pauperiem atque patientiam, non inter postrema imperia ab eo acceperint, qui sacerdotalem ordinem constituit, quę imperia ipse, qui leges dedit, in vita, vt verbo, ita etiam re obseruauit, pro his virtutibus ira atque superbia, nec minus pompis redundare inueniuntur. Nam cum regibus Cęsaribusque satis sit, aureas vestes ad terram vsque extendere, item diademata atque manuum deosculationem habere, illustres quoque atque sereniſsimos appellari: fuerunt interdum in ecclesia perditionis *filij*, de quibus sub Phari sæorum nomine Christus prophetauit, qui longè fastu atque insolentia omnes Assyrios atque Medos reges superarent, & cum apostolici nominis successores haberi vellẽt, apostolicæ vitæ prorsus contrarios se præbebant. Sed manum contrahamus, longius quam fas erat in hunc ordinẽ euecti sumus, quia non inuehi, sed monere, quid rectè aut perperam actum vel dictum fuit profeſsiõ huius operis est, vt inde quod deuitent, vel sequantur, mortales capiant, vltra progredi non debęmus.

DE

De Bernaboue Vicecomite Mediolanensi principe.

Rem proculdubio superbam atque insolentem, Bernabos Vicecomes qui Mediolani rerum potiebatur egit, cum Masilienſem Abbatem, ab Innocentio sexto pontifice ad eum missum, quod ingrata quædam nunciabat, ac postremo apostolicas censuras minitabatur, Pontificis literas, quas attulerat deuorare coëgit, nulla eius habita ratione à quo Abbas legatus erat, cui Christiani omnes, veluti communi parenti ac Dei vicario, supremum deberēt honorem.

De Rainaldo Castilionensi Antiocheno principe.

Superbissimi quoque animi facinus Rainaldi Castilionensis Antiocheni principis, in Almericum Antiochenum patriarcham fuit, cum per ætatis tempus, integram diem iunctum, in turris summitate, sub dio nudo capite, ac melle os totum perfusum stare coëgit: ita vt parum abfuerit quin nimio calore, ac muscarum tædio conficeretur. Cuius rei illa fuit causa, quod visus fuerat parum probasse matri monium ab eo cum Constantia principe initum: quia nulla quatuor liberorum paruulorum, quo ex Raimundo, principe, qui primus vir eius fuerat, habita ratione, Rainaldo Constantia nupserat.

DE PERFIDIA ET PRODI-tione Cap. VI.

VEllem scribendo assequi posse, vt perfidiam atque proditionem concordiæ pacisque hostes, his quibus dignæ sunt criminando verbis, prosequerer, ita enim egendo plurimum me mortalium bono consulturum, arbitrarer. Nam cum hæc vitia ea sint, quorum veneno ac scelere non amor solum, atque concordia ex hominum societate tollitur, verum ipsa quoque humana societas dissolui solet, quid est, quod in eis damnandis, satis dici possit, aut in quo boni magis ingeniorum suorum vires exercuisse velint? siquidem dum proditionem, dum perfidiam detestantur, monent homines, vt ab his caueant, quæ cæteris alijs grauiora mala orbi inferunt. Sed & facundiæ maioris res eget, quàm nos præstare possimus, & si parū dicēdo hæc à nobis ostendi possunt, exēpla impensa, quæ mox pro

feremus, ea abūdè declarabūt, oſtendētq; quemadmodum in Deo amor charitasq; conſiſtit. Contra in perfidia proditioneq;, Dei hoſtem conſiſtere, diuinoq; nutu perſepe euenire, vt qui in alios perfidi fuerunt, ipſi quoque eadem, aut etiam grauiora perfidiæ ac proditionis detrimenta patiantur: illisque etiam hoc adiungi, vt neque ſatis eos dedecoris ſui pudeat, neque vnquam eorum quæ turpiter admiſerunt criminatione careant.

De Antiocho Eupatore Aſiæ ac Syriæ regis.

Cùm Antiochus Eupator, aduerſus Iudæos bellum mouiſſet, accepiſſetque, à ſe Philippum rebellaſſe, pacem cum Iudæis firmauit, atque in vrbem ac templum data fide à Iudæis acceptus, nulla pacis initæ habita ratione, permultos Iudæorum gentis cœpit, atq; occupatis locis munitis. Hierosolymarum partem maiorem euertit.

De Diodoro cui Tryphon cognomen erat.

Diodori Tryphonis res geſtæ vitaq; omnis, nihil aliud quam proditio atque perfidia fuerunt. Nam cum is Demetrij Syriæ regis copiarum dux eſſet, ab eo cùm aduerſus Parthos bellū gereret, rebellauit, atq; Antiocho qui Deus cognominabatur, ſe coniunxit, eumq; Syriæ regem conſtituit. Non multò autem poſt cum Demetrius à Parthis occiſus diceretur, idem manu ſua Anthiochum interemit, paruo enim temporis inter vallo, duob. inter ſe cōtrarijs regibus, manifeſtus hoſtis ac proditor fuit.

De eodem.

Non minore perfidia ac proditione, idem Tryphon in Ionatham Machabæum Iudæorum ſacerdotum principem fuit, nam cùm is ſubſidio Tryphoni atque Antiocho Deo, aduerſus Demetrium profectus eſſet, vt pro lata ope gratiam referret, Perſuaſit ei Tryphon, vt exercitum ſuum à ſe dimitteret, quod Ionatha cum egiſſet, eum Tryphon cœpit, atque omnes qui cum eo erant, occidit. Nec verò ea proditione contentus, perfidiam quoq; addidit, nam cum iureiurando Simoni Ionathæ fratri promiſiſſet, ſi Ionathæ filios & centum auri pondo, quæ poſcebat ad ſe miſiſſet, Ionatham carcere emiſſurum, omnibus à Simone peractis, Tryphon poſtea Ionatham occidit. Sed haud lōga tantorum

um sceleru penes eum voluptas fuit, quod ab Antiocho qui Soter cognominatus est, Demetrij filio, in Asia apud vrbem Apameam prælio victus, atque interfectus fuit.

De Ptolemæo Macedoniæ rege.

Cruenta prorsus perfidia fuit, qua Ptolemæus Macedonum rex, in Arsinoën reginam, quæ ipsius soror erat vsus est: nam cum eius regnum appeteret, de matrimonio cum ea egit, quæ quanquam cognitam fratris crudelitatem suspectam haberet, tamen vt filios periculo liberaret, matrimonio assensa est. Itaque cum misissent, qui fratris fidem iuramento confirmatam acciperent, priusquam ei desponderetur, tandem vtriusque assensu, firmato matrimonio, deductus Cassandriam Ptolemæus eo ipso die quo vrbem iniit, Lysimachum ac Philippum paruulos, in matris Arsinoës gremio confodi iussit, atque eam regno ac filijs simul orbatam, Samothraciam in exilium emisit. Huius exemplo fatis homines mouentur, neque affinitatem, neque iusiurandum ad cohibendum proditorem sufficere: neque ferã villam adeò repentè, vt hominem in speciem suam sæuire, prius enim quam sæuiant, ferarum voces exaudiri solent. Naufragia quoque anteire tempestates, & ruinas aliquo modo strepitus quispiam præcedit, ante quoque quam incendia appareant, fumus plerunque præuidetur, sed in contrariũ proditionis ratio tendit, blandis enim verbis atq; signis, futura atq; parata damna tegere consueuit.

De Lysandro Lacedæmonio.

Lysander Lacedæmoniorum dux, cũ sub amicitiæ specie, octingintos ad se Milesios vocasset, à militibus suis omnes interfici iussit: eodem facto, perfidiam immanem atq; crudelitatem ostendens.

De Rhadamisto.

Rhadamistus Pharasmanis Hyberiæ regis filius (quæ regio his temporibus Georgiana appellatur) ficta cum patre discordia, quod ei nouercam superinduxerat, ad auunculum Mithridatem, Armeniæ regem profugit, ab eo benignè exceptus, filiæ quoque matrimonio dignus est factus: dum ita apud Mithridatem agit, ingratitudine benefi-

ficij quod acceperat, fœdare memoriam non contentus, perfidiam atque proditionem addidit: clam enim Mithridatis populos ornauit ac fingēs se, cum patre in gratiam re dijsse, ad eum profectus, omnia quæ egerat, detexit. Itaque paratis ingentibus copijs, sub eo prætextu, vt in Albanos arma moueret, in Armeniam aduersus auūculum signa ferri iussit, eumq; ab omnibus suis destitutum, in arce Gorneas obsedit: sed cum prorsus omnia vt designarat Radamisto non succesisissent, noua proditione primam cumulare adortus est: nam cum res cum auunculo componere velle simularet, atque data fide eum ad colloquium traxisset, cū illius gentis more, amborum pollices colligandi essēt, & haustum ex eis sanguinem vtrunque gustare oporteret: is cui vinciendi munus erat iniunctum, fingens ad terram funes concidisse, illis Mithridatis pedes implicuit, atq; ita eum, cum vxore ac liberis cœpit, & quoniam neque ferro, neque veneno eos se læsurum promiserat, culcitris oppressos præcluſa anima enecuit. Arbitratus huius rei obseruantia, quòd neque ferro, neque veneno eos necasset, perfidiæ suæ crimen latere.

De Agathocle Siciliæ rege.

Huic par fuisse perfidia atque proditio videtur, qua Agathocles, qui in Sicilia regnauit, cum in Aphricam aduersus Carthaginenses traiecisset, Offellam, Cyrenarum regē occidit: eum enim, vt exercitu quem habebat spoliaret, filij loco adoptauit, atque per hunc modum, fidem apud eū nactus, occidit.

De Appio Claudio decemuiro.

Appius quoque Claudius decemuir, non fine collegarū consensu, scelerata proditione vsus est, cum L. Sicciū, cum exercitu aduersus Crustumerorum populum legatū misit: ordinauit enim vt qui eum in castra persequebantur, cum eo per noctem ad explorandum castrorum locum profecti, se in hostium insidias incidisse fingerent, atque ita eum occiderent: perfidus enim Claudius, nullā Siccij virtutis, qua sæpe patriam defenderat, neque publici officij, neque quod propter ciuiles contentiones, tanto ciue patriam priuaret rationem habere voluit.

DE

De Dauid Iudæorum rege.

Quod Appius in Siccium perfidè egit, popularis factionis odio motus, id Dauid Iudæorum rex in Vriam, militia virtute ac fide insignem virum, vsus est Bersabæ Vriæ cõiugis amore inflammatus, qua viuente Vria potiri desperabat. Itaque vt explere libidinem posset, qua nimium stimulabatur, aduersus Philisteos quibus cum bellum gerebat, Vriam misit, atque ad militares duces suos, in castra perscripsit, vt Vriam in eas expeditiones mitterent (eum enim aduersum se conspirasse criminabatur) vnde regredi non posset, simul enim cum mendacio, cædem, atque adulteriũ insigni proditione perpetrauit.

De Tiberio Imper.

Insigni perfidia in Marabodũ qui in Germania & Tragolum qui in Thracia regnabãt, Tiberius Cæsar vsus est: blandis enim verbis atq; promissis allectos, vt ad se venirent, nunquam dimisit. Archelaum quoq; Cappadociæ regem, cum simili arte inductus, ad eum iuisset, cœpit:

De M. Iulio Philippo item de M. Q. Traiano Decio, & C. Vib. Treboniano Gallio Imperatore.

Exhausti profecto pudoris perfidia, atque proditio Philippi fuit, qui cum iunioris Gordiani præfectus esset, cum eo ad Persicum bellum profectus, non id solum egit, quod Misithæum eius socerum, qui alio nomine Mesocles appellabatur, veneno sustulit: verumetiam perfidia, atque ingenti astu, in loca arida atq; sterilia, vbi omniũ rerũ inopia premebatur, exercitum deduxit. Et cum naues quibus ad exercitum frumenta comportabantur, demersisset, subornauit qui ad tumultuandum impellerent exercitum, & dicerent, in ea mala eum esse deductum, iunioris Gordiani insciti: Ab exercitu igitur Gothorũ æquatus, imperij societate spreta, crudeliter Gordiano caput adimi iussit, atq; Senatui scripsit, Gordianum febre correptũ interijsse, & vt perfidiam occultius tegeret, in Deorum numerum, vt alios Romanos principes retulit. Neque alio vnquam nomine, quam Diuum appellabat, quanquam secretò haud pauci essent, qui rem vt gesta erat non ignorarent. Igitur non puduit,

tam

tam insigni proditione, tantoque scelere principem suum atque eundem innocentem, cuius stipendio militabat, & cui officij iure atque insuper sacramento erat obstrictus, tollere: sed ita ferente Deo qui iustus est vltor, haud multo pòst, Decij opera, Philippus vnà cum filio à militibus interfectus, perfidiæ suæ haud incongruum munus tulit. Quemadmodũ Decius quoque simul cũ filio egit, in Thracia enim, cum aduersus Scythas bellum gereret, à Gallio Treboniano, qui Mœsiæ fines, cũ exercitu custodiebat, proditus, ac postea occisus fuit. Id enim persæpè contingit, vt proditor de alterius proditione, pœnas sumat.

De Macrino Imper.

Simili perfidia vsus est Macrinus, in Bassianum Caracallam, qui cum eius esset præfectus, secretò ipsum in castris occidi curauit, corporeque eius, cum honore Romam remisso, inter diuos vt bonum principem retulit: scriptis ad Senatum literis quibus Caracallæ mortem dolebat, iurabatque se eius insciũ atque insontem esse: tanquam enim perfidia per se paruum crimẽ esset, periurio eũ cumulauit: Et quod abominabilius est, ei, se cui militari sacramento addictus erat, ceu ipsius statuendi ius esset diuinos concedere honores dixit, impudenti nimis arrogantia, proditionem tegere quærens.

De Arrio Apro.

Arrius Aper, Numerianum Augustũ, cuius præfectus & socer erat, propter oculorum aduersam valetudinem, lectica vtentem, pari perfidia, qua superius nominati occultè necari iussit: neque ante detecta fraus ac prodigium fuit, quàm clausa lectica, putrescentis cadaueris fœtorem emisit. Sed Deo ita agente (neque enim alio pro perfidia munere digna erant) breuis apud autores necis eorum voluptas manfit, quæ sibi per proditionem parauerant, quia ab alijs ipsi vel occisi vel proditi fuerunt. Perpetuo & ipsi, & quicunq; alij tã nefario crimine frontem inusserunt, aut inurent, infames.

RECENTIORA.

De M. Flauio Valerio Constantino Max.

Constantinus Maximus Imperator apud Nicomediam Licinium

Licinium Augustum sororis suæ virum, atque imperij consortem, prælio superatum, cùm se eius fidei credidisset, capite mulctauit.

De Arbogaste comite.

Arbogastes comes, iunioris Valentiniani Imperatoris militaris dux, cum Viennę in Allobrogibus esset, strangulari eum iussit, & vt scelus suum tegeret, cùm in eius cubiculo ipsum suspendisset, diuulgauit quod atrocibus nuncijs perculsus erat, molestiæ impatientem sibiipsi mortem consciuisse: eo autem scelere vsus est, vt ad Eugenium hominem ignauum, deferret imperium, & sub eo, ipse arbitratu suo imperij habenas moderaretur.

De Stiliconē patricio.

Stilico patricius, qui Honorij Augusti vniuersarum copiarum dux erat, atque eiusdem socer, ac sororis vir, præterea quoque Honorij patris testamento scriptus tutor, vt Eucherium filium in imperio constitueret, cum Gothos vincere, & ab imperio ingentia sæpè mala posset auertere, occasione eas, cum hostibus sentiens, omisit: cuius perfidiam, cum Romanus exercitus deprehendisset, eū interemit.

De Genserico Vandalorum rege.

Genſericus Vandadorum rex, immani crudelitate notus, cum pacem cum Honorio Augusto iniuisset, qua ei, ab Honorio Aphricæ pars concedebatur, vt accepit, in Gallia Honorium nouo implicari bello, proditione Carthaginem occupauit atq; diripuit.

De Richimere patricio.

Insigni perfidia Richimeres patricius, aduersus Anthemiū Imperatorem vsus est: nam cum ei Cisalpinę Galliæ præfecturam Anthemius dedisset, & vt eum affinitatis quoq; vinculo deuinciret, generum asciuisset, arma in socerum ac dominum mouit, violataq; pace quam per Epiphaniū Papiensem episcopum iurauerat, vrbem Romam ingressus, eum cœpit, ac varijs cruciatibus affectum occidit.

De Theoderico Ostrogothorum rege.

Theodericus Ostrogothorum rex, cum Odoacrum Herulorum regem Rauennæ obsideret, & factis inducijs, armis agen-

agendi ius suspẽsum esset, vt de ineũda pace ageretur, multa Odoacri horrea contra inducíarum fidem incendit, nec multò post insidiosa inita pace, qua Italicum regnum vtrique commune fiebat, Rauennam ingressus, Odoacrum occidit, atque Italia Herulos expulit.

De Tagnare Gotho.

Tagnares Gothus qui Tarenti præfecturam gerebat, à Totila Gothorum rege ad Narsetem, qui eo tempore imperij auspicijs aduersus Gothos bellum gerebat transiuit: cùm autem postea Totilam obijsse motem audisset, eique Teiam in regno succesisse, atque Burgundiones ac Gallos iuncto cum Teia fœdere in Narsetem arma mouere, mutato cum fortuna etiam animo & fide ad Machurium, qui Hydrunti Narsetis nomine præsidebat, misit, qui nunciaret, A se Gothorum expectari exercitum, & propterea peterent, vt è suis militibus subsidio sibi aliquot mitteret: his verbis Machurius mot$_{o}$, cùm equites quinquaginta ad Tagnarim misisset, eos in custodia Tagnaris posuit, atque Machurio scripsit, Si recipere equites suos vellet ante obsides, quos ab eo acceperat incolumes restituere oporteret: qua re indignatus vehementer Machurius, cùm Tarentum cum magna manu, vt rem vlciscereturprofectus esset, Tagnares equites quos cœperat, occidit: nec multò post gratiam quæ pro tanto scelere debebatur, vt æquum erat accepit. Tarento enim in certamen cum Machurio egressus, prælio fusus est, & cum se effusa fuga Tarentum receperat, à Tarentinis exclusus fuit.

De Emanuele secundo Imperatore.

Perfidè nimis ac crudeliter egit Emanuël secundus in vrbe Constantinopoli aduersus Conradum imperatorem, atque alios Christianos, qui per Thraciam aduersus Christi hostes iter habebant: nam cum fœdere inito eis comeatus dare deberet, gypso farinæ immixto, maiorem exercitus partem interemit, vt his qui superfuerant necesse esset eam expeditionem omittere.

De eodem.

Non minore quoque perfidia idem Emanuël erga Venetos vsus est: nam cùm ab eis petijsset, vt ad se magnarum

rerum

rum gratia, quas cũ eis tractare cupiebat oratorem mitterent, & Veneti Henricum Dandulum misissent, immemori oculos effodit, quo facto ipse quoq; fidẽ sibi ademit.

De Michaële Paleologo Imper.

Insignis ea fuit perfidia, qua Michaël Paleologus, à Theodoro Græco imperatore, in Adrianopoli filijs tutor relictus, est vsus: adhuc enim penes Græcos imperatorium nomen erat, quanquàm Balduinus Belgicæ partis (quę Flandria nuncupatur) comes, imperio atque vrbe Constantinopoli potiretur: nam cum Michael Balduinum Gallosq; inde depulisset, pupillos qui eius fidei à patre crediti erant, interemit, atq; imperium occupauit.

De Theodoro Cominio Macedoniæ principe.

Petrus natione Gallus, tertius Latinus imperator in vrbe Constantinopoli, cum Henrico in eo imperio successisset, atque eodem tempore Cominius quoque Græcus verè imperator, eam Macedonię partem obtineret, cui vulgo Albaniæ nomen est, ambo in colloquium venerunt, atque colloquio fœdus addiderunt, & cum prior Cominius in Gallicis castris cum Petro vt palam inita pax omnibus declararetur prãsus esset, postridie ad epulas in castris suis Petrum excepit, vbi eum pro prandio cœpit, atque in carcere occidit.

De Orso & Engisto Saxonibus Anglis.

Cum Vortigerius per fraudem Constantinũ interemisset, quem abiecto monachali habitu, Britanniæ regem cõstituerat, veritus Cõstantini fratres, Aurelium, Ambrosiũ, atque Vterpendragonem qui in Galliæ partem, Britanniam Armoricam nuncupatam profugerant, Orsum ac Engistum fratres Saxones Anglos, & Ambrones Christũ nondum agnoscentes, vt opem ferrent in Britanniam accitiuit. Cæterum cum in ea insula Saxones insolenter nimis agerent: Vortigerius à Vortimere filio, ac populis Britannicis, vnà cũ Saxonibus eiectus fuit, sed post Vortimeris filij mortẽ restitutus Vortigerius, denuò eosdem Saxones ad se vocauit, qui cũ maiore quam antea numero venissẽt, ac vererentur Britannici populi tantã Saxonum multitudinẽ, vltro citroq; data fide, in colloquium ventum est, in quo Vor-

Vortigerius à Saxonibus Anglis captus fuit, atque vniuersa Britannica nobilitas occisa. Demum autem ipse dimissus eam Britanniæ partem Saxonibus habitandam, quam ipsi voluerunt, concessit: atque ab eo tempore, non Britanniæ amplius, sed à proprio Saxonum nomine Angliæ nomen, & populi Angli, cognomentum habuerũt. Cæterum quanquam ex ea Insula, Angli post ea pellerentur, tamen in eam Chadoualdæ temporibus, ingentibus copijs reuersi, illic sedes ac regnum Gregorij pontificis tempestate stabiliuerunt.

De Theodeberto Gallorum rege.

Pari perfidia Theodebertus Gallorũ rex, in Gothos atque Iustinianum Augustum vsus est, cùm vtriusque fœdere coniunctus, dum inter Vitigim atque Belisarium Iustiniani in Italica expeditione ducem de Italiæ regno decertaretur: nam cùm in Italiam cum centum pugnatorum milibus ab initio tanquam amicum veniisse se ostendisset, posteaquam copias Padum traiecit apud vrbẽ Papiam, in Gothorum castra impetu facto, ea deleuit: cuius rei cùm nullam adhuc haberet notitiam, Martinus illic propinquus qui imperatorijs copijs præfectus erat, Belisario per idtempus vrbem Auximum obsidente vltro Gothis occurrens, vt repentinæ eorum fugæ causam cognosceret, in Gallos victores incidit, à quibus prælio superatus est. Galli autem tam fœlici successu quem perfidia assecuti erãt, insolentiores facti, cũ comeatibus abuterẽtur, neque in posterũ prospicerent, ad tantam rerum inopiam atque necessitatẽm redacti sunt, vt carne atque aqua tantum vitam ducere coacti: fluente stomacho vulgo omnes in morbos difficilimarum curationum inciderint: quibus magna eorum parte in Italia morte capta qui superfuerunt, prędæ inanes, atque dedecoris pleni, per pusillo numero in Galliam redierunt.

De Ludouico Bossoni filio Burgundiæ rege.

Ludouicus Bosoni filius Burgundiæ rex, cùm in Italiã aduersus Berengarium secundum Imperatorem descendisset, ab eo prælio superatus ac captus, vt insigne Berengarij humanitatis testimonium extaret, liberatus est: neq; enim aliud ab eo Berengarius exegit, nisi vt iureiurãdo promitteret,

reret, se Berengario viuo, in Italiam amplius non redditurum: sed ipse pro accepto beneficio ingratus, haud multò pòst cum ingētibus copijs Italiam repeteret (sic enim Deo visum est) propè vrbem Veronam, denuo à Berengario superatus captusque, quia se ipse fide priuarat, oculis à victore erutis, lumine quoque priuatus est.

De Henrico quarto Imperatore.

Henricus quoque quartus Imperator singulari perfidia insignem se fecit: nam cum Romæ ante sancti Petri aram, Paschali secundo Pontifici iureiurando adactus promisisset, se in posterum ab ecclesiæ locis temperaturum, symoniamque vltra non commissurum, duodecimque German i principes pro eo ita facturum spopondissent: cum denuo iurisiurandi fidē ab eo Paschalis exigeret, vt periurium sacrilegio cumularet, Pontificem atque vniuersos Cardinales cœpit, omniaque eorum bona diripuit, neque ante eos carcere emisit, quam omnia quæ volebat ab eis impetrauit.

De Arnoldo Flandriæ comite.

Haud valdè dissimili perfidiæ genere Arnoldus Flādriæ comes, in Gulielmum Longaspatam cognomento, Normandiæ ducem vsus est: nam cum post longum bellum inter ipsos de pace agi cœptum esset, data vltro citroque fide, vt tuto in Sequanæ insula in colloquium descenderent, cū ib vt constitutum fuerat ambo venissent, Arnoldus perfidè agens, operam dedit vt illic Gulielmus interficeretur.

De Theoderico Gallorum rege.

Pari quoque modo Theodericus Gallorum rex, post gra ue bellum, inita pace, cum Hermefredo Thuringorum rege, eum data fide, in Tolbiacensem arcem acciuit, atque cū in eius muris ambo colloquerentur, Theodericus Hermefredum, ceu casu impulsum de muris, ita vt collum frangeret, deiecit, liberosque eius infantes enecuit. Perfidia enim sæuitiaque simul in eos vsus est, quos ætas, vt salui apud omnes haberentur, agebat: & inter feras quoque, vt misericordiam superare possent, efficiebat.

De Carolo septimo Delphino.

Quo nomine id nuncupare poterimus, quod Carolus septimus aduersus Ioannem Burgundiæ ducem egit? quo

tempore Carolus sextus, ob egritudinẽ à recto sensu aberrauit, & de regni administratione orta contentione, idem Burgundiæ dux, per noctem in Parisiorum vrbe, Aurelianensem ducem interimi curauit: nam cum ob eam rem, magni motus in regno orti essent, & si postea Burgũdus dux, atq; Delphinus affinitate se deuinxerunt, inducta iniuriarum obliuione, quam iureiurando supra Christianã hostiã confirmarunt, tamen cũ in colloquiũ ad vrbem Monstrolium conuenissent, in ponte ipso fluuij Ionæ, Carolus Burgũdiæ ducẽ occidi iussit, atq; sine vllo honore tumulauit.

De Bela Vngariæ rege.

Proditio quoq; sæuitiæ atq; stultitiæ cõiuncta illa fuit, qua Bela tertius Vngariæ rex, in Kutem Comanorũ regẽ vsus est: cũ is se in Vngariã accepta à Bela fide, cũ quatuor equitum milibus recepisset à Comania Tartarorum armis pulsus, salutis anno ducentesimo atq; vno ac quadragesimo supra mille. Nam cum Bela Kutem suspectum habere cœpisset, quod excursionibus Vngariam Tartari infestam reddiderant, vocatum ad se in vrbẽ Pestũ, quo Kutis propter datam fidem nihil verendum ratus solus iuerat, tulit vt ab irato populo occideretur: qua perfidia attoniti Comani, in rerum suarum desperatione Tartaris se coniunxerunt, atque cum eis se in Bulgariam receperunt.

De Gabrino Fundulo Cremonensi tyranno.

Mortuo Ioanne Mediolanensi duce, Caualcaboui Cremonenses ciues id egerunt, quod à permultis alijs ciuibus, in Transpadana regione, ob eandẽ mortem in vrbibus suis actum fuit, vrbis enim Cremonæ imperium inuaserunt, & cum Gabrinum Fundulum, virum postea perfidia insigni notum conduxissent, inter militares viros clarũ, præcipua in se eum fide arbitrabantur: is autem, cum eos ad Machasturmam oppidum inuitasset, discumbentes decem ex eis occidit, fraudeque, munitis in potestatem suam redactis locis, vrbis Cremonæ imperium inuasit: sed postea dux Philippus, Ioannis frater, eã vrbem recepit: nã Gabrinus ab Oldrato Lampugnano, quo cum sacra baptismatis necessitudine coniunctus erat, per insidias captus, ac Mediolani capite mulctatus, discerptusque, mercedem quæ

tantæ

tantæ perfidiæ debebatur tulit.

De Antonio Spinula Genuensi.

Silentio nequaquam prætereunda est, Antonij Spinulæ perfidia, qui à Genuensibus Corsicę præfectus, cum data fi de in consilium ac simul in conuiuium, multos Corsorum principum vocasset, cõtra datam fidẽ, caput omnibus ademit: cuius perfidiã, & si Genuenses nequaquã probarunt, minimè tamen vlti sunt: quoniam veneno à Corsis sublatus, nunquam in patriam reuersus est

De Paulo Fulgosio Cardinale.

Postrema in parte eorum, quos proditio insignes fecit, dignus erat qui commemoraretur Paulus Fulgosius, Cardinalis Genuensis, patruus meus: ficuti etiam scelere atque perfidia, grauiora quam alij admisit: nã cũ opera mea Cardinalatum accepisset, à quo imperitia atq; vitæ turpitudine prohibebatur, quemadmodũ patris quoque mei ope, ad Genuensem Archiepiscopatũ conscẽderat, haud incõgruũ erat, vt posteritas intelligeret, eum illũ esse, qui patris meĩ meisque stipendijs enutritus, dignitate honestatus, ac parentis loco à me cultus, mihi nepoti, atque eius honorum bonorũq; authori, item quo ad seculare imperiũ pertinet, domino, proditione ac scelere in patria principatum ademit: quem tamen, cum ipse male administrando, ac nimia, illegitimi filij in ciues superbia retinere non posset, emendationi tanti sceleris proximum erat, vt quod impiè ademerat, mihi, agnito tandem errore, restitueret: sed sceleri assueto in mentem nihil venire poterat, quod vel virtutem saperet, vel vitæ emendationem aliquam polliceretur. Itaque ita actum est, vt penes eum, ex principatu, præter eius mihi per scelus adempti infamiam, nihil remaneret. Inurenda igitur hæc eius memoriæ nota erat, sed maiorem modestiæ meæ dicendi deo eo, quàm ipse in me agendo, sui ipsius habuerit rationem, habiturus sum, itaque eo relicto, ad Bernardinum Curtium, qui in pari scelere omnem sibi excusationem ademit, transibimus.

De Bernardino Curtio.

Creuisse iam satis exemplorum numerus videbatur, in ijs qui proditione insignes facti, humanũ genus docuerũt,

nemini in posterum nimis credi oportere: & cum postremo à me Pauli Fulgosi proditio posita, declararet nullum propinquitatis genus, à proditione tutum esse, vix relictus videbatur locꝰ, vt maiora grauioraq; proditor moliri posse putaretur, & tñ Christianæ salutis anno, 99. post mille ac quadringentos, Septembri mense, longè grauius, quàm dicta hactenus fuerunt, nefas erupit: nam Bernardinus Curtius, obscuris ortus parentibus, cũ duobus fratribus, à Sfortianis principibus in aulã acceptus, ad summas opes summosque honores à Ludouico Sfortia euectus erat, quem cũ coniugio, multis præfecturis, ac Senatorio demum honore, ita Ludouicus auxisset ornasseque, vt quid superadderetur nihil iam penè restaret: vidimus ipsi Iouis arci, quæ non Mediolanensis tantum vrbis atque ducatus, sed Italiæ totius propugnaculum erat, ab eo præfectum fuisse, atque insuper, quo tempore amissa Alexandria Ludouici Gallorum Regis copiæ imminebant, Mediolanensem ducatũ hæreditario iure armisque repetentes, & Ludouicus Sfortia Germaniam, ad mouenda Maximiliano regi arma petere vellet, hunc vnum, inquã vidimus, postposito Ascanio fratre, atque alijs fratribus nepotibusque, ac proceribus, & ciuibus permultis, quorum virtuti tutius arx Iouis credi videbatur, posse à Ludouico in arcis præfectura confirmatũ: impositio duorum milium armatorum præsidio, tantis cõmeatibus, vt in biennium ali præsidium posset, tanta pecunia argentoque, vt in par tempus stipẽdium sufficeret, cum præterea omnia etiam adhibuisset, quibus saucij ægriq; in magna pacata vrbe commodius curari nequeant: & tormentorum omniumque armorum tanta vis inesset, quanta totæ vrbi, ne arci suffectura videretur, & tamen in arce munitissima, in qua aduersus totius Europæ vires & arma, nihil vltrà præter præfecti fidem, atque virtutem desiderari poterat, nõ populo modo Mediolanensi, verùm Gallico quoque toto exercitu, ob perfidiæ magnitudinem admiratione capto. Is Bernardinus, cũ vix extremos fines dominus, qui rem suam ei crediderat transgressus esset, beneficiorum omnium quæ acceperat, & ipsius fidei quã promiserat oblitus, calcata præterea boni nominis existimatione,

ne, intra quartum decimum diem, nulla vi ab hoste tentata, militaribus Ludouici regis ducibus arcem prodidit: neque verò in eo vnius ipsius in Ludouicum scelus atq; perfidia fuit, sed cohortationes etiam accesserunt alterius, qui à Ludouico dum abiret, præfecto arcis comes, & ceu consiliarius additus fuerat qui longè plusquam Bernardinus immemor, ab obscuro loco, in summum se dignitatis atque opum culmen penes Ludouicum euasisse, non hortator modò, verumetiam adiutor atque minister prodēdæ arcis fuit.

DE VIOLENTIA ATQVE SEditione. Cap. VII.

De Volscis.

DIci non potest, quam sæpè magnorum malorum causas, violentia atque seditio ferat, cum sublata ratione per impetum res geruntur: hæc enim duo non priuatis modo hominibus ea pariunt, quorum authores ipsos pœnitet, verum in publicis quoque rebus, à summo in imum res deturbat, & ingentia exitia secū trahit. Testabuntur hoc Volsci, cū Actij Tullij artibus impulsi, populari impetu & cōsilio, Marcium Coriolanum, Actij collegam lapidibus obruerunt, cuius rei postea pœnitentia ducti, cum victoriarū in mentem veniret, quas eo duce aduersus Romanos Volsci obtinuerant, vt crimen corrigerent, ingenti atque publica impensa, funus eius celebrarunt.

De populo Athenienſi.

Quo tempore cum Eumolpho Athenienses bellum gerebant, omnibus sequentem annum, annonæ caritatem occupaturam arbitrantibus, eius rei gratia Periander qui Athenis quæsturam gerebat, vt longius extenderētur, parcè populo frumenta diuidebat: quare eum plebs irata proditionis accusauit, cum tamen prudenter publico bono cōsuleret: cum autem in iudicio staret, illic impetu facto lapidatus est: sed à popularibus motibus, ad militares seditiones nihilominus violentas transeamus.

De Mithridatis exercitu.

Huius rei experimentum dedit Mithridatis exercitus, cū in eum L. Lucullus arma mouisset: nam cum in Armeniorū castris esset nunciatū, Menandrum, Mænemachū atque

Mironem, militares Mithridatis duces, qui pabulatoribus præsidio iuerant, à Lucullianis militibus fusos fuisse, adeo territus est exercitus, vt omnibus sua extra castra ferentibus, ob strepitum Mithridates excitaretur, tentorioque egressus, Vt quid nam id esset inspiceret, ab suis solus, & pedes desertus est: cum autem ita omnia ob eam rem in castris perturbarentur, vt sublata imperij reuerentia, cui plus virium erat, is ex alieno plura raperet, atque prædandi initio à Mithridatis rebus facto, omnis eius preciosa suppellex diriperetur, eò militaris temeritas progressa est, vt Dorylaus militaris præfectus, ob id solum occideretur, vt ei insignem vestem, quam habebat milites adimerent. Ea autem militum perturbatio, quæ ipsorum duntaxat culpa orta erat, Lucullo vincendi rationem auxit, in qua clade, nõ minus Mithridates, quàm reliquus exercitus, cum omnia strenuum rerum copia, quibus Armenij aut stultè timebãt, aut eas in prædam vertebant, captus fuisset, nisi eum *Ptolemæus Eunuchus*, in equum suum statim sustulisset.

De Scipionis exercitu.

Alia quidẽ ratio, sed non minus detestãda seditionis eius fuit, qua Scipionis Consulis exercitus, cũ aduersus Syllam proficisceretur, militarem disciplinam soluit: nam cũ Syllæ appropinquasset, adeò ducis imperium spreuit, vt cũ neque arma capere, neque tueri castra vellet, à L. Sylla, qui non vltra viginti cohortes secum habebat: Scipionis autẽ exercitus, sexaginta milium numerũ excederet, in tentorijs suis eum capi passus sit.

De M. Lepidi Triumuiri exercitu.

M. Lepidus cũ in Sicilia duodecim legionũ, & quinque miliũ equitũ, præter auxiliares copias exercitũ haberet, per seditionẽ ab eo desertus est, quẽ neq; lachrymis, neq; minis vnquã retinere, atq; ad officiũ reuocare potuit, quin ad Octauium, qui cũ sex cohortibus tantũ venerat, transiret: cui si conditionem accepisset, obtulit se eius arbitratu Lepidũ interfecturum. Quamobrẽ cum alia salutis ratio nulla esset, Lepidus inermis ad Octauium ipsius munere victurus se contulit: sed à seditionibus à quibus vis abfuit, ad eas transeamus, quæ vim ac sanguinem secum traxerunt.

De

De L. Posthumij tribuni militaris exercitu.

L. Posthumius Tribunus militaris, consulari potestate, cum diripiendum Aequorum oppidum Nolam exercitui suo, vt promiserat non concederet, item ob ea quæ superbè in plebē dixerat, concitato in vrbe Roma tumultu, propter illatū eius scribæ vulnus, ab exercitu suo lapidatus est.

De Vespasiani exercitu.

Vespasiani exercitus aduersus Vitelliū in Italiā cū Antonio missus, cū apud Veronā castra haberet Ponius Saturninus, armis arreptis, in Mœsici exercitus legatū impetum fecit, & nisi se in balneū is abdidisset, atq; inde clā profugisset, nulla imperij habita ratione eum interemisset.

De Vitellij Germanico exercitu.

Persimilis seditio in Vitellij Germanico exercitu fuit, cū in Rheno à Germanis, vnius tantum nauis detrimento superatus esset: nam cum milites culpam suam in Herenniū Gallum legatum reijcerent, per tumultum eum cœperunt, spoliatūq; ac verberibus affectum, turpiter interemissent, nisi Voculæ qui eius collega erat, interuentu, ab eorū manu liberatus esset.

De Prætorianis militibus in Galbam Imperatorem.

Galbam qui per omnes honorum gradus ad imperij culmen ascenderat, & quem Senatus ac Rom. milites ex Hispania vt à Neronis tyrannide liberarentur acciuerant, Prætoriani milites sui interemerunt, cum eius rei nulla alia esset causa, nisi militū ipsorum ingens auaritia: nam ad seditionē compulsi, quod dicerent, Eum seueriorem, parciorēq; quàm opus esset, videri, verborum rerumq; cōtumelia affectum, nulla augustalis dignitatis, nulla fidei habita ratione, in medio foro crudeliter occiderunt.

De Macrini Imperatoris exercitu.

Quanta etiam in Macrini Imperatoris exercitu seditio fuit? nam cum aduersus M. Aurelium Antoninum Varium Heliogabalum, quatuordecim natum annos, cum Iuliano præfecto missus esset: quod Heliogabalus, quorundam pau corum militum seditione ac studio Imperator creatus erat (eū enim Antonini Bassiani filiū arbitrabātur) auia eius Mæsa quę Iuliæ Seueri principis cōiugis soror erat, affirmā te, fi-

te, filiam suam Serniamiren se cum Bassiano nepote miscuisse, atque ex eo hunc genuisse, & à parentis nomine Heliogabalum nominasse. In eum igitur Iuliano arma mouente, cum Heliogabalus imparem se, qui aperto campo cum eo certaret, arbitraretur, intra vrbis muros obsidionē expectabat: vt autem vrbi Iulianus appropinquauit, repentè in eam seditionem motus est exercitus, vt neglecto imperio ac fide, Iulianum præfectum occideret, atque ad Heliogabalum transiret, quem secutus conuersis in Macrinū armis, ei cum imperio vitam quoque ademit.

De Maximinorum principum exercitu.

A Maximinis patre filioque Augustis, quanquam Senatus, & per eum imperium penè totum, singulari consensu defecisset, tamen Orientis exercitus, qui eo tempore in Germania cum ipsis erat, constanter in fide perseuerauit. Eo exercitu, cum Maximini ad vrbem Romam tenderent, atque in via vrbem Aquileiam obsedissent, quo tempore arctius obsessi premebantur, tumultuare exercitus cœpit, spretisque omnibus, armatus ad Maximinorum tentoria profectus, cum nec minas, nec preces audire vellet, patrem filiosque Augustos, simul interemit, præfixaque in hastis eorum capita, obsesso populo ostendit.

De Censorini exercitu.

Rarò euenit, vt qui in seditionem semel incidit, exercitus, veluti equus, qui spretis frenis in cursum agitur, in multa alia infanda facinora præceps non ruat: id Galieni exercitus ita esse ostendit, qui ei indignatus, spreto imperij iure Censorinum Imperatorem creauit: is per omnes honorū gradus cucurrerat, & tunc vulnere, quod in prælio acceperat debilitatus, in agro suo latebat: ad imperium igitur euectus, quia milites vt disciplinam seruarent cogebat: insolentiæ autem assueti, ferre eius seueritatem non poterant, ab eis Censorinus cæsus fuit.

De Aurelij Valerij Probi Imperatoris exercitu.

Probi Imperatoris seueri hominis, ac magnæ virtute prediti exercitus, eadem de causa in Sirmio (Pannoniæ is locus erat) dum paludem exsiccaret concitato tumultu, Probum ipsum in turrem propinquam fugientem occidit: nec multò

tò post, cum criminis magnitudinem agnosceret, extructo ei ingenti speciosoque sepulchro, culpam corrigere conten dit, sepulchroque inscripsit. Hic Probus Imperator iacet, verè Probus, qui omnium Babararũ gentium atque tyrannorum victor fuit: quo titulo quantum Probi virtus testata manfit, tãtundem militum perfidia in eum damnata est.

De Seueri Cæsaris exercitu.

Non minus imperij spretorem, ac contumacem Galerij Augusti exercitus se ostendit, quo tẽpore, cum Seuero Cæsare, aduersus Maxentium vrbem Romam tyrannide prementem missus fuit: qui vt se hosti propinquum vidit, concitato tumultu, signa militaria cœpit, atque ad Maxentiũ transiuit. Quamobrem desertus ab exercitu Seuerus, cum inde profugeret, apud Rauennam capite mulctatus est.

De Alexandrino populo.

Haud incõgruum est, vt iam aliquid annectamus de ijs, quæ populos ad seditionem compulerunt: quæ persæpè tã paruis ex causis orta sunt, vt consideranti ridiculæ videantur. Imperante Galieno viro admodum ignauo, à milite vapulauit Alexandriæ in Aegypto magistratus cuiusdam seruus, quod ei dixerat, se calceos pulchriores habere: itaq; cum ad clamãtis vocem multi accurrissent, ita inualuit tumultus, vt Alexandrini aduersus Aemilianum proconsulẽ sedandi tumultus gratia egressum, saxis igneque irruerent: tantaque illa populi vis fuit, vt Aemiliano necesse fuerit, eius leniendi gratia Imperatorem se aduersus Galienum dicere, ducemq; se seditioso populo præbere, vnde postea magni bellorum motus secuti sunt, ex quibus tota Aegyptus ingentia mala pertulit.

De Iudæis.

Nihilò grauiore ex re orta seditio est à Iudæis, mota in vrbe Hierosolyma, cum Cumanus sub Claudio Cæsare Iudææ præfectus esset, neque minus tristem tulit exitum: nam cum solennibus Paschatis diebus, Hierosolymam vndique homines confluerent, aliquot Romanorum militum cohortes, ad templum præsidij gratia excubabant, è quibus cum miles vnus fortasse ioci gratia, populo pudibunda ostendisset, Iudæi arbitrati idololatram incircuncisum, id in

Iudaicæ gẽtis contumeliã feciſſe, adeò in milites exarſerũt, vt cum ſaxis fuſtibusq; aduerſus milites res gereretur: contrà autẽ armis ſe milites defenderent, Iudæorũ tum vulneribus, tum multitudinis oppreſsione circiter viginti milia deſiderata fuerint. Nõ minus quoq; periculoſæ ſeditiones fuerunt, poſtea ob Herodis Antipæ mortem, dum Archelaus Romæ eſſet: Simon enim Herodis ſeruus, & paſtor Athrongæus, ſatis opulentus, cum eos plebs ſequeretur, auſi ſunt ambo Iudæorũ ſe reges cõpellare, totamq; eã regionem incendijs populationibusq; fœdare, cuius rei breui vtrunq; pœnituit, cum miſerabilem in modum occideretur, id quod pleriſq; euenit, qui nouarum rerum authores eſſe voluerint. Sed iam ad recentiora tranſeundum eſt.

RECENTIORA.

De Vngaris.

Recentiorum ſeditionum prima cõmemorabitur, quæ apud Pannonios excitata fuit: nam apud eos Sigiſmundo regnante, qui idẽ etiam Imperator fuit, in ea Mœſiæ parte, quæ recentiori nomine Tranſyluania appellatur: agreſtis, cui Antonio nomen erat, item in alia regione, quam Nyrium & Zamoskenium dicunt, alius Martinus nomine, cũ magnã agreſtium manum coẽgiſſent, ipſi quoq; ſe reges appellarunt, & pro viribus Pannoniam nobilitatẽ armis inſequebantur: ſed haud multo pòſt Vngaris principibus, ad propulſandum cõmune periculum ad arma excitis, inconditа agreſtis multitudo prælio fuſa, cum in Vngaricæ nobilitatis poteſtatem veniſſet, in contumeliam admiſsi facinoris hæc mala tulit: quod eorum nonnullis effoſsi oculi, quibuſdam deſectus naſus, alia autem alijs membra detrũcata fuerunt.

De Viſigothis.

Gothi ſeditione mota, per impetum Ataulphum, quod pacem cũ Honorio Imperatore iniuerat, occiderunt: quam quam regnum ingenti animo, Italia atque vrbe Roma direpta, adminiſtraſſet.

De Bulgaris.

Bulgari gẽs Scythica atq; fera, Zeletim regẽ ſuũ, populari tumultu occidit, cũ Græcorũ bello victo, domũ reuerteretur. De

De Venetis.

Nihilo iustior causa fuit, vnde Venetorum ortus est tumultus, cum populari impetu Vitalem Michaëlem ducem suum interemerunt, quod vrbem pestis classe in patriã reuersa, corripuisset: eius enim culpã Vitali qui rẽ ignorabat, seu parum considerato, in exitiale crimen verterunt.

De quibusdam Britannicis populis.

Populares tumultus exundantiũ fluuiorũ impetui simi les sunt: nã primordia vim magnã præ se ferunt, verũ citò residunt, atq; in consuetos alueos redeunt, itaq; qui rebus agendis prudentia præditi sunt, existimarũt tutius esse, dũ furor in populis coalescit, primo impetui cedere, aut statim si facultas fiat, in ipso tumultus ortu eos opprimere. Id quod in Britannia experiendo cognitum est salutare fuisse. Regnante enim Richardo, Eduardi tertij nepote ex filio, salutis anno trecentesimo octuagesimo septimo supra mille, plebs in Cantiana regione excitata, nobilitatis iugũ detrectare cœpit, quod omnes ab eodẽ parente Adamo ortos esse, nulli parere debere, sed pares esse omnes dicebat: Itaque cum arreptis armis ad vrbem Londinum tenderet, Cantuariensis archiepiscopi palatium diripuit, cũ hac turba Londinensis quoque plebs conspirauit, & cum in itinere Gallatensem principem, primariam fœminam vtrique offendissent, magnis cõtumelijs affecerunt: his commotus Richardus rex, in arcem se cum magno nobilium numero recepit. Auxit autem tumultum, etiam Cantuariẽsis plebs, quæ direptis magistratuũ ædibus, Duces habebat Gualterum Tilerim, qui tegere domos, ac sarcire tecta consueuerat: itẽ Iacobũ Straum atq; Ioannem Balæum sacerdotem: hi ausi sunt à rege petere, vt publici beneficij gratia, ad eos in montẽ Blakhethum vxtra vrbẽ Londinũ veniret, vbi vnà omnes conuenerãt: quibus cũ rex respondisset, Aequius esse, vt ipsi ad amnis ripam descenderent: idq; ipsi egissent, neq; propter id rex ab arce descendere vellet, inde vtrinque discordes, nullo habito colloquio discesserunt: quo propter eã rẽ indignata plebs, auxit animos, atq; Londinũ ingressa, Lãcastri Ducis, atq; nõnullorũ aliorũ palatia diripuit, & euertit: direptis quoque Italicæ atque Belgicæ nationis hominum

num fortunis arcem obsidere cœpit. Cæterum rex, vt ab incœpto plebem dimoueret, ostendit se eam æquo campo allocuturum. Interim autem dum hoc motu eximere se nobilium seruitio plebs quærit, eius pars arcem ingressa, Cantuariensem Episcopum, atque hospitalis sancti Ioannis magistrum interemit, eorumque capita vt conspici possent, in ponte constituit: quamobrem arbitratus rex, rectè fieri, si huic plebis impetui cederet, iam enim sexaginta milium numerum explebat, dum rationem inire incipit, vt ei satisfaceret, literasq; de his quę petebant iã confici iussisset: huius plebeæ multitudinis pars domũ abierat, pacatusque in vrbe Londino rex videbatur, quando cum his qui remanserant, circiter quadraginta milia aliorum populorum se coniunxerunt: qui cum ea via venirent, quæ ad vrbem Norduicum ducit, neque Roberto Sali illius vrbis præfecto persuadere potuissent, vt eorum Dux esse vellet, eum interemerunt. Itaque videbatur in deterius is motus augeri, sed tamen res ipsa secus habebat: eiusmodi enim populorum motus, quanquam ab initio grauiter sæuiunt, tamen temporis spacio residunt, atque dissoluuntur, quemadmodum tunc contigit. Nam Londino egressus rex, non amplius quàm sexaginta comitatus equitibus, fortè in Gualterum ipsum Tilerim incidit, qui cum magna plebeiæ turbæ manu, ad vrbem tendebat: illic Gualterus minacibus verbis, cum Londinensem Merim (id magistratus nomen est) qui tunc in equo, penes regẽ erat, obiurgare cœpisset, superbeque regium armigerum ense poposcisset, in eo tumultu occisus est, ac superueniente quæ regi auxilio erat multitudine, is tumultus adeò euanuit, vt regijs restitutis literis, quibus immodica plebi cõcedebantur, principibus eius furoris aut suspẽsis, aut alio martis genere affectis, reliqui disiparentur.

De Londinensi populo.

Furoris quoque plena Londinensium seditio fuit: cũ regnante Henrico sexto in Britannia, & eum ab vrbe Londino abesse contingeret, populus Meria gente armis arreptis, Gloceſtrensem Episcopum, cui minoris regij sigilli custodia demandata erat, occidit, atque Marchionem Suffo-

censem

censem captum in turri, ita enim dicitur, munitus in ea vr
be locus, custodiri iussit: à qua cum profugeret, in via de-
prehensus est, atque eius caput confestim Londinum mis-
sum. Cum autem iratæ plebis rabiei, id non sufficeret, à re-
ge quidam ipsius consiliarij, plebis arbitrio permissi sunt,
quibus occisis populus demum quieuit.

De Brugensi populo.

Haud minus grauis seditio fuit, quæ in Brugēsi vrbe mo
ta est, quo tempore Philippus cognomento Pulcher, Gal-
lorum rex, in Flandria (quæ vt dictum est Belgicæ portio
est) rerum potiebatur: Contentione enim inter minutam
plebem, cum qua artifices atque mercatores sentiebant, or
ta, cum præterea nimium grauibus se oneribus premi que-
rerentur, plebs arreptis armis, carcere liberauit Petrum co-
gnomento Regem, lanarium textorem, & Gianbridam La
nij, qui ambo propter seditionem in carcere erāt. Hos am-
bos multitudinis duces constituit, atque ipsum in primis
Petrum, quod quanquam statura pusillus esset, tamē ob se-
nium experiendo prudentiam ingentem comparauerat, &
quod cætera in seditiosis hominibus condire solet, altero
captus erat oculo. His ducibus Brugensis plebs, non vrbe
modò sua, verum à tota quoq; Flandria Gallos depulit, de-
letisq; eorum copijs, multos ipsorum occidit, & cum post
longum ac graue bellum, cum Gallorum rege pacem ini-
uissent, Flandrenses liberi sub comitibus, iuxta veterem
Flandriæ morem remanserunt.

De Gallorum Pastoribus atque Aegyptio mago.

Noua, neque ea contemnenda seditionis causa, in Gal-
lia fuit anno salutis ducentesimo quinquagesimo atque al
tero supra mille: hæc ab Aegyptio mago exitata est, qui è
Pannonia venerat, vbi haud dissimilibus ludibrijs homi-
num mentes fefellerat: is apud agrestes pastores conciona
batur, & veluti propheta prædicebat Syriæ partem, quàm
Christus viuens peragrauit, & in qua passus est, per eos re-
cuperatum iri: quibus verbis, cum ad hoc etiam accederet
bonitatis existimatio, quæ de eo apud omnes erat, manum
circiter sexaginta milium hominum coëgerat, quæ eum
vbique prosequebatur, atq; in omnibus parebat, mitra pō-

ficioque

tificioq; habitu vtebatur, atque in matrimonijs dispensabat. Cum autem permolestè id sacerdotes ferrent, eorum permultos à suis occidi curauit: quæ manus cum permulta alia, prædando ac sceleratè agendo, nefanda ederet facinora, in duas diuisa partes: cũ pars Massiliam abijsset, alij autẽ in Biturigibus constitissent, vtrobique oppressi interierunt, & ita scelus illud extinctum est.

Item de Rusticis pastoribusque Gallorum.

Nec meliorem finẽ sortitus est, nec meliora habuit initia, is motus qui in Gallia quoque salutis anno trecentesimo ac vigesimo supra mille, Philippo cognomento Longo regnante exarsit: nam in Parisiorũ agro ingẽs pastorũ, atque agrestium manus coacta est, quemadmodũ olim imperantibus Diocletiano atq; Herculeio: nam Mendaces cognominati, aiebant, Statutum esse, vt ipsorum manu Hierosolymæ Christianæ religioni restituerentur. Itaq; cum in Parisijs multisq; alijs vrbibus magistratus occidissent, predamq; inde egissent, septem ex eis milia in Auxitanos profecta, Genuam vsque contenderunt: affirmantes vt in Syriam se conferrent, nullis sibi nauibus opus esse, sed ficco vestigio se mare traiecturos. Pars alia in Gallia mãsit, quæ cum rapinis omnia tibi infesta fecisset, partim fame, partim aliarum rerum inopia defecit: sed postea etiam capto Ioanne rege, dum Normandiæ dux eius maior natu filius, Galliam administraret, agrestium hominum colluuies, ex Belouacensi atque propinquarum regionum agro conuenit, & ferro atq; igne nobilitatẽ insecuta, ingenuarum fœminarum pudicitiæ non parcebat: quæ cum postremò ad vrbẽ Meldensem profecta, nobiles fœminas, quæ illic erant rapere inde conata essent, à comite Fuxensi, atque alijs Gallis nobilibus illic oppressa perijt. Mortuisque sunt eorũ circiter sex milia: hunc exitum incondita illa agrestis multitudo ad scelus coacta habuit.

De Parisiorum populo atque Rothomagensi.

Regnante Carolo sexto adhuc impubere sub tutoribus, Parisiorum populus addita esse noua onera molestè ferens, arma arripuit, & quibusdam regiorum magistratuũ occisis, per tumultum carceres effregit, Rothomagensis quoq;

minor

minor plebs, cum armata ad mercatoris pannos vendentis, qui cognomento Crassus nuncupabatur ædes accurisset, Crassum ipsum currui impositum, per vrbem deduxit, ac Gallorum regem salutauit: cuius nomine edici iussit, vt onera quæ imposita erant delerētur, idq; vt tumultus sedari posset, cōfirmatum fuit. Cum postea Carolus magis adoleuisset, atq; in amentiā incidisset, occulto Burgundiæ Ducis impulsu, lanij quorum permagnus in Parisiorū vrbe numerus est, arreptis armis Simonetū Cabochū Parisiensem, sordidæ fortunæ hominem: item Iacobi Villæ dominum præterea Ioannem Troianum physicum, huius multitudinis Duces creauerunt. His Ducibus armati, cū ad Aquitani Ducis, atque eiusdē Delphini (maior enim natu Caroli filius erat) palatium iuissent, dedi sibi quosdam ex magistratibus eius, atq; in primis Barriensem Bauariensemq; Duces ambos reginæ fratres postularunt. Hos cum in carcere condidissent, haud multo pòst nonnullos ex eis capite mulctarunt, idq; in nonnullas etiam ex numero fœminarum, quę in reginæ obsequio erant factum fuit: cum autē tumultus continuaretur, onera quædam sacerdotibus atq; magistratibus iniunxerunt, cæterum cum grauiora quoq; molirentur Parisienses ciues, communi consilio, communibusque viribus impetu facto, seditiosam plebem, cum ducibus suis vrbe depulerunt: qui igitur sapere volet, nunquam initia huiusmodi motuum negliget, quòd quāquam vt flumina, posteaquam exundando desæuierunt, sponte ad pristinam quietem, veluti in consuetos alueos redeunt, tamen interdum etiā experiendo deprehensum est, huiusmodi motus, nisi statim opprimantur, ita coalescere, vt rerum omnium summam, in vltimum discrimen adducant.

De quibusdam Nauticis viris Genuensibus.

Non minor quoq; Genuæ fuit seditio, quàm de quibus in Gallia dictū est: nā salutis anno trecentesimo ac nonagesimo nono supra mille, cum vrbi Genuæ præfecti essent Raphaël Auria, & Galeotus Spinula, & quidā Genuenses triremes aduersus Britannos cum Gallorū rege stipendia facerent, Aitono auria Duce, ortaque inter Aitonum ac socios nauales de stipēdijs cōtrouersia esset, adeò inter ipsos

ira

ira exarſit, vt nauales ſocij, occupatis triremibus Petrum Capurrum Ducem ſuum crearent: ſed tandem ea contentione Gallorum regis arbitrio remiſſa, Petrus Capurrus, atque ex eorum numero alij quidam capti fuerunt: quamobrem, tum indignatione, tũ pauore ſocij nauales inde domum profugerunt, & cum eorum pleriq; Sauonẽſes eſſent, Sauonæ primum arma cœperunt, atq; Capurri nomine inuocato, ab vrbe depulſis magiſtratibus, palatium atq; arces occupauerunt, & cum eius motus contagio breui in vrbem quoq; Genuam ſerpſiſſet, populus Genuenſis arma cœpit, voluitq; vt popularis magiſtratus eligeretur, qui populo ius miniſtraret: cui rei cũ vrbis præfecti operam darent, ac propterea aliquantiſper ſeceſsiſſent, vt in ea re conſiliũ explicaretur, tumultuari plebs ac nautæ cœperunt, & dũ in palatio atque in foro res tractantur, Simonem Buccanigram popularem virum, primum Genuenſium ducem conſtituerunt, atque ab vrbis adminiſtratione nobiles depulerunt.

De Budenſi populo.

Magnas vires inſita penè à natura, inter vicinas nationes odia, ad concitandos tumultus habere ſolẽt, quemadmodũ Budæ vrbi Pannonicæ contigit: nam cũ illic Albertus eſſet, idem imperij honore, atq; Auſtrię ducatu inſignis, & iudex Germanus, vt iudiciũ exequeretur, hominem Pãnoniũ in Danubiũ præcipitari iuſsiſſet, Budenſis populus, cui Germanica natio, vt alijs Pannonijs inuiſa erat, ſpreta auguſtali reuerentia, adeò ſe propter eam rem commotum oſtendit, vt arreptis armis, in omnes Germanos quos obuios habebat, ſæuiret: & direptis eorum ædibus domi inuentos crudeliter haberet. Imperator autem, qui in arce erat: cũ egredi, vt populi motũ ſedaret, vereretur, Ioannem Capiſtranũ Minorum ordinem profitentem, qui in ea regione, propter virtutem ac religionem, vt vir ſanctus colebatur, ad tumultuantem populũ miſit, fretus, per eũ ſedari tumultũ poſſe, cæterũ populus arreptũ in humeros Ioannem, cũ cruce quam manu geſtabat, ad omnes ędes, ad quas diripiendi gratia proficiſcebatur, eũ tulit: neq; ante prędæ finem fecit, quàm quod diripi poſſet, eſſe deſiuit. In eo ſo-

lo ho-

lo homini sancto habita reuerentia, quod ipso præsente, ab effundendo humano sanguine abstinuit.

De Romanis in Leonem tertium Pontificem.

Scelesta prorsus atque impia seditio fuit, qua Romani, suasoribus Paschali Primicerio & Campulo sacerdote, in Leouem tertium Pontificem: cum is vrbem religiosa processione perambularet, irruerunt: nulla enim vel rei ipsius, quam Pontifex magna religione peragebat, neque Apostolicæ dignitatis quam sustinebat habita ratione, non longè à sancti Sylvestri fano, armis in eum impetu facto, calcib. pugnisque malè multarunt, ita vt linguæ atque oculorum vsum se amisisse putaret. Scelerato facto, apud sancti Erasmi sacellum, carcerem addiderunt, vnde ante emissus non est Pontifex quàm Vinigisius Spoletinus Dux armis eum liberauit.

De Iisdem in Gelasium secundum Pontificem.

Non minus quoque sceleratus is motus fuit, quo Cincius atq; Leo Frangipanes, quibuscum populi Rom. magna pars sentiebat, in Gelasium secundum Pontificem irruerunt, eo ipso die, quo Pontifex creatus fuit: indignati quod alteri eorum Pontificia sors non contigisset, impetu facto, conclaue illud, in quo de creatione actũ erat, ingressi, calcibus pugnisq; in Gelasium sæuierunt, ac calcaribus insuper quibus calceati erant, dilaniatum, per conclaue trahere, ita vt penè exanimem relinquerent: neque vero in Cardinalium collegium mitiores se præbuerunt, cum plerosq; verberibus affectos dispoliarent: nulla enim in parte, aut ecclesiasticæ aut singulari dignitati, qua vel Pontifex vel Cardinales præfulgerent, pepercerunt.

De Iisdem.

In Clementis Sexti pontificatu, cum populo Romano mos esset, duos ex proceribus Romanis Senatores, ad vrbis administrationem eligere, qui à Pontifice confirmabantur: Nicolaus Rentij qui Romæ tabellionatum exercebat, in eum sui amorem populum traxit, vt arreptis armis omnes impetu facto (cum procerum nullus obsistere auderet) nulla de Pontifice mẽtione facta, Nicolaum ipsum, Tribunum facerent: qui hunc titulum vsurpabat: Nicolaus Seue-

rus ac Clemens, libertatis pacis atque iustitiæ Tribunus, ac illustris sacræ Romanæ reipublicæ liberator: sed cum hic populi fauor postea refrixisset, sexto mense ab vrbe incognitus, profugit.

Iterum de iisdem.

In Pontificatu quoque Innocentij Sexti, populus Rom. Petrum Columnam, atque Ioannem Vrsinum, per id tempus à Pontifice Senatores creatos, armis ab vrbe expulit, atq; eis Fracischum Baroncellum suffecit: qui nihil grauior quam tribunus, nec fœlicior, hoc titulo in his quæ suo nomine scribere contingebat vtebatur, Franciscus Baroncellus Senatus scriba, atque Dei gratia, almæ vrbis Tribunus secundus, ac Consul.

De Bononiensibus.

Quàm delirent atque insaniant, plerique eorum populorum, qui semel tumultuare cœperunt, quàm graues atq; pernicioli homis magnisq; ciuibus esse soleant, id in Ioannis vigesimitertij pontificatu, Bononiensis populus aperte ostendit: nam septimo idus Maias, anno salutis quadrigentesimo atque vndecimo post mille, cum nihil minus hominis quam id vererentur, Petrus Cossulinus, lanij cuiusdam famulus, vectigalem equum insidens, ac strictum ensem tenens, in forum se contulit, exclamás, vt artes ac populus viuerent, atq; eorum supremum esset imperium: & cum ei mixta plebs se adiunxisset, palatium occupauit, Neapolione Cardinale, qui legatus vrbi præerat, inde omnibus amissis fortunis profugiente, arcem quoq; Galeræ portæ cœpit, atq; in eo tumultu subuertit. Is igitur Petrus, & vna cum eo Iacobus Mangiolinus lanius, in palatio agêtes, vrbé Bononiá supra annũ rexerunt, atq; nobilium quosdam capite mulctarũt, post quod tempus, cum populi impetus resedisset, atq; honestæ fortunæ ciues propriæ miseriæ commonerentur, tenuior plebs, armis ab vrbe depulsa est, ac Petrus aufugit, Mangiolinus autem interfectus, eum exitum tulit, quem seditionum authores plerunque nanciscuntur.

DE TEMERITATE Cap. VIII.

TEmeritas, cum pensi nihil habeat, persæpe in graues calamitates, eos præcipitat, qui imbecilli consilio, eam sequun-

sequuntur, quę quanquã propter fœlicẽ exitũ, nõnunquã mutato nomine, animi magnitudo appelletur, crimine tamẽ nõ caret: neq; propterea minus euitari debet. Quid est enim quod hominem terrere non debeat, vbi consilij expers, ad agendas res non delectu ducitur, sed vt mentis impetus trahit, nulla exitus illius qui sequi potest habita ratione inconsiderate ruit: cuius rei cum sæpissimè experimenta habita sint, eorum exempla apertius, malorum magnitudinem ostendunt, quæ temerè agendo proueniunt: Atque ante alios Athenien sem Pachitam citabimus, quia qui magis præcipitis consilij autor fuerit, nullum vnquam audiuimus.

De Pachita Atenienſi.

Pachita Athenienſis, parto patriæ Lesbi insulæ imperio, cum domum rediisset, rationem in Senatu omnium rerum reddidit, quas eo bello administrauerat, atque eo ipso tempore, gladio quo cinctus erat, vt aduersariorum calumnias vitaret, seipsum traiecit: nam in seipsum immerentem grauius sæuiuit, quàm vix hostes fecissent, si culpam admissse inuentus esset. Stultè igitur ac temerè dum mala euitare studet, in ea ipsa atque etiam grauiora incidit, quę deuitare cupiebat.

De Mitridate Ponti rege.

Mithridatis Pontici regis, ingens ea temeritas fuit, quæ cum animo Asiæ imperium concepisset, vt diligentius locorum situm inspiceret, ipse solus eam peragrauit, periculoque se obiecit, vt illuc seruus deduceretur, vbi imperium quærebat: cui periculo, domestica etiam mala accesserunt. Laodice enim soror eius ad coniunx, cum certò mortuum esse arbitraretur, multis per adulterium se commiscuit, ipsiusque reditum verita, operam dedit, vt rediens interimeretur.

De Q. Sertorio.

Nulla ingens fortitudo, temeritatis vnquam suspitione caruit. Mam cum Q. Sertorius aduersus Cimbros cum C. Mario in castris esset, mutata veste, in Cimbrorum castra penetrauit, vt illic hostium consilia atq; ordines explo raret: quippè nimis magno periculo, inter feras gentes id

agere aggressus est, quod per alios vilioris fortunæ homines, minore reipublicæ periculo assequi potuisset.

De C. Iulio Cæsare.

Præceps quoque, nec sine temeritatis nota id fuit, quod à Iulio Cæsare actum est, cum deuicto in Pharsalia Pompeio, ipse eos insecutus, quos in Asiam Pompeius præmiserat, Hellespontum parua naue traiecit. Nam cum in L. Cassium hostem decem naues habentem incidisset, & ratio posceret, vt inde fuga se proriperet, adeò Cassio impar, atq; id ei in freto facile esset, vltrò recta Cassio occurrit: atq; tum minis, tum rationibus adductis, ita egit, vt Cassius petita venia, ad eum transiret. Res profecto quanquàm ingens, & cui fortuna fauit, præcipitis tamen ac prorsus temerarij cõsilij: eum enim plus in hoste vilitas animi, ac propriæ fortunæ fœlicitas iuuit, quàm quod in eo consilio verè prudentia ac virtus fuisse dici posset.

RECENTIORA.

De Adlauo Northumbrorum Barbarorum rege.

Inter recentes, quibus in temeritate fortuna fauit, Adlauum primò ponemus, barbarorum Northumbrorum in Britannia regem, qui magno Echalstani, in propinqua insula regnantis exercitu pressus, cum hostium ordinem videre cuperet, mimi suscepta persona, ac musici, ad Echalstani tẽtoria profectus, vbi cecinit, ac munera accepit, & fortunæ fœlicitate magis quàm ratione adiutus, incolumis domũ se recepit. Quanquàm dum cantaret, à quodam agnosceretur, qui in eius ministerio fuerat, qui tunc conticuit, quod eum impensè diligeret, re postquam abierat palam facta.

De Saladino.

Quam fuit etiam temerarium? & quàm fœliciter quoque succesit? id quod Saladinus astu atque prudentia insigni peregit: salutis anno centesimo atque octuagesimo post mille. Nam cùm accepisset à Christianis populis, ingẽtem exercitum comparari, vt in Orientẽ aduersus eum tra ijcerent, vnà cum duobus comitibus, ac tribus ministris, vt ea videret quæ ordinabantur, in Græciam Gallias, ac Hispanias: item in alias Hispanorum hominum regiones penetrauit, vbi perspectis hostium viribus, atque ordinibus,

prudentior

prudentior atque audacior ad resistendum fuit.

De Tiberto Brandolino.

Cum Franciscus Sfortia Caruagium oppidum obsidione adhibitis tormentis premeret, Mediolanensis populi auspicio, cuius eo tempore militaris Dux erat haud longè Venetorum castra esset, vbi Veneti Duces obsessis opem ferre contendebant. Tibertus Brandolinus, militarium præfectorum vnus, corporis atque animi vigore præstans, cæterum omnibus in rebus præceps habitus, ad ferendam obsessis opem, quod diutius obsidionem sustinere non poterant, conferendam cum hoste manū censebat: cui sententiæ, cum quosdam ex magnis Venetorum Ducibus aduersos haberet, vt omnia corā diligentius inspiceret, in calonis habitu, venali vua, onustus in hostium castra tetendit, omnia que intuitus, incolumis ad suos se recepit: longè plus criminationis ob temeritatem assecutus, quàm laudis, quod fortis atque sagacis militis operam præstitisset.

De Ludouico vndecimo Gallorum rege.

Ludouicus Gallorum rex, qui multum sapere putatus est, quemadmodum exitus in omni eius re ostēdit: ipse quoque, vt permulti alij, plus fortunæ fœlicitate, quàm ratione adiutus, duo magna temeritate adortus fœliciter transegit. Nam cum regni proceres, conspiratione facta, eum in Parisiorum vrbe obsiderent, etsi norat, hostes nihil aliud magis quàm ipsum quærere, vt ex ipsorum arbitrio regno atque ipsi administratores darentur, ad eos in syluam Vicennarum Parisijs propinquam se contulit: id vnum fuit vbi rationis nihil ad id suadendum inesse visum est. Posteaetiam malorum consiliariorum hortatu, qui mox cū hostibus sentire detecti sunt, ad Carolum vltimum Burgundiæ Ducem, quo cum graues inimicitias gerebat, vltrò prius Peronam petijt, deinde, dum nimium inconsultè progreditur, Leodium in eius castra proficisci, ac primus ad incendendam amicam vrbem, cui ferre opem cupiebat, manum inijcere coactus est. Illic igitur aliquot dies commoratus, incolumis quidem, sed contra omnium opinionem ad suos in regnum redijt, Ita igitur rex ingens, cum nondū procreatis liberis, in eius se manu posuit, qui ad regnū quo

ipse potiebatur, aspirabat, præcipitis cõsilij notam tulit.

De Brachio Perusino militari duce.

Finem fœlici temeritati, imponet Brachius Perusinus, nimium temerè audendo, factus infœlix: nam cum Aequorum vrbem Aquilam valido exercitu obsideret, sciretque Ecclesiasticum exercitum, ad ferendam obsessis opem appropinquare, cui mons arduus conscendendus erat, ac postea, per eundem iniq; nimis descendendum, veritus, ne propter loci iniquitatẽ territi hostes à veniendo sibi tẽperarẽt, quia si ea venirent via, seruare ordines, atque inaciem descendere non poterant: vt & vires & animum simul ostentaret, tubicinem ad hostes misit, offerentem, Si ad ferendã obsessæ vrbi opem venirent, se in eos à vi temperaturum esse, dum in montem ascendissent: atque ex eo in planicie profecti, aciem instruxissent: quæ res vt superbè nimis, oblata fuerat, ita postridie stultè nimis seruata est, cum pedibus equites à monte descenderent, & singuli equos suos, ad manum traherent. Cũ igitur hostium pars descẽdisset, & à suis Brachius moneretur, vt eos qui iam descenderant inuaderet (quia cum alij, qui nõdum descenderãt, opem eis ferre non possent, captiui omnes proculdubio fore videbãtur) respondit. Nolle quenquã ex hostiũ numero euadere, & propterea malle, vt simul omnes conuenirent, qui cũ descendissent, atq; acies instructa esset, ab alia autẽ parte, Aquilanus quoq; populus, eruptione facta Brachium inuasisset, ancipiti prælio à fronte & tergo, dimicandum Brachio fuit: qui quanquã illic fortiter decertasset, tandẽ prælio fusus, graui accepto vulnere, quo intra breue tempus decessit, in hostium venit potestatem: ac temerè nimis oblati hostibus commodi, pœnas luit.

QVANTVM VALEAT AC POSSIT error. Cap. IX.

TEmeritatem sequetur error, quo nemo est, qui nesciat deceptos permultos, in graues calamitates incidisse: quomodo enim, aut vitare incommodum, aut salutaria sequi aliquis poterit, cui persuasum sit, rem quam acturus sit, aliter quàm habeat, esse: quod crimen, si pertinacia absit, tantò plus, quàm cętera alia, dignũ est venia, quantò ab

cą

ea videtur voluntaria culpa magis abesse.

De Ephesijs.

Chiorum classis, cum insequentes hostes fugeret, fortè per noctem, apud Ephesum, tanquàm in littus amicum ad terrā descensionē fecit in ea regione contigit, vt Ephesiæ mulieres, per agros sparsæ, quæ ea nocte Cereris sacris operabantur, cum armatos sentirent, aduentare, quanquàm illi palàm facerēt se Chios atq; amicos esse. Tamen pyratas suspicatæ, magnis clamoribus tumultum in vrbe concitarunt, vnde egressus Ephesius populus, Chios esse eos, propter quos ortus erat tumultus, ignorans amicos, atq; eosdem vicinos, pro hostibus interemit.

De Pausania Lacedæmoniorum Duce.

Similis error Pausaniam Lacedæmoniorum Ducem, Byzantij fefellit. Nam cum Cleonice Byzantia virgo noctu ad Pausaniæ cubiculum, cæterum aliquantò serius quàm constitutum erat, venisset, & ob id Pausanias, quod eam amplius non aspectabat, dormiret: Cleonice cubiculum ingressa, manu lumen gestans quod à custodibus, qui foris dormiebant, acceperat: cum incommodè incedens offendisset, atque ob id non sine strepitu ad terram intincto lumine concidisset, Pausanias cui suspitio multa inerat, somno lentus è strato prosilijt, proditionem veritus, atq; arrepto gladio, cubiculi hostium, vt in tenebris poterat petens, in Cleonicem non agnitam incidit, atq; hostem arbitratus, extenso gladio statim interemit. Somnus enim ac suspicio deinde tenebrarum error, egerunt, vt tanquā hostem eā interimeret, quam haud secus quam seipsum deperibat.

De Equitibus Romanis apud Cannas.

Eo prælio, quo Romani infœliciter apud Cannas cum Hannibale dimicarunt, vulnerato Pauli Aemilij Consulis equo, qui ob id pedes remanserat: quidam equites, qui ei astiterant, ab equis descenderunt, vt Consulem in alium equum transferrent: cæteræ autē equitū turmæ, quas quod longè ab eo loco aberant, causa, propter quam equites descenderant, latebat: arbitrati Consulis iussu atq; cōsilio, primos illos equites descēdisse, atq; idē omnib. agendū esse, eodē momēto oēs ab equis descenderūt: qui error, magna ex

parte, vt eo prælio Romani vincerẽtur causa fuit. Itaq; Hãnibal descẽdere Romanos equites conspicatus, ad suos cõuersus dixit: Malle se vt Romani equites illud facerent, quod agere consueuissent, quàm vt victi ad se deducerentur: errore enim compulsi sibijpsi equorum opẽ, quam necessariam habebant, ademerunt.

De Romano populo.

Graue quoque damnum per errorẽ penè accepturus fuit populus Romanus, cum vrbi vicino Hãnibale mille ac trecentos equites Numidas, qui ab Hannibale ad Romanos transierant, ab Auentino in Exquilias Consules traducerent: & vrbis longitudinem discurrentes propter habitus similitudinem speciem hostium, qui vrbem iniuisse dicebantur præberent. Nam cũ plebis fuga præ formidine omnia compleret, atque à tectis vndique discurrentes Numidas saxa demitterentur, vix tolli error potuit, & persuaderi populo non hostes illos esse, sed trãs fugas: quorum opera plurimum Romana res iuuabatur: & nisi in eo magistratus impensam operã nauassent, parum abfuit, quin per errorem equites penitus tollerentur, ac plebs ipsa vrbem desereret.

De Exercitu Cinnæ Consulis.

Crudeliter nimis, per errorem Cinnæ Consulis exercitus apud Cumas sæuijt: cum arbitratus Pompeium adhuc adolescentem qui in castra venerat, atque inde clàm abierat, Cinnæ opera interfectum esse: arreptis armis, statim Cinnam nulla re ante vt certior fieret acta interemit.

De Prætorianis militibus.

Similis error Prætorianos milites penè eò deduxit, vt Augustus ab eis occideretur: nam cum ludos in theatro spectantes, arbitrarentur quendam ex commilitonibus, quem Augustus ab apparitore amoueri iusserat (equitum enim ordinibus, vbi ille consederat, is debebatur locus) Augusti iussu interfectũ esse, coorto tumultu, parùm abfuit quin Augustum interimerent. Sed remedio fuit, quod is, quẽ interemptum putabant, incolumis repentè comparuit.

De Tiberio principe.

Sauum profectò errorẽ admisit Tiberius Cæsar, dũ per tormen-

tormenta disquisitionem quorundam haberet, vt causam mortis Drusi filij intelligeret: nam cum ei significatum esset aduenisse Rhodium quendam eius amicum, quem ipse per literas vocarat: vel quia malè audisset, vel quia in alias curas esset abstractus, statim iussit vt torqueretur, tanquã is esset, cuius persona ad totam rem aperiendam necessaria foret. Cum autem, non multo pòst admissum errorem deprehendisset, ne tam iniustè cum eo egisse homines intelligerent, primo errori crudeli addito facinore, suffocari Rhodium hominem iussit.

De Quodam Heliogabali Centurione.

Error, vt dictum est, Rhodio homini sub Tiberio mortem attulit, sed Sabino consulari causa fuit, vt eius vita seruaretur. Nam cum Heliogabalus imperator, iussisset Senatum vrbe Roma excedere, indicta morte, si quis remansisset, & sciret Sabinum Consularem virum, spreto decreto, Romę remansisse, centurionum vni imperauit vt eum occideret: sed cum is surdaster esset, accepit occidendi verbũ, tanquam vt ab vrbe eum pelleret, iuberetur. Itaque quem occidere iubebatur, ab vrbe expulit, & quod centurioni ob erat, ne id quod iubebatur rectè intelligeret, id Sabino salutis causa extitit.

De Iulij Mansueti filio.

Vltimo Othonis prælio, aduersus Vitellium apud Bebriacum, quem locum recentiores Binam appellãt: cum Iulius Mansuetus miles Hispanus, pro Othone aduersus Vitellianos dimicaret, in medio prælij ardore, cum non cognosceretur, à filio interemptus fuit, qui in Vitellianorum parte erat: cum postea veluti hostem eum spoliaret, non sine immenso dolore deprehendit illum patrem suum esse, & tam sæui facinoris errorem causam fuisse.

De Lamech.

Ex parte huic similis Lamech error fuit, qui ob longum senium videndi vsum amiserat, & cum ingens venator fuisset, & sagittandi peritissimus, in venationem duce puero profectus, cum inter arbusta motum quendam sensisset, arbitratus illic feram latere, deduci se eum locum versus, & in eam partem dirigi sagittam curauit: quam cum tan-

quàm in feram emisisset, Caim affinem suũ, miserè occidit qui præ dolore in insaniam pene delapsus, vitato hominũ conspectu, syluas habitatum se contulit, Sed iam à priscis ad recentiores errores transeamus.

RECENTIORA.

De Gildonis Africæ comitis exercitu.

Eo prelio quo Mastelzeres in Africa aduersus Gildonẽ fratrem, qui ab Honorio Cæsare rebellauerat dimicauit: Gildonis exercitus, qui magno numero Mastelzeres copias anteibat, errore tantum neque alia re impulsus in fugam se vertit. Nam cum Mastelzeres ad primam fratris aciem appropinquasset, atq; priusquàm manum conseereret, blandè milites alloqueretur, Gildonis vexillifero, qui atrocius quã cæteri respondebat, gladio brachium ademit. Et cum ob eam rem, vexillum vexillifero amplius illud non regente cadens, inclinaretur vltima acies, quæ Mastelzerem alloquẽtem viderat, & paulò post signum inclinatum, arbitrata primam aciem, quæ tota Romanis legionibus constabat, Mastelzeri tanquàm Honorij duci, dedicionem feciſſe, atque id inclinato vexillo, quemadmodum eo tempore agendi mos erat, illud declarasset, à potiori exercitus parte, desertam se credidit: itaque concursu facto, idem fecit, quo primam aciem feciſſe arbitrabatur. Gildo ergo, cum vniuersum exercitum suum ad deditionem moueri conspiceret, vitæ suæ metuens, in fugam se coniecit, ac fratri victoriã, nullo effuso sanguine tradidit.

De Belisario Patricio.

Par error penè egit, vt Belisarius vrbem Romam amitteret, nam cum Totila Gothorum rex, vrbem obsideret, & Belisarius per amnem ferre obsessis opem veller, interim dum fœliciter munimenta oppugnat, quæ Gothi in medio Tyberi constituerant, perlato ad eum nuncio, Isacium à Gothis captum esse: quem ipse in Portu vrbe, ad mare præsidio vxori reliquerat, credidit Isacium capi non potuisse, nisi vrbs quoque Portus esset amissa. Itaque nuncij atrocitate attonitus, nulla re vltra patita, vt quomodo gestum illud esset, quod nunciabatur certior fieret, omissa victoria, quã penè manu tenebat, retrò ad Portum se conuertit, eo animo,

animo, vt vel illic occumberet, vel amissa recuperaret: quo postea quàm peruenit, incolumi reperta vrbe, intellexit Isacium idcirco captum fuisse, quod contra ipsius imperium, vt cum hoste congrederetur eruperat. Agnouit igitur ingẽtem errorem, in quem delapsus erat, dum malè intelligendo sœliciter cœptum certamen omisit: tantumq; ex eo dolorem concepit, vt penè ob id vitam amitteret.

De Fredegunda Gallorum regina.

Quanta etiam mala peperit Fredegundæ Gallorum reginæ error: nam cum à Chilperico viro, qui à venatione reuersus erat, citius quàm ante consueuisset, post tergum, velut à blandiente virga tacta esset: dum inclinata lauaretur, arbitrata ipsa id ab adultero Lãdrico actum esse (quia virum redijsse nondũ cognouerat) eũ nomine amantis cõpellauit: sed vt conuersa errorem animaduertit, verita, Ne vir crimen vlciscereturquod detectum esse putabat, ne ipsa moreretur, viri mortem procurauit.

De Gualthero Tirello Britanno.

Error quoque is appellari potest, quem Gualtherus Tirellus, in Britannia incurrit: nam dum venaretur, arbitratus se telo seruum petere: Gulielmum secundum, Britanniæ regem cognomento Rufum, patruelem fratrem occidit. Ita que ex venatione, vnde voluptatem quærebat, incredibilẽ retulit dolorem.

De Turonibus.

Non longe à Turonibus vrbe Gallica, sacellum erat, cuiusdam corporis numini dicatum, cuius quanquam ignoraretur nomen, tamen vulgo homines Martyrem appellabant: illic voto mortales suspiciebant, atque persoluebãt. Cum autem Martino Turonensium Episcopo permolestũ esset, vt incerta res, tanto in honore haberetur, ad sacellum cum paucis profectus, orare Deum enixè cœpit, vt verum in ea re deregere veller. Mira res, clarè ab omnibus audita vox fuit, affirmantis ipsum, qui eo in loco coleretur, latronem fuisse, qui propter grauia scelera suspensus fuerat. Quãobrem ex eo sacello corpus erutũ fuit, proposito posteris eius rei exẽplo, quę in sacris literis habetur, scilicet, Multorũ in terris corpora venerationem habere quo-

re quorum animæ cruciantur in inferno, atque idcirco, sicut vera sanctorum corpora, quos catholica Ecclesia inter cœlestium numerum recepit, Dei gratia cui seruiuerunt, diuinos ab hominibus merentur honores, ita in colendis reliquijs, quæ incertę sunt aut fictæ, cum interdum ostenduntur, homines temperare sibi debere, neque eos imitandos, qui veluti diuinum numen, omnia colunt auro ornata ossa, cum ostenduntur.

De Mullo Cropello, exercitus Matthæi Vincemitis Duce.

Multum persæpè error in bello afficit, quod hominis animus, aut metu nimio, aut cura affectus à vero iudicio abducitur: quemadmodum Mullo Cropello cõtigit: cum à Matthæo Vicecomite, qui eo tempore Mediolani rerum potiebatur, missus vt Cremonam iniret, per noctem vrbi appropinquans, muros silentio perfodit, ingressusq; vrbem Pontianus Cremonensis exul, solùm cum centum viris, quod subsequi nullum arbitrabatur, palatium statim occupauit: cum autem clamore sublato, Gręgorius Summa gente ortus, ciuis Cremonensis, armis arreptis ad muros se contulisset, illic qua patebant eos statim obstruxit: itaque cum Mullus arbitraretur Pontianum in vrbe oppressum, præformidine retrò se conuertit, Gregorius autem Summus, cum accepisset amissum esse palatium, arbitratus longè maiorem hostium numerum vrbem ingressum, quanquam septus esset magna fortium virorum manu, qua & Pontianum & omnes qui cum eo sentiebant, facilè posset opprimere, hoc impulsus errore, quod plures in vrbem quàm fuerant ingressos putabat Cremona profugit, cum noctis tenebræ in eum errorem, eo in loco homines induxissent, vt qui numero plures erant, pauciores vererentur ac fugerent.

De Renato Neapolitano rege.

Quantum Renato Neapolitano regi error obfuit? cum Alphonsi Aragonij copiæ vrbem Neapolim obsidentes, per cuniculum vrbem ingressæ essent: nam dum eas Galli reijcerent, neque ab vrbe se eas pulsuros diffiderent, fortè contigit, vt Aragonius miles deiecto ab equo milite Gallo, ipse in eum insiliret. Quem cum Galli in equo conspexissent,

nissent arbitrati Aragonium exercitum effracta porta vrbem ingressum, quod neq; cuniculo, neque scalis deduci in vrbem equi ab Aragonijs poterant, abiecta resistendi spe, in munita loca vt seruarentur, confugerunt, errore magis quàm hostium virtute superati.

DE VINDICTA. Cap. X.

SEquitur vt de vindicta dicamus, quæ maximè quietis atque pacis vna hostis est, in quam vt inuehamur, quid satis à nobis dici posset, nisi si temperantia abesset, qua vindictæ impetus frenari debet, breui assiduis bellis ac cædibus, quas secum vindicta trahit, humanum genus interituru? Quamobrem, quò maiore ex vltione dum peragitur (nam post rerum gestarum pœnitentiam relinquunt) voluptas sentiri solet, eò studiosius deuitare eam oportet: quod cum ipsa venenum præsentaneum sit (cuius interitus comes est) melle, id est, cupiditate, ita humanas mentes capit, vt qui ei frena remiserint, tanquàm visco indies magis ea inuoluantur, neque finem inuenire in ea valeant. Accedit præterea magni creatoris vox, quæ reseruari sibi vindictã iubet, & ita mortales, ab ipso præmia sperare, præceptumque exemplo suo redẽptor confirmauit, pro persecutoribus orando, quos & statim & copiosè vlcisci poterat. Monemur etiam puerorum fœminarumque exemplo, ne nos vindictæ tradamus, nam cum ætate sexuq; imbecilles, ob id magis, quàm cæteri vltionem impares viribus appetant, id quod nõ possunt, cupiunt: tantò magis ea fortibus atq; prudentibus, & is qui rerum potiũtur fugienda est, quod alteris turpè est imbecillibus æquari velle, alteris posse satis debet videri,

De Senatu ac populo Romano.

Insignis, atq; sine sanguine, & propterea ingenti eorum animo digna fuit, ea vltio, qua Romani in Brutios vsi fuerunt: nam Italorum primi se Hannibali coniunxerant, & postremi ab eo discessserunt: igitur ab Italia depulso Hannibale, & superatis in Africa Carthaginensibus, Senatus populusq; Rom. ad perpetuam Brutiorum facinoris ignominiam atque vltionem sanxit, Ne in posterum Brutiorũ vllus militia dignus fieret, sed cum magistratibus, inter mini-

miniſtros atque apparitores, Brutij ſemper mitterentur: qui tunc Brutij dicti, poſtea vt fit temporis ſucceſsu, corrupto nomine Birri nuncupati ſunt.

De Claudio Pulchro.

A publica populi Romani vltione, ad priuatam Claudij Pulchri tranſeamus: is à Cilicibus pyratis captus, cum de redemptione cum eis conueniſſet, atque ad Cypri regẽ Ptolemæum miſiſset, qui mutuò pactam ſummam, cum pyratis poſcerent: Rex autem partem tantum dediſſet, adeò exiguam, vt accipere eam pyratæ recuſarent, tandem ſine precio Claudius à prædonibus eſt dimiſſus: qui cũ poſtea Romam veniſſet, à patribus, ob id ſolum ad plebẽ trãſiuit, vi Tribunus plebis creari poſſet, id quod donec inter patres manſiſſet aſſequi non poterat. Creatus igitur Tribunus, nihil prius populo propoſuit, quàm ingentes Ptolemæi Cyprij regis opes, atque populum cohortatus eſt, vt iudicato hoſte, Ptolemæo ad eas capeſcendas mitteret. Ita Claudius Pulcher Ptolemæum vltus eſt, quod tàm patuã ſui rationem habuiſſet, vltio nequaquam indigna cæterũ ſeuior ea quæ ſequitur.

De Morte C. Fabij.

Cum inter Marium Syllamq́; ciuili bello decertaretur. C. Fabius, Africæ proconſul, quia crudelem ſe auarumq́ue nimis præſtabat, compulſis ad arma populis, viuus in palatio combuſtus eſt.

De Aulo Vitellio Imp.

Aulus Vitellius Cæſar, apertè oſtendit, quàm ſuauis vltio his videatur, qui rationis immemores eſſe volunt. Nã ſtatim, vt imperator creatus fuit, dicens: Paſcere ſe oculos velle, præſente ſe, interemi Publicanum quendam iuſſit: quod cum ipſe priuatus eſset, parum modeſtè, imò contumelioſè quædam erga eum egerat.

De Thaide Athenienſi meretrice.

Inter tanta regum, aliorumq́ue inſignium virorum exempla, quæ aut iam ſcripta ſunt, aut ſequentur, meretricem Thaidẽ, nõ omittendã duximus. Adeò enim egregiũ illius facinus fuit, vt eius, à qua prodijt obſcurã fortunã, honeſtet illuſtretq́; Hęc Athenis nata, euntẽ Alexandrum cum

cum exercitu in Orientem secuta, antequàm à Ptolemæo in delitijs haberetur. Cum nõnullis alijs fœminis ac principibus, vt cum Alexandro in Persepoli vrbe, in Xerxis ipsius palatio cœnaret, inuitata (forma enim atque eloquio insignis erat) post cœnam, cum Alexandro iocans. Tũc se dixit, ex Castrensibus laboribus, Asia peragrata, quod cupiuerat præmium accepisse, posteaquàm Alexander, ei vt in Darij Persarum regis palatio, cũ ipso cœnaret indulserat: quod munus longè maius, imo æternũ existimatura esset, si vt incendere quoq; palatium posset concederetur, vt ipsa, quæ muliercula erat, tantũ regẽ, quantus fuerat Xerxes vltisceretur: cuius olim exercitus, patriã suã Athenas incenderat, eius igitur animi magnitudine motus Alexander, cũ ei quod cuperet agendi facultatem permisisset, ipsa palatio ignem iniecit, patriæ suæ iniurias, quò poterat modo vlta.

De Patrobilo Neronis Liberto.

Patrobilus Neronis libertus, non minore animo quàm Thais, in vlciscenda domini morte fuit: nam cum Galba Neronem imperio vitaq; simul, quanquàm absens priuasset, quo tempore ipse, à prætorianis interemptus fuit: caput eius centum aureis nummis coëmit, vt illuc illud proijceret, vbi se Nero interemerãt.

De Mithidate Ponti rege.

Mithridates Ponticus rex, ex crimine ipso, haud incongruè Manius Attilium Romanum legatum, vltus est: cuius auaritia, bellum in Mithidatem populus Romanus mouisse putabatur: nam cum æstu eum cœpisset, inaurato ora, vt eius auaritia detegeretur, per regnum auersum asino insidentem, ducebat, sed crudelius iniustiusq; id fuit quod sequitur.

Iterum de eodem.

Cum Mithridates, per Pontum Pompeij arma fugeret, accepit à Straronica, cõiuge arcẽ, cui ipsa cum ingentibus thesauris præfidebat, Roman. ea conditione tradidisse, vt si Xipharem suũ ac Mithridatis filium cœpisset, sine alio pretio ab eis dimitteretur. Mam ea re graviter Mithridates indignatus est: atq; vltionis cupiditas adeò eum à recto sensu abstulit, vt captũ Xipharem filium, in loco vbi à matre con-

conſpiceretur crudeliter occiderit.

De Dauide Iudæorum rege.

Adeò vltionis deſiderium ſuauitate conditum eſt, vt magnis prudentiæ antidotis, munitum eſse oporteat eum, qui illæſus prætergredi eam cupiat: id in propheta Dauide declaratum fuit: Nam cum ei ingentia crimina Deus remiſiſſet, manſuetiorem factum eſse oportebat. Et tamē, cum iam iannoſus, atque ætate diminuto calore à vita diſcederet, eum acceptarum iniuriarum, quas viuens diſſimulauerat, vltionis cupiditas cœpit. Itaque Salomoni filio ſucceſſori imperauit, vt Semeum Geræ filium occideret, quod is ei maledixerat, atq; ſaxis ipſum inceſſerat, cum ab Abſalone filio, Hieroſolymis pulſus, fuga ſaluti ſuæ conſuleret.

De Octauio Auguſto.

Auguſtus omnes auunculi à quo adoptatus fuerat percuſſores occidit: & quod longè ſæuius fuit, adempta L. Antonio Conſuli Peruſia, cum aram Iulio Cæſari ędificaſſet, illic pro victimis trecentum partim equites, partim Senatores crudeliter mactauit. Grauiter enim errabat cum Cæſaris manes, humano ſanguine placare ſe arbitrabatur: cuius nulla maior, quàm clementię laus fuit, & cui ciuilis ſanguis, niſi cum in prælij ardore neceſsitas cogeret, ſemper inuiſus fuerat. Sed poſt tàm ſæuum vltionis genus, iuſtior aliquantò vindicta deſcribetur.

De Martiale Romano equite.

Vindictæ amor atq; cupiditas adeò Martialis Romani equitis pectus incederat, vt is Macrini præfecti prętorij ſuaſu, Antoninum Baſsianum Caracallam imperatorem dum in agro ventrem leuaret, à ſuis aliquantiſper ſemotum interficeret, qui inde cum ſe fuga proripere vellet, ſtatim interemptus fuit. Ad hanc cædem impulſus, quod paulo antè Baſsianus, eius fratrem interemerat, fraternæ enim necis vltionem vitæ ſuę antepoſuit.

De Erixona Cyrenarum regina.

Learchus ab Archelao Cyrenarum rege, in amicorum numero precipuus habebatur, cum autem ipſum regem veneno ſuſtuliſſet, ac ſimul regnum occupaſſet, Erixonam reginam,

reginam, Archelai coniugem, vt matrimonio secum iungeretur tentauit: pollicitus si id Erixona egisset, se Archelai filium adoptaturum esse. Cum autem non imprudens fœmina, conditionem non displicere ostendisset, sed fratres duros admodum obsistere posse, ad hanc rem aliquã dixit rationem iniri, si ad se noctu in colloquium, vno tãtum comitatus veniret. Nihil insidiarum inesse putans Learchus, qui præ amoris magnitudine cæcus erat, noctu in Erixonę ædes se recepit, vbi eum Erixona à duobus quos domi occultos habebat interimi iussit, ac corpus de fenestris deijci. Per hunc modum cum aliter nequiret mariti mortem vlta est.

De Camma Galatâ.

Audax atque amoris plena in mariti Sinati vlciscendæ morte, Camma Galata fuit, aduersus Sinorigem, qui ob id solum Sinatum interemerat, vt Camma potiretur. Nam cum nec precibus, nec donis placari posset, postremò verita ne precibus vim Sinatus adderet, matrimonio assentiri cum eo se finxit, atque vocatum eum in Dianæ templum, cuius ipsa sacerdos erat, in numinis conspectu ostẽdit desponsationem celebrare velle: quod autem mos erat, vt eodem in desponsatione poculo, vir vxorque biberent, ipsa prius peractis solennibus verbis, post iusiurandũ aureo poculo delibatam à se venenatam potionem Sinorigi propinauit: qui fraudem nullam inẽsse ratus, ex eodem vase ipse quoque venenum hausit: quod ipsa conspicata, præ lætitia contentam se mori exclamauit, posteaquàm ita virum vlta fuerat, nec multò pòst ambo perierunt.

De Antiocho Gripho Syriæ rege.

Antiochus Griphus Syriæ rex, cum sciret venenatam esse potionem, quam ei mater porrigebat, haud iniusta vltione coẽgit, vt eam mater biberet: qua hausta repentè mortua concidit.

De Nicomede Bithyniæ rege.

Haùd scio iustámne, an sceleratam appellem eam vltionem, qua Nicomedes aduersus patrem Prusiam Bithyniæ regem vsus est: fortassè enim plerique iudicauerint, quæcũque sit patris in filium iniuria, filij tamen esse, nõ aliter se,

quàm vel latendo vel fugiendo tueri, patientiaque paternam irã ſuſtineri oportere. Hic patri ſuſpectus, quod à populis nimium diligeretur, ab eo Romam miſſus eſt, & quia illic quoque eum in honore Romani habebant, patri ſuſpicio atque odium ſimul creuit: itaque cum tentaret, vt Romæ occideretur, re ab eo derecta, qui vt cædem perageret miſſus fuerat, Nicomedes in Bithyniã profectus, cum populi à Pruſia patre rebellaſſent, fugientem eum interfici iuſsit. Pruſias igitur, quia ſuſpicionis plus haberet, quàm oportebat, vt perſæpè euenit ſibi ipſi eius mali cauſam attulit, quod ſine ratione futurum metuebat.

RECENTIORA.

De Helmige equite Longobardo.

Cum Roſimunda Longobardorum regina, viro ſuo Alboino necem per Helmigem equitem ſuum procuraſſet, regno populorum indignatione pulſa, Rauennam homicida, atque eodem adultero fugæ comite profugit. Illic, vt fœminei moris eſt, cum Helmigis eam ſacietas cepiſſet, & mutare adulterum cuperet, dum ambo balneis egrederentur, ipſa Helmigi venenatum poculum propinauit, idque quod erat Helmiges, cum bibendo præſenſiſſet, ſtricto gladio eã coëgit, vt quod in poculo ſuperfuerat ipſa hauriret, qui quanquàm eo hauſtu ante moreretur, vnus tamen Roſimũdam vltus eſt: quandoquidem haud diu pòſt Helmigim ipſa quoque deceſsit.

De Sanctio Caſtulonenſi comite.

Sanctius Caſtulonenſis comes, cum à materna ancilla accepiſset, à matre principem quendam Arabem amari, & vt commodius veneri cum eo operã dare poſset, ab ea ipſius vitæ veneno inſidias eſſe paratas: quo tempore poculum, in quo venenum miſcuerat mater porrexit, iuſta ira Sanctius ad vltionem impulſus, ipſam vt prius biberet coëgit: & ita vt digna erat, mater confeſtim mortua eſt.

De Ioanne Stanarola Veronenſi.

Mortem quoque ſuam Ioannes Stanarola Veronenſis vltus eſt, cum derecta coniuratione, inductæ ei compedes eſsent, & ita ad Henricum Dugnam ab Ecelino Veronenſi vrbi præfectum perductus eſſet. Nam cum ſe ad nomi-

nandos

nandos coniurationis conscios cogi videret, neque ob id tamen salutem obtinere posset, vt poterat, saltu Henrico appropinquauit, atque paruulo gladio, quem veste abdiderat, ter punctim in caput eum percussit: ita vt quanquàm ipse illic statim occideretur, breui tamen etiam Henricus periret.

De Eudoxa Augusta.

Cum Petronius Maximus Romanus Senator, per Trasillam militem, Valentinianum Augustum occidi curasset, atque occupato imperio, illud eniteretur, vt Eudoxa Augusta ei nuberet, tantũ ex ea re indignationis, propter amissum virum Eudoxa concepit, vt quò facilius Valentiniani mortem vlcisci posset, Petronij animo gerere morem velle ostenderet: sumpto igitur prætextu ad legiones atq; prouincias scribendi, vt eas Petronio conciliaret, in Africã ad Gensericum Vandalorum regem misit, qui eum hortaretur arma aduersus Maximum mouere, atque ad diripiendam vrbem Romam venire: qui cum ingenti classe Romam venisset, Maximũ occidit, atque vrbem cepit ac diripuit, ablatis inde non thesauris solùm, verùm omnibus quoq; claris artificum monumentis. Quam rem Eudoxæ consilio egit, quod eam neque Petronij mala, neque patriæ incommoda satis explere poterant: adeò vlciscendæ acceptæ ab vtroque iniuriæ desiderio ardebat, quod alter eam intulerat, altera cum obstare potuisset, inferri ipsam tulerat.

De Clotilde Gallorum regina.

Vt autem magis etiam pateat, quam acerbè vltionis studium in muliebri sexu grauius sæuiat, Eudoxæ Clotildim Gallorum reginam annectemus, cuius gesta, vt facilius intelligi possint, paulò altius res repetetur. Gundegarus Burgundiæ rex, Atanarici stirpe ortus, quatuor liberos suscepit Gondebaldum, Godisillum, Chilpericum, & Gondemarũ. Gondebaldus cum barbarè sæuiret, fratrem Childericum, eum coniuge occidit, ac de tribus filijs, duas in exilium misit, natu minorem Clotildim nomine apud se retinuit: quę propter eximiam formam in matrimonium à Clodoueo petita occultè ei nupsit, atq; de patrui manibus, vi extorta est. In quẽ adeò Clodoueum virũ ipsa inflãmauit, vt Gõde

baldus, cum minus viribus valeret, pacem ingenti precio, ab irato Clodoueo emere coactus fit. Iis autē, id est, Clodoueo atque Gondebaldo vita functis, in Gallia Clodoueo, Theodoricus, Clodemirus, Hildebertus, Lotharius q; filij succesſerunt, in Burgundia autem Gondebaldo filius Sigiſmundus, cum verò in Clotilde, neque ætas neq; communis ſanguinis reſpectus, vltionis deſiderium extinxiſſet, liberos in Sigiſmundum armauit, qui prælio victus, cum fugeret captus, atque in vinculis à Clodemiro in Aurelianos deductus eſt: ab eo Clotildis mater obtinuit, vt Sigiſmundum cum vxore ac liberis, quemadmodum olim Gondebaldus Sigiſmundi pater Clotildis patentes in amne ſubmerſerat, ipſe in puteum præcipites mitteret.

De Iuſtiniano ſecundo Imperatore.

Iuſtinianus quoque Imperatore poſt recuperatum imperium, quo eum naſoque ſimul Leontius patricius priuarat, acerbiſsimè iniuriam vltus eſt. Nam quoties naſum emungeret, hoſtium ſuorum vnum capite mulctabat: quorum in vinculis magnum numerum habebat. Sed iam ad publicas populorum atque exercituum vltiones tranſeamus.

De Beliſarij exercitu in vrbe Roma.

Beliſarius, cum bello Gothos perſequeretur, & neceſſarijs de rebus in Siciliam eſſet profectus, exercitui, quem in vrbe reliquerat Cononem præfecit: huius inſignis erat auaritia, frumenta enim mercatus, quæ militibus diuideret, auēto in dies ſingulos precio, cariora faciebat, vt ea ratione militum ſtipendia facilius deuoraret: quod cū milites perſpexiſſent, neque amplius ferre eam rem poſſent, ſeditione mota, eum interemerunt. Imperator autem ipſorum, cum rem atque ſimul eius cauſam intellexiſſet, nequaquàm pœnam dignam eſſe putauit.

De Alexandrino populo.

Quemadmodum Iulianus quoque Imperator, non caſtigandum duxit Alexandrinum populum, quod per vrbem pedibus tractum Georgium Alexandrinæ vrbis Epiſcopū viuum combuſſerat, quia Conſtantio rapaci principi, nouas onerum imponendorum rationes & commenta propoſuerat: ita etiam incommoda, quæ per eum tulerat, vlciſci Ale-

Alexandrinus populus voluit.

De Rauennate populo.

Non minus etiam acerbè Rauennas populus Ioannis Lemigij, Rauennatem Exarchatum sub Phoca imperatore gerentis, auaritiam atque libidinem vltus est, neque inde plus pœnarum quàm superiores tulit: rem enim Phocas neglexit, quanquàm populus Ioannem ipsum cum coniuge, atq; iudicibus interemisset. Iterum ad priuata reuertamur.

De Abaga Can, id est, rege Tartarorum.

Fera nimis, nedum barbara fuit vltio Abagæ Can, id est, regis Tartarorum, aduersus Paruanam: quod ab eo Turciæ præfectus (eius enim imperium Tartari, anno salutis ducētesimo atque octuagesimo supra mille sibi pepererant) precio eam regionem Aegyptio Sulthano vendiderat. Abagas enim cum postea armis Turciæ regnum recuperasset, captum proditorem, vt Scytharum mos est, medium desecuit: deinde corpus inter alias epulas coxit, ex eoque & ipse & proceres eius epulati sunt: neque ita adhuc sibi pro iniuria satisfactum arbitrabatur.

De Badilo Gallo.

Haud dissimilis ratio vltionis fuit, in Childericum secũdum Gallorum regem, ab ea quæ Iasoni in Thessalia contigit: nam cum Badilus vir Gallus, nobilitate inter suos clarus, iniuste à Childerico vapulasset, adeò ira atque indignatione exarsit, vt per occasionem manu sua venantem Childericum interimeret: neque eo contentus regi coniugem, quæ verum ferebat (in regno enim magna Badilus potentia erat) addidit.

De VVilla milite Gepida.

Quàm sæua etiam VVillæ (is Gepida miles erat) in Aldoaldum Gothorum regem, dominũ suum vltio fuit? cum cœnantem ipsum regem, vno vulnere interemit: quia vxorem, quam ante ei promiserat, absente VVilla, vt regis negocijs operam daret, rex alteri in matrimonio collocarat.

De Guidone Montisfortis,

Nimis etiam acerbus vltor fuit paternæ mortis Guido Montisfortis, Simon enim pater eius vocabatur, qui hostis ab Henrico Britanniæ rege iudicatus, regi regnum atq;

libertatem ademerat. Cum autem postea Eduardi filij opera regnum Henricus recepisset, hostem quoque Simonem cepit, atque eũ acerba morte in quatuor frusta discerpsit: huius igitur mortem Guido filius, dum vlcisci cupit (quo tempore Carolus primus Neapolitanus rex, vnà cum iuniore Philippo Gallorum rege, à Tunete venerat) vt Cardinalium collegio suaderet, ne vltrà noui Pontificis creatio differretur: cum eis Henricus Britannus erat, Ricardi iam imperatoris electi filius: huius autem Ricardi frater fuerat Henricus rex, qui Simonem interimi iusserat. Itaque eum Missarum sacra in templo audientem, atque vtroque genu humi nixum, Guido occidit & capillis appræhensum, sæuè è templo abstraxit, atque inde fuga se in Ethruriam recepit, qui vt quoquo modo patrem vlcisceretur, nullam rationem aut temporis, aut loci, siue etiam nobilitatis atque innocentiæ eius, quem interficiebat habere voluit.

De Gino Taccij Senensi ciue.

Non minore sæuitia Ginus Taccij Senensis ciuis, fratris ac patrui mortem vltus est: nam cum is Radicofani arcem in Senensi agro positam, furtim occupasset, atque ab eo loco regionem propinquam prædando infestaret, Bonincasa Aretinus, qui sub vicarij titulo Senis ius dicebat, Turrim Turritam, Gini fratrem, ac Taccium eius patruũ tanquam Radicofani occupationis conscios, in foro Senensi capite mulctauit. Cum autem post aliquot tempus, Romam ad gerendum mágistratum Bonincasa profectus esset, Ginus, cuius ex animo amissi fratris ac patrui dolor nondum excederat, sequutus eum, in ipso tribunali in quo ius dicebat, palàm occidit, atque ademptum ei caput abstulit, adeò animos atque audaciam, vlciscendi sanguinis sui desiderium fecerat.

De Eruoia Spaletij Duce.

Si hi, de quibus scriptum est, suorum mortem vlti sunt, iusta videtur eos ira impulisse, ca rerum quod nunc scripturi sumus iniustius putabitur, quod vltio sæuitiei plena, nulla grauiore quàm verborum accepta cõtumelia, facta fuisse videtur. Cum Eruoia Spaletij Dux, à Sigismundo imperatore, qui etiam Vngariæ atque Boëmiæ regna possidebat rebel-

rebellasset, atque vno prælio multos è Sigismundi Ducibus ac præfectis cepisset, omnes sine precio humanè dimisit, vno Paulo Chuporo excepto, cui nudo statim assui bouis pellem iussit: nam cum Eruoia adhuc in officio cum Sigismundo maneret, atque in eius aula versaretur, quia ipsius aspectus, moresque rusticum hominem præferebant, nunquam à Paulo aliter, quàm expresso bouis mugitu salutabatur. Ei enim capto, cum ita vt dictum est, ipsum haberet, hoc improperauit, dicens: Velle se, vt voci illi personæ quoque imago responderet.

De Venetis.

Veneti, qui alioquin modestos se ac quietos præbere visi sunt, dolore compulsi, nonnunquàm acerbos se vltores ostenderũt, quẽadmodum dictum est. Occiso Horleo, qui etiam Vrsus Hippatus dictus est, Veneto Duce, quod is nimium crudelis habebatur: item cum Gallam patria atque luminibus priuarunt, qui Horleo sicuti in ducatus dignitate, ita etiam in vitijs successerat. Dominicum quoq; Monegareum ipsorum ita in crimine, sicut in ducatu succesorem, patri supplicio affecerunt: neque de eorum aliquo pœna sumpta fuit, qui in ipsos principes manus iniecerunt: adeò iustè omnes vindictam de scelere sumptã putauerunt.

De quibusdam Alexandrinis ciuibus.

Adeò efficaces stimulos vltionis cupiditas habet, vt non modò principes ac populos, quos persæpè virium magnitudo ad iram accendit, eijsque iudicij lumen aufert, verumetiam abiectæ fortunæ homines impellit, vt vitæ suæ suorumque obliti, eos qui plurimum possunt vlcisci contendant. Vidimus ipsi, neque id iamdiu fuit Alexandriæ (quæ vrbs Transpadana est in Cisalpina Gallia) Ludouico Sforcia Mediolanensem Ducatum administrante, Petrum Vespucium Florentinum equitem, eo tempore Transpadanæ oræ præfectũ, cum vocata ciuium parte altera, repente captum Carrantẽ Vilsauegiã molendinariũ, à palatio suspendisset, adeò ad vltionẽ Carrantis propinquos exarsisse, vt quinque ex eis, mane palatium ingressi factione eorum vires præbente, cũ non satis duxissẽt præfectũ occidere, eius corpus à cubiculi fenestra suspẽderẽt, qui facinore patrato,

impunè ab vrbe illa profugerunt. Sed quia iam satis de vltione dictum est ad alia, vt molestia deuitetur, transibimus.

DE SCELERATE DICTIS aut factis. Cap. XI.

De Eucratidis Bactrianorum regis filio.

PArum videtur ad corrigendos mores, iuuandamq; hominum vitam, à nobis actum esse, nisi quemadmodum Valerius egit, quæ dicta aut facta scelerate sunt ostenderemus: vbi deuitata non fuerunt, non infamiam modò, verumetiam calamitatem ingentem attulisse: his enim duobus, id est dicendo agendoque, omnia laudum atque criminum genera comprehenduntur, & qui ab his sibi temperauerit, à maximis criminibus abesse persuadere sibi poterit. De huiusmodi igitur re dicturi, à nullo melius primordia sumere possumus, quàm ab Eucratidis Bactrianorum regis filio: is à patre regni consors, & tituli regij particeps factus ab Indorum bello victorem reuersum parentem, vt hostem interimi iussit: & cum id parum videretur, grauius addidit scelus, carpento enim corpus eius calcauit, atque eum sepultura prohibuit, tantò quàm scelerata Tullia Romana sæuior, quantò id minus est, quod ipsa parentem non interemit, cuius morte regnabat. In Eucratidis autem filio contrà id fuerat, quod is à viuente patre acceperat, quo nihil maius, ab eo post mortem exspectare poterat.

De Phraate Horodis Parthorum regis filio.

Nónne detestandum etiam Phraatis Horodis Parthorum regis filij scelus fuit? qui parentem cum triginta filijs, quanquàm ab ipso regni successor designatus esset, occidit: grauiter pauci temporis moram, in vicino iam morti patre ferens: quamobrem cum is inuisum se omnibus animaduerteret, ne quenquam regiæ stirpis viuere pateretur, filiũ suũ iam grandiusculum interemit, præ nimia suspicione atque cupiditate, in seipsum id molitus, quod ne maius quidem aliud ab hoste in eum statui poterat: adeò scelus atque crudelitas amentem eum atque vesanum fecerat.

De Ptolemæo Philopatore Aegypti rege.

Dupliciter Ptolemæus Philopator Aegypti rex, scelera-

tum

tum se ostendit. Fratrem enim coniugemque, & vt scelus magis augeret, sororem quoque crudelissimè occidit: cæterum tanquam id parum esset, vt in scelere intactum nihil omitteret, atque sceleratè agendo, eo progrederetur, vt in præcipiti staret (ô scelus immanè horrendumque) parentes quoque ambos, impiè nimis sustulit.

De Ponti rege Mithridate ac filio eius Pharnace.

Quanquàm Mithridatem Ponti regem patrem Pharnaces, vt Ptolemæus suos non occiderit, tamen cum magnis cladibus ipsum videret, eò à Romanis deductum, vt vltra parum resistere posset, nequaquam misericordia motus est vt debebat, præsertim cum in patrem conspirasse deprehensus, atque ob id captus, impunitatem sceleris ipse obtinuisset: sed neque ob id aut correctior factus, aut minus sceleratus, cum pater de traijciendo in Italiam ageret, & ob id exercitus eius animo perturbatus esset, seditiosorum quorundam opera adiutus à patre rebellauit, petitoque à militibus paterno capite, in eam desperationem ipsum coniecit, vt veritus, Ne à filio Romanis dederetur, veluti minus calamitosam rem sibijpsi conscisendæ mortis casum deligeret. Parentis enim manu, id sceleratus filius egit, quod Ptolemæus sua in patrem patrarat: fortasse ita Deo permittente, quod Ptolemæi pater sceleſtus atque immanis, parentem ipsam ac fratrem, atque insuper tres liberos, ipse olim occiderat.

De Dario fratribusque Artaxerxis, Memnonis Persarum regis filijs.

Immanè profectò scelus Darij fratrumque in patrem Artaxerxem Persarum regem fuit: nam quanquã eis viuens Artaxerxes regno cessisset, quia Dario postea Aspasiam cõcubinam negarat, & ne eam daret, religioni eam dicarat, adeò eam rem Darius permolestè tulit, vt occidere eum statueret: ex magno autem naturalium fratrũ numero, quinquaginta in sententiam suam, ad patrandam paternam cædem traxit, cæterum quanquam qui in ea conspiratione deprehensi fuerant, omnes occiderentur, tamen quod re fortuna eos patrare prohibuit, animo tamen impij filij perege runt: ô inauditum scelus facinusque semper cum crimina-

tione commemorandum: nam si monstri simile ducitur, vt vnus in patrem conspiret, atque ei vim inferat, quid de quinquaginta, qui tàm impium scelus tentauerunt dicere poterimus?

De Selensaro atque Adramelech, Senacherib filius.

Id de impijs Artaxerxis filijs dici potest, quod semper homines de immani scelere atque sacrilego Selensaro atque Adramelech infandis fratribus ferent: ambo enim patrem Senacherib, Assyriorum regem, in templo Iouis orantem, cum ab expeditione aduersus Ezechiam susceptam reuersus esset, interemerunt.

De Thesimacho Pisistrati Orchomeniorum regis filio.

Nec minus sceleratus & longè crudelior fuit Thesimachus, erga Pisistratum patrem, Orchomeniorum regē, cum eum iuuante Senatu occidit, ac corpus eius in frusta discerptum, sub veste tectum abstulit, dicens: In cœlum à dijs raptum esse: quemadmodum de Romulo Romani dixerunt.

De Absalone Dauidis Iudæorum regis filio.

In patrem quoque Dauidem Iudæorum regem impius, ne dicam scelestus Absalon fuit: nam & regno eum expulit, & vt interficeretur operam dedit, & ne spes vlla concordiæ vnquàm superesset, palàm cum paternis concubinis concubuit.

De Antipatro Herodis Iudæorum regis filio.

Antipater fraudis plenus, Herodis Iudæorū regis filius, cum falsis criminibus patrem impulisset, vt liberorū duos occideret, postremò in ipsum quoque patrem, vt eum perderet conspirauit, sed deprehenso scelere, vt dignus erat, à patre interemptus fuit.

De Aristobolo Iudæorum rege.

Posteaquàm satis multos narrauimus in patres sceleratos atque impios extitisse, nōnullos etiam addere æquum est, qui matres crudeliter habuerunt. Cum & sexus ipsius gratia, & quia matres maiori ex parte, alēdorū filiorū fasti dia sustinēt, cōmuniter eis liberi magis afficiūtur: inter hos primū Aristobolū Iudęorū nō solū regē, verumetiā Pōtifi cē ponem⁹: is enī matrē, cū tribus filijs, qui ipsi fratres erāt, in carcere, propter falsas regni suspiciones, interfici iussit.

De

De Antipatro Macedoniæ rege.

Antipater Cassandri Macedonũ regis filius, matri Thessalonicæ indignatus est, quod in regni diuisione, mortuo Cassandro ad minorem natu filium Alexandrum, visa est inclinare: nam quanquàm effusis lachrymis, ipsa eũ oraret, & aperto pectore vbera ostenderet, quibus eum aluerat, in memoriam ei reuocans, à se genitum esse ipsum atque enutritum, ita vt ad commiserationem omnes moueret (heu nimium sæua impietas) ipse ferus, vt filium taceam, hostis tygrideq; truculentior, nullis emissis lachrymis, nullo ne suspirio quidem edito, surda aure, maternas præces prætenens, eam interfici iussit.

De Nerone principe.

Cum Neronis tot insignia scelera sint, quot eius facta ex infinito eorum numero, quædam magis horrenda ponemus: hic matrẽ Agrippinã, cuius industria ad imperium ascenderat, occidit, atque inspicere mortuæ corpus voluit, spectauitq; adeò lachrymarum expers, tantaq; animi quiete, vt spectando voluptatis gratia biberet. Non minus quo que idem in patriam, quæ alia parens est sceleratus fuit, in qua à septem partibus succenso igne, ab eminente loco incendium spectauit, decantatis de Troiæ incendio, scriptis ab Homero carminibus. In hæc duo, quæ primaria sunt, quibus mortales naturæ iure affici magis debeant, cum tàm sæuus atque immanis fuerit? quid aliud est, quod vltrà de ipsius immanitate homines exspectare possint? Sed à filiorum sceleribus, iam ad ea transeamus, quæ matres quædam impiè egerunt.

De Laodice regina Cappadociæ.

Laodice regina Cappadociæ, cũ viro Ariarathe, vna cũ sex liberis infantibus superstes fuisset verita, ne adulti eam regno filij pellerent, sceleſta mulier, quinque veneno sustulit, contra ipsius sententiam sexto incolumi seruato, qui postea ei regno successit, cum ipsa populari tumultu interijsset.

De Athalia Hierosolymarum regina.

Haud dissimilem muliebris ambitionis studium Athaliam, Hierosolymarum reginam, ad nõ minus sæuũ scelus, quàm

Laodicen impulit: nam post viri Ioram, & Ochoziæ qui filius erat mortem, ne esset qui ad regnum aspiraret, & per quem eius ambitio impediretur, omnes ex Dauidis stirpe iussit occidi: Vixque Ioas, ex filio nepos superfuit, magis Iosabeth amitæ industria, quàm quod auiã pietas vlla mouisset, qui cum adhuc tener esset, auia interempta in regno succesit, & per eum regia stirps instaurata fuit.

De Attilij exulis matre.

Quàm crudelis quoque atque scelerata Attilij proscripti mater in ipsum filiũ fuit? nam cũ ad eam profugisset, vt ipsius opera absconderetur, reiectum à se, ad certam immanemque mortem ablegauit. Impia enim mater filio id negauit, quod multi serui amicique maiore suo periculo (quia minus venia dignos, quàm matrem natura efficiebat) heris & amicis iam præstiterunt.

De Timone Athenienſi.

Iam à factis, in quibus scelus fuit discedamus, ne semper crudelis materia nobis tractanda sit, atque ad dicta transeamus, quæ scelus secum habuerunt. In his principatũ Athenienſis obtinebit Timon, omnes enim mortales oderat, quin sibi quoque ipsi infensus erat. Is cum Alcibiadem adhuc puerum obuiũ haburisset, & deosculatus ei plurimum blandiretur, rogantibus quibusdam, Quæ insuetarum blãditiarum causa esset? respondit, Amare se eum puerũ, quod præuideret ipsum quandoque Athenienſibus magnorum malorum causam fore, qua spe sola fruebatur. Ei enim propter immanem naturam id placebat, quod alij iurè omnes abominabantur.

De eodem.

Non minus quoque graue ac sceleratum eius dictũ fuit, cum Athenienſem Senatum ingressus, quem adire nunquã solebat, silentio expectantibus omnibus, quid is dicturus esset, dixit: Se post ædes paruum habere hortum, in quo ficus in ingentem altitudinem creuerat, à qua arbore multi Athenienſes se suspenderunt: & quoniam eo in loco ædificaturus esset, visum ei fuerat, de re ipsa ciues monere, vt si quis ab ea ficu suspendere se veller, id acceleraret, priusquã arbor succideretur. Sceleratum profectò verbum, quan-

quàm

quàm nonnulli faceto illud ingenio tribuere maluerint.

De Hannibale Carthaginensi.

Illa quoque Hannibalis Pœni scelerata atque atrox nimis vox fuit, cum inspecta humani sanguinis plena fossa, Pulchrum in ea esse spectaculum dixit: feræ enim, quã homini verbum conuenientius fuit.

De Caligula Imperatore.

Vt alia omni in re, ita verbis quoque sceleratus Caligula fuit, cum persæpè repeteret: Oderint dum metuant: & semel iratus clarè exclamaret: Vtinam populus Romanus vnam tantum haberet ceruicem: sceleratum nimis pro facto verbum: nam quid aliud sæua eius rabies optabat, ni si vt vno vulnere patriam perdere posset.

De Aulo Vitellio Imperatore.

Nónne Vitellij quoque sceleratum fuit verbum, cum ex Germania Romam rediret, atque haud lõgè à Bebriaco iter faceret? illic enim, cum Othone certamen eius fuerat, & ob id cum multi tam multorum cadauerum fœtorem abhorrerent, dixit: Olere hostem mortuum præsertim ciuem: & vt magis eo spectaculo frueretur, mortuos spectans, lætus largè perpotauit.

De Agrippina Augusta.

Post liberorum matrumque scelera, haud incongruũ est vt de vxoribus quoque, quæ impiæ fuerunt aliquid dicamus, atque Agrippinam his annectemus. Nam si Valerius sceleratam appellat, viri Salasi proscripti vxorem, quod dum eum detexit (fortasse è timore magis quàm odio impulsa) mortis eius causa extitit, quantò sceleratior Agrippina dici debuit, quæ Claudium virum suum, nulla prorsus affecta iniuria veneno sustulit?

De Laodice Syriæ regina.

Pari atque etiam maiori scelere, amoris impatiẽs, in quo riualem ferre non poterat, Laodice regina Syriæ, aduersus Antiochum virum suum cognomento Deum vsa est: eum enim simul cum alia coniuge Berenice ac filio, veneno perdidit.

RECENTIORA.

De Brunechilde Gallorum regina.

Recen-

Recentiorum fœminarum, quæ scelere insignes se fecerunt, prima se offert Brunechildis Gallorum regina, alio nomine Bruneusta, quod parum ducens, impiam matrem esse, sceleratissimam quoque auiam se præstitit. Nam post Sigiberti viri regis mortē, seminatis discordijs, inter Theodericū atq; Theodebertū, ex Childerico filio nepotes, oratione sua Theodericū impulit, vt Theodebertū interimeret cuius ipsa liberos adhuc infantes manu sua occiderat, atq; inter ipsos Meroueū adhuc in cunis agentē, pedibus apprehensum, saxo allisérat: & vt sola regnaret Theodericum quoque postea veneno petijt: qua rabie hanc fuisse arbitrari debemus? cuius gesta scribendo animus meminisse horret, adeò sęuitiæ atque impietatis plena fuerūt, quæ in muliebri sexu tantum opprimere vilia corda solet, vt amissa ratione, huic cupiditati viros, liberos atque omnes propinquitatis gradus, feris ipsis atrociores posthabeat.

De Ioanna prima Neapolitana regina.

Ioanna prima Neapolitanorum regina, occupatis in scelere Brunechildis partibus, in Auersæ vrbis arce, virum atq; eundem patruelem, Pannonium Andream, suspendi iussit, vt ipsa arbitratu suo, liberius ageret.

De Elisabella Britannorum regina.

Elisabella Britannorum regina, in Galliam ad Carolum fratrem cognomento Pulchrum, visendū profecta, postea quàm Eduardum tertium peperit, ortis inter virum ac fratrem discordijs, in Britanniam à viro reuocata, cum sciret ei dedecora sua non ignota esse, à fratre Britannisq; seditiosis adiuta, partim vi, partim dolo, virum Eduardum secundum adorta cepit, atque in carcere iussit occidi, ipsaque sub filij nomine regnum administrauit. Verùm post aliquot annos deprehensa cum Rogerio Mortimero adultero, à filio in vinculis posita est.

De Elisabella Flisca.

Non minus quoque scelerata Elisabella Flisca, Lucæ filia, in virum Lucinum Vicecomitem fuit, qui rerum Mediolani, cum archiepiscopo Ioanne fratre potiebatur, ac Stephani fratris mortui filios in exilium egerat: nam deprehensa cum Vgolino Gonzaga, Ludouici Mantuani princi

pis

pis filio adulterare, ne vir pœnas sumeret, non ipsum modò virum veneno sustulit, verùm palàm etiam testata est, lucinum iuniorem, atque Vrsinam quos ipsa pepererat, nō ex viro, sed ex nepote eius Galeatio conceptos esse, itaque ambobus Papiæ in carcere conditis, Galeatius ac Bernabos, Stephani filij, ab exilio reuocati, in rerum Mediolanen sium administratione successerunt: per hunc enim modum, scelerata mulier, cum turpis vitæ pœnas dare metueret, virum vlta, filios imperio, & se boni nominis honore priuauit.

De Siroë Cosdroe Persarum regis filio.

Cum Cosdroa Persarum rex, graue bellum cum Heraclio Imperatore gereret, Siroës filius, ei regnum vitamque ademit, quemadmodum ante Cosdroa, Hormisdæ patri egerat: persæpè enim diuinitus fieri videtur, vt quæ homines in parentes suos egerunt, eadem à liberis suis patiātur.

De Henrico Henrici quarti Imperatoris filio.

Et si ferro abstinuit, alijs tamen modis patrem Henricū Tertium Imperatorem, scelestus filius Henricus quartus perdidit: nam non contentus captum coëgisse vt imperio cederet, posteaquàm pater manus eius effugit, armis Leodij inclusum adeò presit, vt præ dolore, cū omnibus alia spes adempta esset perierit.

De Ludouico Ludouici Bauariæ Ducis filio.

Pari scelere Ludouicus Bauarus, cum Ducem Ludouicum patrem suum obsideret, ei mortem, quæ ætatis cursu haud longè aberat, arcta obsidione premendo magis accelerauit.

De Simene Alardi Dacarum regis filio.

Non minore impietate Simenes, patrem Alardum Dacarum regem, regno expulit, ac demum occidit, Otthone primo imperante.

De Stephano ac Constantino Constantinopolitanis Imperatoribus

Stephanus ac Cōstantinus, cum imperij honore deiecto Romano primo ipsorum patre, imperium inuasissent, iustè vt impietati eorum par erat, honore quem per scelus parauerant, haud multo pòst deiecti fuerunt: persæpè enim euenit,

euenit, vt qui per scelus struere sibi gradus ad honores, ac regna quæsiuerunt, breui illud ipsum quod parauerunt amittentes, hoc solùm ex partis scelere rebus retineant, vt infames semper habeantur.

De Michaële Constantinopolitano Imperatore.

Id quoque Michaëli contigit, Nicephori Imperatoris filio: nam conspiratione facta, cum Alexio paterni exercitus Duce, vt cum exercitu aduersus Robertum Guiscardũ missus, à Nicephoro rebellaret, & ambo imperij honorem inuaderent, quod scelerata pactione pepigerant assecuti, aduersus Guiscardum profecti, ambo ad Dyrrachium prælio superati sunt: in quo Michaël filius interemptus, breui male partum amisit imperium, dum maluit per scelus proditoris comes esse, quàm patris exspectata morte, vnicus esse successor.

De Manfredo Friderici secundi Imperatoris filio.

Recentiores omnes scelere superauit Manfredus, qui Friderici secundi naturalis tantum filius, & ab eo Tarentini principatus honore decoratus: quemadmodum à nonnullis traditum est, puluino senem ægrum & patrem oppressit, vt Neapolitanum regnum, sicuti fecit occuparet.

De Sanctio quarto Castulonensi rege.

Haud scio an minus Sanctij scelus fuerit, in Alphõsum decimum Castulonensem regem patrem suum: cæterũ ingratitudinem quidem maiorem fuisse, nemo negauerit: nã cum mortuo Ferdinando, qui Alphonsi maior natu filius erat, successionis ius, non alijs modò rationibus, verũ populorum quoque consensu, in Ferdinandi filium, & ipsum Alphonsum cognomine de Cerda nuncupatum transiret, Alphonsus senior, quod Sanctium filium nimis diligeret, à nepote in eum, qui minori natu filius erat, successionem transtulit. Cum autem postea seniorem ipsum Alphonsum electores etsi prorsus non concordes, imperatorem creassent, & ipse ob eam rem Auinionem ad Pontificem proficisceretur, satius duxit imperatorio titulo cedere, quàm de eo armis cum aduersarijs decertare: inde postea in Hispaniam reuertens, à Sanctio cui abiens regnum commendauerat, exclusus est, & regno imperioque simul carens, apud Hispa-

Hispalensem vrbem decessit.

De Garsia Alphonsi tertij cognomento Legionensis regis filio.

Scelestus quoque Garsias fuit, cum patrem Alphonsum tertium regno priuauit, etsi id matris ac fratrum impulsu fe cisse videatur.

De Garsia Sanctij filio maioris Auarcæ nuncupati Nauarriæ Castulonis & Aragoniæ regis.

Scelestior Garsias fuit, qui apud patrem Sanctium Castulonensem atque Nauarriensem regem, falso adulterij Geloriam matrem accusauit, quod ei commodare equum recusasset, quem vxori magnoperè Sanctius vir commendauerat: impius profectò sceleratusq;, qui tàm leui de causa eam accusauit, quam tueri debebat. Id quod mulieris ipsius priuignus, ac naturalis tantum Sanctij filius Raymirus nomine egit, qui armis eam, aduersus omnium accusatorum calumnias, defensurum se obtulit: sed tandem re vt erat patefacta, monachi cuiusdã opera, cui Garsias in Christiana confessione vera fassus erat, diremptum est certamen & regina crimine liberata, quæ vt in priuignum grata esset, præteritis liberis moriens Raymirum, Nauarriensis regni, quod ipsi dotale erat, hæredem fecit.

De Actio tertio Estensi Ferrariensi principe.

Sceleratus atque immanis Actius tertius Estensis, qui vt paternas opes ac principatum occuparet, Opizum secundũ patrem, in lecto iacentem oppressit, deinde fratres pepulit, vt filio Fliſco, qui naturalis tantum erat, principatum relinqueret.

De Petro Candiano Veneto Duce.

Quam ingens quoq; ingratitudo ac scelus Petri Candiani, aduersus patrem Candianũ Venetũ Ducem fuit: nã cũ posthabito maiore natu filio, Candianus Petrum ducatus comitem adoptasset, Petrus paternæ necessitudinis, atq; huius meriti immemor proditione parentẽ depellere, eo honore tentauit, vt solus ipse dux remaneret: propter quã rẽ, à Venetis in exilium pulsus, tamẽ nunquam destitit bello patrẽ lacessere, donec senio molestiaq; cõfectus decederet: satis enim aperte hoc exemplo docemur, regnorũ nullã certã fidem, atq; eã neq; beneficijs, neq; sanguinis propinqui-

tate parari posse, quia vt sola sit, regnãdi cupido sẽper appetit.

De Iacobo Scotiæ rege.

Hæc sacra regnandi fames ad par scelus ætate nosta lãs Scotiæ regis filium, in patrem, qui eodem erat nomine, armauit: nam cum à patre, cũ multis alijs defecisset, magno edito prælio, pater in eo interfectus est.

De Ioanne Maria Vicecomite Mediolanensi Duce.

Non minus in matrem Gatharinã impius, Ioãnes Vicecomes Mediolanensis Dux fuit: nã cum vita functo parente eius, ipse tenera adhuc ætate à vidua matre regeretur, vt aliquantisper ætas adoleuit, in carcerẽ eam in Moguntiaca arte cõiecit, atq; illic præ mœrore eam ad mortem compulit: sed iam parentes ac liberos impios omittamus.

De Ratoldo Frisonum Duce.

Ad Christianam fidem, Volframj Senonẽsis Episcopi opera conuersus, Ratoldus Frisonum Dux, cũ iam alterum pedem in baptismatis fonte posuisset, priusquàm alterum poneret, ab Episcopo petijt, vbi nã maiorẽ, in paradiso, an in inferno, suorũ esse numerum putaret? respondẽte autẽ Volframio: Quippe in infernoquod eorum nullus Christũ redemptorem agnouisset: pedem ex baptismate Dux retraxit, dixitq;, Eò proficisci velle, vbi sui essent, malleq́ue eos qui plures essent, quã pauciores sequi: Impia enim leuitate saluti damnationem antepositi.

De Fabrianensi populo.

Scelus Fabrianensis quoq; populi ingens fuit, cũ in principes suos, Clauella gente ortos conspirauit. In templo enim cædem peragere coniurati statuerunt, hora egrediundi facinoris sumpta, cum sacerdos qui coniurationis conscius erat sacra perageret, & decantando Symbolo ad partem eam peruenisset, quæ incarnationis mentionem facit, Scelestè enim voluit, vt verbum, quo humanę salutis ortus, ac memoria renouatur, proditionis atq; alterius peragendæ mortis signum haberetur.

De Brachio Seniore militari Duce.

Scelestum Brachij quoque senioris (& si faceto sale aspersum videatur) verbum fuit, conquerente cum eo quodam Martini quinti Põtificis nomine, quod dixisset, Se Pontificem,

ficem ad tàm grauem fortunam redacturum, vt Missam numo, qui grossus dicitur, cantaturus esset: respondit Brachius, Mirari se, quod id de se Pontifex crederet, qui nõ modo numum grossum pro vnà Missa, sed ne minutum quidem assem, pro decem Misis daturus esset: nimis incõsideratum profecto verbũ, ostendere. Christianum hominem, tàm parui à se Christianæ fidei primarium antistitem, & simul primarium sacrificium fieri.

De Gabrino Fondolo Cremonensi tyranno.

Gabrini Fonduli Cremonensis tyranni, nihilo saniora fuerunt verba, cum à Philippo Mediolanensi Duce damnatus, illic esset, vbi capite mulctandus erat, astante enim populo, eo tempore quo viuendi finis ei imminebat dixit: Grauiter vnum ferre, quod dum Cremonæ principatum obtineret, Sigismundum Imperatorem, ac Ioannem vigesimumtertium pontificem, cum eos in vrbem accepit, à turri quæ immensæ altitudinis in media vrbe est, saltu se demittere non coëgisset, vt eo facinore diuturniorem de se loquendi posteris materiam relinqueret. Impio enim homini satis nõ erat crudelitatis ac malorum, quæ perpetrarat nisi moriturus quereretur grauiora se non perpetrasse.

De Bertholdo Zeringiæ Duce.

Sceleratum quoque illud fuit, quod Bertholdus Zeringiæ Dux in Germania dixit, cum æger morti proximus esset: nã cum statueret, vt thesaurus quẽ rapinis coëgerat, id est vasa, pecuniaque omnis signata, quam habebat in massam vnam conflaretur, & nonnulli, Quamobrem id ageret? peterent: respondit, Minimè se latere propinquos suos, cum ipse vitam egisset, ijs diuidendis quæ relinqueret, inter se contentionem habituros: ea autẽ haud difficulter diuisionem acceptura essent, si pecunia signata, aut vasis continerentur: quod si in massam vnam cogerentur, cum omnes eam appeterent, neque in ea alteri fidem alter haberet, id actura hæc massa videbatur, vt singulis vi eam ad se trahentibus, mutuis se super eam vulneribus confoderent. In morte enim ipsa cogitauit, quo modo perniciosior suis mortuus esset, quàm ante viuens fuerat.

De Quibusdam leprosis prouinciæ Narbonensis accolis.

Quidam prouinciæ Narbonenſis accolæ, lepra correpti, regnante Philippo Gallorũ rege, eius filio, qui Pulcher cognominatus eſt, deprehenſi ſunt, ſanie è corporib. ſuis manante, aliaq; tabe, clam puteos inficere: vt ad vniuerſum populum, qua ipſi laborabãt lepra tranſiret: quorũ ſcelus cum aliorum valetudini infeſtum eſſet, omnes viui in domibus ſuis combuſti fuerunt. Scelus profectò ingens, ad quod Iudæi eos impulerant, vt alienæ valetudini inuidendo, ſimiles ſibi facere, alios benè valentes quærerent.

De Petro Sermonetano, minorum ordinem profiteme. Item de quodam ſacerdote Gallo, & quibuſdam alijs.

Factis dictiſq; ſceleratis, vt qui omnium ſceleratiſſimi fuerunt, finem imponent Petrus Sermonetanus, qui Minorum ordinem profitebatur: & ſacerdos quidam Gallus, nõnulliq; alij ſceleſti, mirum in modũ nõ ob id tantũ, quòd immenſus eſt is quẽ læſerunt, verũetiam propter ſacerdotalem ordinẽ, qui eos impellere debebat, vt acrerrimi propugnatores eius rei eſſent, quam impiè impugnaueruntPetrus enim (proh immanè nefas) aſini ori Chriſtianam hoſtiã manducandã inſeruit, vt dæmones in magica arte ſibi fauentiores faceret: alter autẽ, cum male de Catholica fide ſentiret, à Iudæis ſeductus, nõ modò miſſarum ſolennia celebrabat, hoſtiæ immolatione non peracta, verumetiã ad tantã in Deum impietatem exarſit, vt quo die per vrbẽ magnis ceremonijs deferri Chriſtiana hoſtia ſolet, de Epiſcopi manu tollere eam, & palàm in contumeliã pedib. proculcare deliberaret: quod cum frequenti hominum numero, qui Epiſcopum circumſtabãt, agere prohibitus eſſet, in maiore Parrhiſiorum templo de ſacerdotibus celebrantis manu calicem extorſit, ſparſum redemptoris ſanguinem, ac pedibus calcatum, purum eſſe vinum affirmans: quibus ſceleris criminibus, ambo Innocentio octauo pontifice, Romæ Petrus, Parriſijs autem alter, viui combuſti fuerunt. Anno quoq; ſalutis quadrigenteſimo nonageſimonono ſupra mille: in valle Canonica, Brixienſis agri, ô horrendum ſcelus, atq; ante hoc tempus inauditum, complures ſacerdotes, approbatarum congregationum, freti ſe facilius magicam artem conſecuturos, ſpe ita eis, ab humani generis ho-

ſte

ste facta, quem in vno montium illius vallis palàm allo-
quebantur, in eam impietatem præcipites ruerunt, vt in ho
stiam quam ipsi immolarant, alij ventrem leuarent, alij pe
dibus eam proculcarent, nonnulli quod nihilò leuius est,
comburerent.

DE INVSITATIS MORTIS *generibus.* Cap. XII.

COnstat inter omnes qui ratione viuũt, cum nihil mor
te certius sit, incertissimam eius haberi horam, ac per-
sæpè grauem dici mortẽ: nõ quia res ipsa grauis sit, sed pro
pter statum illũ, in quo morituros depræhẽditur, sed pro-
fecto dubiũ illud duci nõ debet, siquid vnquã optimi mor
talibus à Deo cõcessum est, mortẽ ipsam id esse dici debe-
re: cum ea sit, quæ æqua falce summos infimis æquet: neq;
nemini (modo is velit) eripere eũ à miseria & seruitute ne-
get: ad quod etiã accedit, quod persæpè ipsa tã opportunè
vltrò occurrit, vt quanquã grauiter eã homines ferãt, exitu
tamẽ ipso ostẽditur, grauiorib. quæ viuẽdo pertulisset, acce
lerãdo hominẽ quẽ petit liberauisse. Ordinẽ igitur inchoa
tum sequuturi, de mortis generibus, quæ grauia atq; inusi
tata appellãtur, prisca recẽtioraq; subiectis exẽplis descri-
bemus.

De Moyse atq; Aaron fratribus.

Mirum videri non debet, res ratione metientibus, eos, qui
cum virtute agendo Dei gratiam promeruerint, ab eo præ
cipua etiam munera assequutos esse, in vita, & morte,
quæ alijs ad pœnam infertur, his ad solatium dari: vt
tanquàm transitus à somno, ad nouam vitam fit: quem-
admadum in Moyse atque Aaron fratribus perspectum
fuit: nam cum longum æuum fœliciter vixissent, & vi-
uentibus ostendisset Deus loca ad quæ transituri erant:
nulla ægritudine capti, neque alio grauiore signo osten-
so, ad ea ipsa loca, quæ Deus ostenderat, meliorem victuri
vitam demigrarunt, nihil aliud, quàm somno se captos o-
stendentes.

De Ioanne Euangelista.

Ioannes quoque Euangelista, per longum æuum acta vi
ta, minimè æger, Ephesi longa ad populum de Christiana
disciplina concione habita, cum postremò se tunc à præsen
ti vita

ti vita migraturum denunciasset, prosequente eum lachrymis populo, ad effossum locum, quem ipse ordinauerat profectus est: atque in eum descendens, cum extensus illic iacuisset, animam vt Deo eam restitueret, egit: qui cum nulla seculari re grauatus esset, minimè mirum est, tàm facile corporis carcere liberatum fuisse.

De Phaselo Iudæo.

Nouum inuenit mortis genus Phaselus Herodis Antipæ frater, vt se erumnis atque ignominia liberaret, cum proditione à Parthis captus, Antigono hosti deditus fuit: nam cum manus vinctas haberet, & omnis alia ratio cito moriendi adempta esset, tam grauiter muro caput allisit, vt statim acta anima ostenderet, ingentis animi virum prohiberi morte non posse.

De duobus ad Bestias damnatis.

Non minus quoque nouum industriæ genus, duo ad bestias damnati repererunt, vt se ea crudelitate ludibrioque redimerent: quemadmodum Seneca scriptum reliquit, Nã cum curru ad theatrum deportarentur, vbi feris obijciendi erant, alter ipsorum cum dormire se fingeret, adeò caput inclinauit, vt inter rotæ radios illud inuolueret, rotaque vertendo collum eius frãgeret. Alter autem cum obtinuisset, vt è curru leuandi ventris gratia descenderet, spongiam quæ in publicis latrinis, ad purgandum anum ligno affixa manebat, gutturi tanta vi inseruit, vt confestim præclusa anima periret.

De Alexandro Eleo philosopho.

Nouus profectò mortis casus is fuit, quo Alexander Eleus philosophus perijt: amnem etenim Alpheum pernatans, cum pectore in acutam arundinem, quæ aqua tegebatur incidisset, corpus confodit atq; interijt.

De Xenocrate Chalcedonio philosopho.

Xenocrates Chalcedonius philosophus, quemadmodũ scriptum est, noctu sine lumine domum perambulans, patellæ caput incommodè adeò allisit, vt eo effracto moreretur.

De Thalete Milesio.

Rarum etiam Thaletis Milesij (qui inter septem Græciæ sapientes

sapiētes annumeratus est) genus mortis fuit: nā cū senio cō fectus, ludos in theatro spectaret, sedēs calore sitiq; interijt

De Heraclito Ephesio philosopho.

Noua illa quoq; mors fuit qua Heraclitus Ephesius perijt: nam cum, vt hydropisim curaret, bouino stercore perunctus, sub sole maneret, forteque solum, is qui ministrabat, eum reliquisset, à canibus cum feram esse putarent, dilaniatus fuit.

De Diagora Rhodio, & Chilone philosopho.

Præ gaudio quoq; repente perierunt, Græca vanitate captī, Diagoras Rhodius, & item Chilon philosophus, cum filios Olympicis ludis victores deoscularentur.

De Seniore Dionysio Syracusano tyranno.

Pari leuitate motus senior Dionysius Syracusanus tyrānus, qui magna fœlicitate potitus, modestè semper antea fortunam tulerat, accepto nuncio de victoria inter tragœdos parta, nimio gaudio repentè mortuus est.

De Polycrita Naxia.

Recens quoque ac subita, ob iustiorem lætitiam mors ea fuit, quæ Polycritam Naxiam è vita abstulit: nam cum ob eximiam formam prudentiamq;, simul Diogeneto atque Erythræis persuasisset, vt Naxi obsidionem soluerent, ab exercitu in vrbem reuertens, vbi publico honore atq; omnium lętitia excipiebatur, patriæ liberatrix appellata, dum vrbis portam iniret, mortua concidit.

De Diodoro Dialectico.

Subita vehemensq; animi tristitia, id in Diodoro dialectico egit, quod in superioribus iam scriptis, nimiam lætitiā fecisse, diximus. Nā cū tàm citò vt voluisset, quęstionem à Stilpone propositam non dissolueret, repentina anxietate pressus, animam egit.

De Heli Iudæorum Pontifice.

Heli quoque Iudæorum Pontifex ac iudex, accepto tristi nuncio de clade qua Palæstini hostes capta arca, occisisque ipsius filijs, Iudaicum exercitum affecerant magno subitoq; dolore oppressus, cum à regio solio supinus caderet, effracto collo statim perijt.

De Druso Pompeio Claudij Cæsaris filio.

Minores quoque casus nonnullos de quibus nunc dicemus, morte affecerunt. In eis primus occurrit Drusus Pompeius Claudij Cæsaris filius: nam cum puer ludens, iactũ in sublimè pyrum ore excepisset, idq; alte in guttur descẽdisset, præclusa anima mortem obijt.

De Fabio Senatore ac Prætore Romano.

Fabius Prætor, hausto in lacte pilo, præcluso spiritu animam egit: adeò parua re, hominis persæpè mors constat qui superbè agendo, per amentiam Deo se nõnunquàm æquare contendit.

De Spurio Saufeio.

Non maior quoq; ea res fuit, nec minus noua, qua Sp. Saufeius interijt, cum balneum egressus ouum sorberet.

De M. Aurelio Caro Imp.

Quanquàm minimè nouum sit, de cœlo tactum quenquàm perire, res tamen haud indigna notatu est, cum qui magna fortuna sunt, fulminati inueniuntur, præsertim rara atque inusitatam rem agentes, quemadmodum Pompeio Straboni proconsuli contigit, qui vnà cum Octauio, vt Mario Cinnæq; se opponeret, iuxta vrbis Romæ portã armatus, atque equo insidens, à fulgore perijt. Visus enim est eo facto Deus ostendisse, quantoperè ciuilia bella damnaret. Carus quoque Imperator, cum ad Tigrim amnem castra aduersus Persas haberet, atq; æger iaceret, de cœlo tactus, combustus est, cum Romani infaustum haberent bellum, quod trans amnem illum susciperent.

RECENTIORA.

De Fl. Valerio Anastasio Imper.

Inter recentiora Anastasius Imperator, imperij sui anno quarto & vigesimo, in vrbe Constantinopoli eodem quo Carus fato decessit,

De quodam Africæ rege.

Ioanne nono Pontifice, cum Sarraceni ex Africa in Italiam traiecissent, atq; vrbem Consentiam oppugnarẽt, eorum rex, qui suis scalis muros vrbis cõscendebat, ceu alius Capanæus fulmine ictus est.

De Iouiniano Imper.

Quanto minoris momenti re Iouinianus Imp. ante de-

cesserat

cesserat: nam cum vrbem Romam peteret, Dadastanæ (qui locus inter Bithyniam atq; Galatiam est) fumo, siue nimio prunarum calore, quę in cubiculo ad ingens arcendum frigus positæ fuerant, suffocatus est inuentus.

De Attila Hunnorum rege.

Attila Hunnorum rex, cum se vt in Italiam reuerteretur accingeret vxore in Pānonia ducta, prima infaustarum nuptiarum nocte, cum nimio vino ciboque pressus dormiret, manante à naso sanguine, & per os guttur petente, prius enectus est, quàm quispiam rem illam præsentiret: Diuino enim nutu factum videtur, vt illi nimius sanguis guttur obstrueret, qui ferę potius, quàm hominis auiditate, in gentem nimis humani sanguinis vim, cædendo vastandoque sparserat.

De Grimoaldo Longobardorum rege.

Grimoaldus Longobardorum rex, nono die posteaquā medicis curātibus, in lacerto venam apperuerat, cum arcu columbam peteret, aperta repētè vena, tantum effudit sanguinis, vt cum sanguine vitam quoq; ageret.

De Ioanne, qui Maurus dicebatur Imperatore.

Dum arcu Caloioannes quoque Imperator Constanti nopolitanus in Cilicia aduersus aprum vteretur, adeò magnis viribus arcum contraxit, vt sagitta manum qua tenebat arcum traijceret, Quæ cum veneno, vt in venatione moris est, verum illitum haberet, paucis diebus interijt, relicto Emanuēle filio imperij successore, Christi anno centesimo ac trigesimo post mille.

De Theodorico Ostrogothorum rege in Italia.

Inusitatum quoque mortis genus, & penè prodigiosum Theodorici Ostrogothorum regis fuit: nam aliquot tempus postquam Symmachum atque Boëtium occiderat, cum ei in cœna magni piscis caput appositum esset, visus est sibi in eo Symmachi caput videre: inferius labrū in minitantis speciem mordentis: quemadmodum ipse medico Elpidio postea dixit: qua imagine ita territus est, vt tūc cubare incipiens, nunquam dicere desiuerit, se ea imagine terreri, quoad animam egit.

De Arrio Hæresiarcha.

Non inusitata modò, verum prodigiosa quoq; Arrij hæresiarchæ turpis mors fuit, qui, quo die in vrbe Constantinopoli, cum Alexandro catholico Episcopo disputandũ erat, dum leuare ventrem vellet, in sella familiari, cũ fœtib. omnia intestina effudit. Intestinorum enim vitæq;, quemadmodum veræ erat etiam fidei inanis, remansit.

De Anastasio secundo Pontifice.

Pariter Anastasius secundus Pontifex, cum eadem hæresi laboraret, leuans ventrem vt Arrius animam egit. Sed iam ad mortes, quæ aliquo casu vim secum tulerunt transeamus.

De Ioanne vigesimo primo Pontifice.

Ioannes vigesimus primus Pontifex, Viterbij ruina cubiculi, cum in lecto iaceret, oppressus, paulo pòst interijt.

De Artauada Armenio

Eo bello quo Totilas Gothorum rex, ac Iustiniani Duces inter se decertabant, singulari prælio Vlaris Gothus & Artauadas Armenius Rom. eques, haud longè à Trebia amne, in cisalpina Gallia dimicauerunt, in quo victor Artauadas nimis sinistro casu ipse quoque interijt. Nam cum infesta lancea, ab equo Vlarim Gothum mortuũ prostrasset, & Vlaris hasta calce humi infixo cuspide, aliquantisper à terra emineret, in eam Artauadas tàm grauiter offendit, vt eo vulnere pòst paucos dies à vita decederet, atq; ita contigit, vt qui mortuus humi iacebat, viuentem hostẽ victorem occidisse videretur.

De Maugoto Mauberto equite Gallo.

Cum similiter singulari certamine, apud vrbem Meldensem in Gallia, Maugotus Maubertus, & Fochetus Doriachus, Iulio mense inter vehementes solis ardores depugnarent, & pòst primum impetum, Fochetus aliquãtisper quieturus secessisset, animaduertens Maugotum in equo nutare, brachium eius inuasit, atque ad terram ipsum pertraxit, & cum neque ad deditionem appellatus responderet, neque aliter moueretur, detracta galea inuentus est mortuus, siue eius mortis calor nimius, siue liquefacto cerebro, petitum cor, causa extitit.

De Baptista Mirandulano.

Idem

Idem Baptistæ Mirandulano Ferrariæ contigit, cum in clusus circunsepto dimicaret, nam cum hostem ingenti animo inuasisset, & is territus eum fugeret, statim in equo nutare Baptista cœpit. Itaque cum putaretur vulnus accepisse, exarmatus sine vllo vulnere, imò sine illatæ percussionis signo, mortuus est iuuētus, magna astantium admiratione. Inter quos ego quoq; interfui, in eorū numero, quibus iudicandi de perduellibus datum onus fuerat,

De Fauilla Gotho Pelagij Portugallensis regis filio.

Non minus siniſtri casus euentu contigisse putata est, Fauillæ Gothi mors, Pelagij Portugallensis regis filij: in venatione enim ab vrso fuit interemptus.

De Astulpho Longobardorum rege.

In venatione quoq; legitur ab Apro interfectus esse Astulphus Longobardorum rex.

De Fulco Hierosolymarum rege.

Fulco Gallus Hierosolymarum rex ostendit verū esse vetus adagium, eorum à quibus, Currens equus, secum patens ferre sepulchrum dicitur: nam cum in Acri, id loci nomen est, leporem sectaretur, prolapso equo collū effregit.

De Ioanne primo Castulonensi rege.

Ioānes quoq; Castulonēsis rex equi casu detrit⁹ interijt.

De Philippo Gallorum rege.

Philippus Gallorū rex, puerulus, Ludouici cognomento Grosi filius, cū à patre regij nominis atq; honoris particeps factus esset, equi lapsu, cum in Parisiorū vrbe, forte in porcum incidisset, magno patris dolore decessit.

De Friderico primo Imperatore & Sfortia Attendulo militari Duce

Equorum casu cum in ficco essent perierunt, hi de quibus dictum est: at Federicus primus Imperator, cum in Armenia in magno comitatu amnem vado traijceret, ruente ipsius equo solus demersus est, & si per errorem nonnulli scripserint, id eum natando egisse. Sfortia quoque Attēdulus, Neapolitanum regnum cum exercitu petens, in Aterno amne, dum armigero puero qui mergebatur opem ferre contendit, atque in latus eius rei gratia nimium se inclinat, pondere suo secum traxit equum, & ita submersus,

nun-

nunquam fuit inuentus.

De Carolo Nauarrensi rege.

Magis nouum sæuiusque etiam mortis genus illud fuit quo Carolus Nauarrensis rex, Christi anno trecentesimo atque octuagesimo sexto post mille, interijt: nam cum senio confectus, neruorum quoque dolore laboraret, medicis ita suadentibus, assui toto corpori linteum aqua (quę viua dicitur) perfusum iussit: cum autem qui linteum consuerat candelæ igne abrumpere filum peracto opere vellet, & parum considerate linteum lumine contigisset, statim totum concepto igne exarsit, neque ante ferre opem quisquã potuit, quàm Carolus rex nimis properè sæuiente flamma combustus est. Cum ad repentinas ignis vires accederet, quod pedes ac manus linteo inuolutione vinctus, vnà tantũ lingua moueri poterat.

De Carolo sexto Gallorum rege ac comitibus.

Non minus quoq; infœlix, atq; incommoda eorũ mors fuit, qui in Parrisiorum vrbe cum Carolo sexto Gallorum rege, personati syluestrium virorum totũ villosum corpus & formas sumpserant: nam cum regis frater Aurelianensis Dux, qui in eos fortè inciderat, familiariter agnoscere eos vellet, accensum funale personatis admouit, vt eos diligentius intueretur. Itaq; cum flamma vnius velum, quod tenui lino pice illitum erat corripuisset, & ignis ob picem repente sæuiret, ab eo in alios qui propè erant flamma transiuit, atque ex personatorum numero duobus tum flamma oppressis, vix eo periculo eripi rex potuit.

De Septem Turonensibus dormientibus.

Post aduersa atq; insueta mortis genera, de quibus est dictum, nonnullas alias addemus, miras profectò atq; à veris magnisq; authoribus acceptas. Cum in Turones vrbẽ Gallicam, ad Martinum illius vrbis Episcopum, propinqui ipsius, Clemens, Primus, Theodorus, Gaudentius, Ciriacus, atque Innocentius profecti essent, vt vna cum eo viuerent: nam cum in monachali habitu diù cũ eo manssissent: hi quinto ac vigesimo anno post Martini obitum, Aicardo abbati morituros se prædixerunt: nec multo pòst, nullo corporis languore affecti, cum missarum solemnia audissent,

Chri-

Christiana cõmunione refecti, ante Abbatem ipsum genibus innixi, animã egerunt, & quia, nisi quod immobiles erant, & eis calor nullus inerat, reliquis in rebus viuentibus persimiles videbantur, Dormientes appellati fuerũt, in Turonibus, veluti qui sancti haberentur magno honore sepulti, quorum nos sepulchra religiosè cõspeximus, sed mirum magis est quod sequitur.

De Vdone Parthenopolitano Archiepiscopo.

Christi anno quadrageſimo supra nongentos, imperãte Otrone tertio, in Parthenopoli vrbe Germanica, quæ in Saxonibus est, & alio quoq; nomine Martinopolis dicta, Saxonũ lingua Magdeburgũ appellatur, Episcopus olim fuit Vdo nomine, vir libidinosus, & sacrarũ virginũ corrũptor, qui prodigio ad eũ gradũ conscenderat, neq; signis, ac diuinis vocibus cõmonitus, ab impudicitia sibi tẽperabat: quare viri religiosi, qui in ea regione, recte viuendi studio tenebantur, Deũ vt Episcopũ, aut corrigeret aut tolleret, rogare cogebantur. Itaq; cũ noctu in cathedrali ecclesia, quæ sub sancti Mauritij nomine, in Parthenopoli est, Federicus canonicus eiusmodi precibus operã darer, nõ sine ingenti formidine, vehementioris vẽti afflatu, omnia quæ in tẽplo erant lumina extingui perspexit: nec multo pòst duos iuuenes venire, duo candelabra accensis cereis fẽrẽtes, & Christũ cũ parente eius, atq; apostolis subsequi, à quibus cũ essent vocati sancti homines, quorũ corpora in eo tẽplo quiescebãt, visus est inter eos Mauritius venire, qui longa atq; graui oratione, Vdonẽ Episcopũ accusauit: quẽ haud multo pòst Christus nudum afferri, à duobus iussit, atq; dãnauit. Is autẽ pugno ab ipsorũ altero qui eũ portarant, in medijs renibus grauiter ictus, Christianã hostiam, quã in cõmunione pridie eius diei sumpserat reuomuit in calicẽ, qui altari impositus fuit: atq; securi percusso Vdone, rerũ illarũ omniũ imago euanuit. Qua re vehemẽter perterritus Federicus, cũ ad altare accessisset, calicẽq; in eo essẽ cũ Christiana hostia inspexisset, & simul episcopũ mortuũ humi iacentẽ, alios religiosos viros excitauit, qui ablatum inde episcopi corpus, in agro sepeliuerũt: cuius sangui

ne cũ respersum templi pauimentũ esset, sacerdotes ferreacrate

crate cruorẽ cooperuerũt, quẽ nouis Episcopis ostẽdere moris habẽt vt eo sãguine, à scelerate viuẽdo deterreãtur. Hęc autẽ quę Federicus inspexerat, cõfirmauit postea Bruno Episcopi in diuinorũ celebratione minister, nõnullis enarratis, quę ea ipsa nocte, qua hęc gesta fuerũt, iter in equo faciẽs vidit. *De Georgio Plantagineto Clarentiæ Duce.*

Georgius Clarentiæ Dux, à fratre Eduardo quarto, Britannico rege damnatus, vt sibi mortis genus eligeret: Creti ei vini potu mergi atq; enecari voluit, nã sicut Britannico potore dignũ erat, vt potando moreretur, elegit: sed vt hic cum Baccho, qui sequitur cum venere mori voluit.

De Giacheto Geneua Saluciano.

Poscit exitus tàm multorum inusitatæ mortis generum vt ei addamus, Giachetum Geneuam Salucianum, qui cũ in Saluciano populo non paruæ existimationis vir haberetur, iamq; ætas ingraueſceret, atque ex vxore liberos procreasset, veneris appetentior, occultè per posticum puellũ adhibebat, sub eo prætextu, vt illius rebus, quæ vsurpabantur tuendis, operam daret: itaque cum semel admissa puella, diutius quam consueuerat, recipere se ad vxorem ac liberos tardaret, seriorq; hora vxorẽ ac liberos in suspicionẽ adduceret, ne quid ei aduersi contigisset, quia strepitum nullum, vbi ipse esset, euoluendorum librorum, vt ei mos erat, non exaudiebant, posteaquam vocando pulsandoque non profecerunt, effracto loci ostio, cum lumen inculisset: inuenerunt in puellæ complexu, eum illius ventri, eo modo quo venus exercetur, incumbere atq; vtrunq; exanimẽ, sine vllo violentæ mortis signo esse: quæ res palàm facit, æquè ob nimiam, quamuis nuda sit venerem, ac armis, per multos sæpè vitam agere.

DE VIVENDI NIMIA CVPIditate. Cap. XIII.

POsteaquàm de morte dictum est, haud incongruum videtur, vt eos etiam attingamus, qui nimium mortem verentes, in appetenda longiore vita, modum sibi nullum fecerunt: nam & si vitæ prodigum hominem esse minimè oportet, ita nimis quoque vitæ auarus esse non debet: persæpè enim nimium vitam amando, non euitatur mors, sed differ-

differtur, atque ita in vitam, quæ morte deterior est interdum homines incidunt: quod si infœlicis vitæ spacium alì quantisper proferre contingit, in infamia atque dedecore vita amittitur: Pro vna enim morte, pluribus per hunc modũ afficiuntur: quòd moriente corpore, fama quoq; eiusmodi hominum extinguitur.

De Asdrubale Carthaginensi.

Nemo turpius vnquàm vitam appetijt quàm Asdrubal Carthaginensis: nam cum defendenda Carthagine, Scipionem inde arcere nequiuisset, vrbem ineuntibus Romanis, cum omnibus suis, in Aesculapij templum admodum munitum se recepit. Neque eorum memor, quę ipse nimis crudeliter in captiuos Romanos gesserat, quibus paria sibi Romanos illaturos putare debebat, vt mortem prorogaret vltrò Scipioni se dedidit, atq; ad eius pedes iacere non erubuit. Cum vxor ipsum intuita, vilem atq; effœminatum vocans, grauiter increparet, cui fortis animi exemplum ipse morte sua præbere debebat. Maluit enim sordidi animi vir, vinctus triumphantis currum anteire, & populo Romano ludibrium futurus, carnificis manu quàm gloriosè in patria pugnans, animam effundere:

De Perpenna.

Turpiter Perpenna quoque vitam amauit, in Hispania Sertorio interempto, cùm à seditioso exercitu fugisset nã à Pompeianis deprehensus, cum inter arbusta lateret, timens ne tunc occideretur, vt aliquãtisper vitam produceret, exclamauit, Vt se ad Pompeium deducerent: detecturũ enim se omnia quę ipsius hostes Romæ molirentur, dicebat: O animum profectò vilem atq; deiectum, vitę pusillũ momentum, sibi amicorum proditione ac sanguine, veluti precio velle concedi: cuius tamen compos non fuit, prius interemptus quàm eum Pompeius videret.

De C. Caligula.

Qui maior vnquàm mortis terror, aut quod vitæ sine vlla prorsus virtute maius desiderium, quàm in Caligula Cæsare fuit: qui omnibus in rebus, cum superbissimus esset, ad omnia fulgura pauens, veluti infans, puluino caput tegebat, illicóque si quis plurimum se terreri ostẽdisset, turpiter

turpiter latebat.

De Aulo Vitellio Imperatore.

Stomachum penè mouet Vitellij vilitas & exhaustus pudor, nam cum superbia sæuitiaque immensa in Othonem atque Sabinum Flauium vsus esset, non puduit cum palatiũ desereret, coquo pistore comitatum profugere: quinetiam cum oblata spe redijsset, tandem ab omnibus desertus, non erubuit accepta in baltheo parua pecunia, in ianitoris cella se abdere, forisq; alligato cane, culcitram forib. obdere: quod defensionis genus non insani modo hominis esse, verum infantium quoq; simplicitatem superare videbatur, adeò præ timore prudẽtiam ac communem sensum exuerat: illic deprehensus & vix agnitus, posteaquàm dissimulando diu Flauiorum antecursores elusit, quanquàm exploratum haberet se moriturum, quia Sabinum Vespasiani fratrem occiderat, tamen cum aliquot dies producere vitam cuperet dixit, Habere se ea, quæ Vespasiani vitam tangeret, quæ ipse deregere vellet: & idcirrò petere se, vt in vinculis dum Vespasianus veniret, seruaretur, quod ab hoste assequi non potuit. En Cæsareum animum atque imperatoriam mentem, en virum, non dicam Bruti aut Catonis, sed ne Othonis quidem hostis imitatorem, dum tanto dedecore atque infamia, & quod grauius est, in ærumna quauis morte grauiore, pauculos dies vitam prorogare quærit.

De Misa Moabitarum rege.

Romanis Barbari regis exemplum annectemus, id autem erit Misæ Moabitarum regis, qui à Ioram Samariæ, & simul à Iosaphat Iudæorum regibus obsessus, cum videret vltrà tueri se non posse, tentata prius incassum per noctem fuga, præ nimio timore, vt hostium manus euaderet, nouo atque crudeli commento vsus. Nam in vrbis muris, in ea parte quę hostibus conspicua erat, dijs suis maiorem natu filium immolauit: fretus sacrificio hostium manus se euasurum quemadmodum à magis suis ei promissum fuerat, id quod etiam ei successit, soluta ab hostibus obsidione.

De Bione Boristhenite philosopho.

Non

Non minus quoque mortis se pauore terreri, Bion Boristhenites philosophus ostendit, qui cum disputando semper asseruisset, Deum nullum esse, atque omnia casu regi: æger cum ita salutem speraret, carminibus fidem habuit, ac dijs supplicauit, votaque suscepit contra ea quæ ex secte suæ disciplina ipse prædicauerat.

De M. Anneo Lucano poëta,

Nouum his, qui legendo multa viderunt minimè videbitur, philosophum aut poëtam inuentum esse, in quo prõptior lingua, quàm manus esset, quemadmodum nuper de Bione visum est, & nunc quoque in Anneo Lucano ostenditur: qui cum sub Nerone Cæsare comprehensus, velut Pisonianæ coniurationis conscius, de qua audacter nimis loquutus erat, vt tormenta adhiberi sensit, totus prę nimio viuendi desiderio immutatus, Neroni incolumitatem pactus promisit, magna se detecturum, atque vt ei aliquid diceret, quod credi posse videretur, matrem suam Accillam, quanquàm innocentem accusauit. Verum pro tanto scelere, vt gratiam qua dignus erat acciperet, intra paucos dies, inter alios coniuratos occisus fuit, vita ingenti scelere in paucos dies producta.

RECENTIORA.

De Eugenio tyranno.

Quã turpiter Eugenius quoq; tyrãnus, proferre vitã deliberauit, cum Arbogastis ope, qui postea militaris dux eius fuit, Valentiniano secundo occiso, in Gallia imperium occupasset? nam vt in prælio, quo cum primo Theodosio decertauit, inclinare aciem suam conspexit, ne tunc minus vili, quàm ante scelerato animo cognosceretur, minimè Arbogastem imitatus, qui inclinãte fortuna, sibijpsi mortem consciuit, vt paucas horas vitam prorogaret (venia enim propter suam in Valentinianum proditionem atque sæuitiam indignum se norat) ad Theodosij pedes, abiecta imperatoria veste se prostrauit, à quo vt merebatur occisus, proditione infamis, atque inhonorus turpiter perijt: qui si paulo ante, quemadmodum olim Decius egerat, audacter prælium inijsset, aut vincere, aut mori, Imperator poterat.

De Reginaldo Germano.

Turpius proferre vitã optauit Reginaldus Germanus, qui quo tempore Gotifredus Bolionius virtutis eximiæ princeps, ad Syriacam expeditionem traiecit, partis earum copiarum dux creatus: cum in Asiam peruenisset, quanquã Christo sanguinem suum vouisset, tamen apud Niceam, à Turcis nulla edita virtute, prælio superatus, non modò pro Christo mori cum alijs noluit, quorum mortis ignauus dux causa extiterat, verum ipsius quoque Christi scelerate fidem abnegauit.

QVAM ANXIE CVSTODIAE SVAE inuigilarint, quibus suspecta suorum fides erat. Cap. XIIII.

ILlis qui nimio vitæ amore, etiam per turpitudinem eam proferre cõtenderunt, haud incongruè hi succedent, qui aliorum consuetudinem in custodienda vita transgressi sunt. Nam quanquam vtrisque nimium viuẽdi desiderium videatur inesse, aliud tamen est, nulla decoris habita ratio ne voluisse vitam producere, aliud autem impensam adhibuisse curam, ne per insidias, aut aliam vim, vita ante fatalem horam eriperetur. Pauca igitur de his ac breuia subnectemus, quibus palàm fiet eiusmodi hominibus, in hac vltima vitæ cura agentibus, vitam calamitatem ac potius carcerem, non vitam dici debere: cum aut domesticorum aut alienorum insidias, scelere suo, aut animi imbecillitate, semper vereantur.

De Aristippo Argiuo tyranno.

Aristippus Argiuorum tyrannus, ob nimiam suspicionẽ, cubiculum suum mobilibus scalis, cum puella amata conscendebat, cataracta ferrea aperta, quã cubiculum ingressus demittebat: & ne falli posset, lecto cataractæ superposito incubabat. Cum in inferiore loco puellæ mater scalas amoueret, & mane postea restitueret, cogeretur que Aristippus pronus inde descendere, qui præ nimio timore in vnius anus custodia vitam suam posuerat.

De Arthemone Periphoretho.

Arthemonem cognomento Periphoretum, nescio timidúmne, an insanum dicam? is domi per duos seruos, assiduè supra caput clypeum tenebat, & cũ in publicum prodiret,

operta

operta lectica ferebatur: Adeò non diligentis modò, sed stultæ etiam curæ, per timiditatem seruandæ vitæ plenus erat.

De Domitiano Imperatore.

Domitianus nihilo minus quàm hi, de quibus dictũ est, timidus cum mortis instare tempus putaret, à Mathematicis prædictum, quod tamen nulla diligentia deuitare potuit, eius porticus, in qua deambulare solebat, Sphengitico marmore parietes incrustauit, vt ei lapidis illius fulgore, veluti in speculo, non minus eorum qui à tergo quàm qui à fronte se offerrent, imagines eodem tempore repræsentarentur.

De Commodo Imperatore.

Commodus Imperator timidus, cum tõsori nulli fidem haberet, sibi ipse barbã comãq; candẽti carbone adurebat.

RECENTIORA.

De Carolo septimo Gallorum rege.

Quã omni caruit ratiõe custodia, quã vitæ suæ adhibuit Carolus septimus Gallorũ rex? cum à filio Ludouico, qui Delphini dignitatem obtinebat venenum veritus, quia cõtumaciter cum eo viueret, sex dies continuos omni cibo abstinuit, & cum postea medici, atque is religiosus vir, cui ipse Christiano more crimina sua fatebatur eum monuissent, si ita pergeret, vitam animamq; simul amissurum: reficere se cibo volens, cum extenuatis inedia viribus, dimittere per fauces nihil posset, cibi abstinentia, vt ei dictũ fuerat mortuus est. Parum enim consideratè cauendo, in id ipsum incidit, quod timendo euitare se credebat.

De Ludouico decimo Gallorum rege.

Non minus patre ipso Carolo suspicionis plenam Ludouicus filius vitam egit, cum apud Turones arcem inhabitaret, in quàm voluptatis gratia, secedere reges solebant: nam non satis ducens, quadringentos milites in armis, ad palatij custodiam semper habere, voluit vt in eo numero, ducenti essent Scoti ex populis, qui prisco nomine Britanni erant minimè ei parentibus. Plus enim fidei in eis, quàm in Gallis viris reposuit: præterea imam fossę partem qua circũsepta erat, ferreis spiculis totã cõpleuerat. Latera

quoque ipsius fossæ, rastris ferreis acutissimis circumsepserat quæ persæpe lima acui iubebat. Magna enim cura, neque minore impensa, anxietatem animi sui detegebat: cum tamen ea, per quæ cauere sibi nitebatur, haud magni ad cauendum facienda essent.

DE IIS QVI EFFIGIE PER multum sibi similes fuerunt. Cap. XV.

CAusas quibus persæpe homines diuersis regionibus orti, adeò sibijpsis similes videntur, vt si ijsdem vestibus amicti inueniantur, discerni nequeant, docere, aut hominis non est, aut si in hominis mentem descendere potest, id in eo erit, qui naturæ causas altius ac diligenter inuestigauerit. Itaque cum præsentis operis professio ea sit, vt neque quod Dei est, impiè sibi sumere velit, & ab alijs in philosophiæ abditissimis recessibus latentia, perquiri velit, nos historici tantum aggressi opus, non causas, sed effectus rerum ostendisse, contenti erimus.

De Sura Proconsule.

Suræ olim in Sicilia proconsuli, piscator omni ex parte tam similis fuit, vt non oratione tãtum (balbus enim erat) verum in gestu quoque dum rideret, non similis Suræ, sed Sura videretur esse. Effigiesque ipsa adeò Suram ipsum representaret, vt si vestium discrimen tolleretur, discerni inter se non possent.

De Cassio Seuero oratore.

Cassius Seuerus adeò Mirmilloni vndique similis fuit, vt ei pro crimine obijceretur.

De duobus Pueris Seruis.

Quum M. Antonio triumuiro Toranius Mango, duos pueros tanquam fatres vendidisset, quod in omnibus similimi erant, atque sermo postea indicasset, alterum in Germania, in Asia autem alterum ortum esse, Antoniusque in eo fraudem sibi adhibitam quereretur, ac puerorũ precium reposceret: Toranius callido vir ingenio, Ob id tanti se pueros vendidisse, respondit quod cum tam diuersis inter se regionibus orti essent, magis mira similitudo fuerit, quæ minus gratiæ haberet si inter fratres (id quod vulgo natura haud

haud tàm raro impartitur) similitudo inuenta esset.

RECENTIORA.

De Francisco Sfortia Mediolanensi duce.

Inter recentiores æui homines, inuenti sunt nonnulli, inter se discretam penè similitudinem habere. Vidimus nos Francisco Sfortiæ Mediolanensi duci, cuius aspectu nihil gratius, nihil principe magno dignius erat, iuuenem in leui ipsius armatura vultu adeò similem, vt aulæ totius consensu, ob eam similitudinem cognomento princeps appellaretur. Cum Franciscus vtpote omni in re humanissimus non sine voluptate in eo tanquam in speculo imaginē suā, ac plerisque in rebus gestus suos, ac vocem agnosceret, & nonnunquàm contemplaretur.

De Sigismundo Malatesta Ariminensi principe.

Pariter quoque Sigismūdus Malatesta, adeò effigie Marchesino Mimo persimilis fuit, vt cum Mediolanum peteret à socero ipsius Francisco Sfortia Mediolanensi duce, Marchesinus (eius enim suppudebat) aliò ablegaretur: nam aliquando dicacior Marchesnus, ob similitudinem Sigismundum filium suum esse dicebat.

DE IIS QVI OBSCVRO ORTI loco, per dolum claris sese familijs inserere conati sunt. Cap. XVI.

De Smerde Mago

PErsæpè inuenti sunt homines, qui aut propter effigiem persimilem, aut alia fraude adiuti, alienis se familijs inserere, aut aliorum nomina inuadere ausi sunt. Id inter cæteros Magus nomine Smerdes, propter similitudinē, Smerdem Cambysis Assyriorum regis fratrem, quem is interfici iusserat, se finxit esse, atque aduersus Cābysem regnum occupauit: & nisi fraus detecta esset, quia defectas habebat aures, id quod Othanis filia palàm fecit, dum cum eo decubans, caput pertractasset, acquisitum fraude regnum, quiete possedisset: sed eum postea Darius, fraude detecta, cum regno vita etiam priuauit.

De Prompalo Syriæ rege, qui se Alexandrum finxit esse

Simile Prompali extremæ sortis viri, principium atque exitus, vt magi Smerdis fuit: nam cum Antiocheni à Deme

trio Sotere, Seleuci filio rebellassent, à Ptolemæo Philomatre Aegypti rege adiuti, Prompalum Antiochi Epiphanis filium finxerunt esse. Inditoque Alexandri Balaitis nomine ad regnum aduersus Demetrium Soterem erexerũt, iustius quam Demetrio regnum ei deberi asserentes: adeò autem propitiam Prompalus habuit fortunã, vt propter populorum in Demetrium odij magnitudinem, rebellante reliqua Syriæ parte, quemadmodum ante Antiocheni fecerant, is Demetrium prælio superatum interemerit. Cæterũ Prompalus postea, nimijs fortunæ bonis corruptus, cum insolenter nimis atque libidinosè, malè partum, malè administraret regnum, post aliquot annos à Demetrio Nicatore, Soteris Demetrij filio, quem ipse occiderat, Syria pulsus in Arabiam effugit, vbi interemptus fuit.

De quodam Aegyptio qui se finxit Antiochi Soteris Syriæ regis filium.

Haud multo post simili fraude Aegyptius iuuenis, mercatoris Protarchi filius, cum se Alexandrum Zebennam appellaret, Antiochi Soteris Syriæ regis adoptiuum filium, quem Parthi in prælio occiderant: à Ptolemæo Phiscone Aegypti rege, aduersus Demetrium Nicatorem, Syriæ regem adiutus, tam multis quas appositè fingebat lachrymis Antiochi corpus sepeliuit, adeoque hac pietatis specie populorum gratiam sibi conciliauit, vt postea ad Demetrium Nicatorem superandum, & ad parandum totius Syriæ regnum, multum ei laborandum non fuit. Verum postea variante fortunã, regno depulsus est, ab Antiocho Crispo, siue vt nõnulli aiunt Gripho, qui Demetrij Nicatoris filius fuit. Nam cum Antiochiæ, auream Iouis statuam, furtim rapere vellet, qua re detecta populus arma cœpit, inde mari aufugit, aduersaque tempestate actus, cum in maritimos latrones incidisset, captus atque hosti suo deditus, fraudis atque ficti nominis, in alieni regni occupatione, acerbas moriendo pœnas luit.

De Archelao qui se Mithridatis Pontici regis filium finxit.

Archelaus Mithridatis se filium fingens, gener atq; idem successor Ptolemæi Aegypti regis factus, in Asia quoq; magnis vrbibus potitus est: cæterum tandem à Gabinio prælio su-

lio superatus, vitam ac simul malè partum regnum amisit.

De Andrisco Pseudophilippo Macedoniæ rege.

Andriscus abiectæ vir fortunę, Demetrio Syriæ rege sub ornante, Philippi nomen vsurpauit: nam Persæ Macedoniæ regis filium se finxit, atque ab vrbe Roma profugisse se dicebat: quem tanto omnium consensu ac fauore Macedones acceperunt, vt breui eum Macedonici regni possessorem homines viderint.

De duobus qui se Ariarthis Cappadociæ regis filios fecerunt.

Cum Nicomedes Bithyniæ rex vereretur, ne Mithridates si Cappadociam occupasset (id quod tunc agebat) arma quoque in Bithyniam extenderet, sub hoc nomine quod eam Ariarthis filio in Cappadocia regnante traditurus esset, iuuenē satis liberali facie præditū subornauit, vt tāquā Ariarthis filius Romā proficisceretur, atq; à populo Romano Cappadociæ tāquā regnū peteret: vt autem res similior verò videretur, cum eo vxorem Laodiceā misit, quæ olim Ariarthis vxor fuerat, vt rē esse, quemadmodū inuenis dicebat testaretur: cæterum à Senatu ambo, tanquam falsæ rei auctores, indicto silentio, reiecti fuerunt.

De Iudæo quodam, qui se Alexandrum finxit, Herodis Iudæorum regis filium.

Haud meliorem exitum falsi commēti, ac fraudi suæ Iudæus quidam Sidonius tulit, qui se Alexandrum esse finxit Herodis Antipæ Iudęorum regis filium, quem pater occidi iusserat. Affirmabat enim se à militibus quibus occidendi cura demandata fuerat emissum, fugiendi potestatem habuisse, atque pro se alium haud dissimilem interfectū. Itaque & vultus similitudine, & verbis signisque, quibus vtebatur, à subornatoribus diligenter instructus, multis se verè Alexandrum esse persuasit. Iudæorum igitur permultis eum prosequentibus, regio habitu ornatus, Romam venit, vt regni partem suam peteret: vbi cum Augustus Cæsar, prudentia sua fraudem, vt habebat, detexisset, occisi subornatores fuerunt, & ipse ad seruitutem in triremi remo alligatus.

De duobus, qui se Neronem Imperatorem finxerunt.

Imperāte Othone, magni motus in Græcia atq; Asia fue-

runt, propter citharœdum qui se Neronẽ fingebat. Is cum vultu atque voce ei persimilis esset aiebat, quo tempore Romæ disseminatum fuit, Neronem sibi vim attulisse, alium pro eo fuisse mortuum: quamobrem cum seditiosis permultis eum prosequentibus, Syriam aut Aegyptum petere contenderet, quò si peruenisset, minimè dubium erat, quin oriens totus tumultuaret, aduersa tempestate ad Cythũ insulã inter Cycladas delatus est, vbi cum veluti verus Nero in milites qui ab oriente veniebant, imperio vteretur, impulit vt parerent, atque Sisenna centurio à militibus desertus, profugere ab insula cogeretur, qua re audita, cum Asia penè tota nutaret, missis ab Othone duabus triremibus, nauis qua is falsus Nero ferebatur oppugnata est, atque in eo prælio is interemptus fuit, corpusque eius Romã missum. Alius quoque vigesimo anno post Neronis mortem, cum se Neronem fingeret, in oriente tantum nominis atq; existimationis peperit, vt vix nisi post aliquod tempus, à Parthis Pop. Rom. deditus foret, reprimi posse videretur.

De Geta qui se Scribonianum Camerinum finxit.

Nero, quemadmodum alios multos, ita etiam Scribonianum senatorem occiderat, & tamen imperãte Vitellio inuentus est in Illyrico seruus, nomine Geta, qui nihilo fœliciore fortuna, quam hi de quibus est dictum, se Scribonianum fingeret, qui magna seditiosorum atque seruorum coacta manu, omnia in Illyrico turbabat, vbi olim Scribonianus in magna apud eos populos gratia fuerat: sed breui Geta ad Vitellium perductus, atque à primo agnitus, vt seruus ac fugitiuus mulctatus est.

De Nymphidio Sabino.

Nymphidius Sabinus, sub Galba prætorij prefectus fortasse, quia ad imperium aspirabat, se Caligulæ filium esse dixit: matri enim meretricis notam inusit, vt se Cæsarum sanguini insereret, quanquam id longè à verò abesset.

De Barbario Philippo.

Inusitatum profectò fraudis genus fuit, quo Barbarius Philippus, seruus fugitiuus, Romæ aliquod tempus vsus est, cum tanquam ciuis Romanus præturam gereret, cuius præturæ administratione, postea iureconsulti vehementer labo-

laborarunt, dum de his quæ in prætura Barbarius gesserat, ratáne esse deberent, ageretur: quæ tamen rata gesserunt, esse ob fraudem haud à iure absonam, qua nimis multi comprehendebantur. Sed iam à priscis ad recentiora transeamus.

RECENTIORA.

De Childibio Antio.

Childibius genere Antius, his populis vicinus, qui sub Sclauorum nomine, Iustiniano imperante, regionem trãs Danubium incolebant: dum inter Antios Sclauonesq; bello contenderetur, à Sclauone captus, quia corporis robori animi vigor respondebat, magnam audendo famam sibi comparauit. Hunc vt fortuna tulit, Antius à Sclauone qui eum cœperat redemit, Romani captiui hortatu, per hunc enim modum, se quoque liberatum iri sperabat. Antio autem ostendit hunc Childibium, quia & virtus & nominis similitudo fidem faciebat, illum esse, qui ad Danubium Iustiniano imperante, Thraciam magnis rebus gestis rexerat prælioque cum Sclauonibus edito, interijsse credebatur, qua de re rogatus hic Childibius, cum eam negaret, Romanus captiuus, vafro vir ingenio, ei cuius erat captiuus per suasit, hunc verum esse illum Childibium, sed præ timore affirmare rem non audere. Itaque res palàm facta est, & is partim quia terrebatur, nisi quod Roman. dicebat affirmaret, partim quia euasurum se in maiorem fortunam putabat, si is Childibius quem ferebant, putaretur esse, ipse quoque aliorum opinionem sequutus, quod alij ferebant, dicere & affirmare cœpit. Cũ igitur Iustinianus Sclauonibus atque Antijs optionem fecisset, Turrim vrbem inhabitãdi, quæ olim à Traiano condita, per id tempus continuis bellis populo exhausta ac deserta erat. De ea incolenda vtraque gens conuenit, si eis Childibius præficeretur: asserebant enim, quemadmodum Thraciam olim virtute defenderat, ita ipsos nunc quoque defensurum. Missus ergo Childibius captiuus ab vtraque gente ad Iustinianũ orator, cum in Narsetem Eunuchum proficiscens incidisset, qui Childibium primum in prælio mortuum norat, diligenter ab eo excussus est, & quanquam Latinè loqueretur,

& multa primi Childibij signa daret, tamen is esse, qui verè erat cognitus victus est, atque ad Imperatorē missus.

De Cotherino qui Sulthani filium se finxit.

A virginis partu ducentesimo ac quadragesimo tertio anno post mille, in Asia minore quidam fuit nobili inter Turcas genere ortus, qui Cotherinus nuncupabatur: hic quorundam Turcensium præfectorum opera, qui Baiothum Sulthanum inuisum habebant, cum in publico cum matre ex composito contendens ruinis cum ea ageret, vt quo patre esset ortus declarare vellet, ipsaque reluctaretur, arreptam capillis, grauiter calcibus pugnisque mulctauit. Itaq; cum filij vim vltra ferre se non posse ostēderet palàm affirmauit, Cotherinum Baiothi Sulthani fratrem esse: quam rem, cum populi ingenti gaudio accepissent, ad eum circiter viginti millium hominum manus conuenit, atq; vrbs Iconium iam deditionem fecerat, cum inde profectus, vt Candelorum occuparet, vbi regij thesauri custodiebantur per fraudem à quodam Turcensi principe captus, vnà cum fratre suspendio vitam finiuit.

De Gondeualdo, qui se Clotharij filium dicebat.

Cum similem fraudem, in Burgundia Gondeualdus astruere vellet, nequaquam fœliciorem exitum nactus est, nam cū eius mater, quæ corpus vulgauerat, Clotharij Burgundiæ regis filium diceret, à Clothario atque Childerico eius fratre repulsus, vt declinaret dedecus, quod inde in eū resultauerat, Hierosolymam in Orientem profectus, vnde audita Clotharij morte cum in Burgundiā redijsset, eūq; populi excepissent, commisso cum Gonthramo verò Clotharij filio graui prœlio, ab eo Gondeualdus confestim superatus, atque occisus fuit.

De quodam qui se Adelphonsum Aragonium regem finxit.

Mortuo in prælio aduersus Mauros in Hispania Adelphōso rege, Hispanus, qui ei facie persimilis erat, se Adelphonsum esse finxit, ostendens propter acceptæ cladis dedecus, ignoto habitu, velle orbem terrarum peragrare, quibus rebus apud multos (nam præter similem effigiem, multis quoque alijs signis, se verum Adelphonsum ostendere videbatur) tantum profecit, vt magnus hominū numerus,

Adel-

Adelphonsum esse eum putaret. Itaque cum ob eam rem, multi hominem prosequerentur, veritus Alphonsus qui in regno successerat, ne inde grauius sibi negotium oriretur comprehendi eum, atque suspendi iussit.

De quodam qui se Henricum quintum Imperatorem falso dixit.

Anno à dicto iam partu centesimo atque trigesimo septimo supra mille, in Germania apud vrbem Solodurium ab eremo profectus quidam, se Henricum quartum Imperatorem esse palã affirmabat, qui antea mortuus erat: quam obrem cum multi ad eum transirent, inter Germanos graues ortæ sunt contentiones, cum alij falsum Henricũ verum alij esse contenderent, sed tandem aperta re, vt erat re legatus est, vt Clunij monasteriũ monachus inhabitaret.

De alio qui se Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem falso dixit.

Anno ducentesimo ac vigesimo quinto, aut circiter post mille, ab eodem partu iuxta vrbem Andrinopolim, Balduinus primus, Constantinopolitanus Imperator, Flandriæ comes, in prælio à Græcis interfectus, nusquam repertus fuit, multique ob id eum adhuc viuere dixerunt: inuentusq; est, qui se eum esse diceret, per Belgicæ enim partem quæ Flandria dicitur, in peregrini habitu vir quidam nomine Bernhardus de Rayns errabat, verbis signisq; permultis, fide apud plerosq; facta, vt eũ Balduinũ esse crederent: ob eã rẽ ingens hominũ manus eum sequebatur, atq; aliquot iã vrbes ad eũ defecerant, sed cũ Ludouicus Gallorũ rex, diligentius inquirere rem illã vellet, is Ludouico ita requirẽte Peronã venit, vbi cum eum inspexisset obstupuit, cum ex toto eius effigies Balduino simillima esset: neq; tamen hac similitudine contentus alijs quoq; modis, de ipsa re certiora eruere voluit: itaq; cum meminisset Philippũ regẽ patrẽ suũ, equestria ornamẽta Balduino dedisse, ab hoc petijt vt diem locumque atq; modũ declararet, quo equestri dignitate donatus fuerat, & vbi vxorem primò desponsasset, quæ regi Philippo arcta affinitate cõiuncta fuerat: qua re is qui se Balduinũ fingebat, cũ se captũ videret, tẽpus ad respondendũ sumpsit, tãdẽq; detecta fraude qui princeps atq, Imperator illuc venerat, Perona in peregrini atq; inopis viri

forma

forma abijt, à populis Flandrensibus desertus, quod cum his respõdere nesciret, quæ Ludouicus rex popoſcerat, quæ illi si verus erat Balduinus exploratissima esse debebant: satis palàm fiebat ipsum Balduinum non esse: nec multo pòst Herardi Castenaci opera in caupona Burgundiæ quadam captus, vt dignus erat, suspensus fuit.

De Federico Vbaldino de Carda nuncupato, qui se Guidonis Montisferetri Comitis filium finxit

Cum Guido Vrbinatium comes grauiter ferret, se legitimos non habere liberos, vt in principatu ex se successorem inueniret, stabiliretque concubinæ quàm habebat, tãquam ex se ortum, suppoſuit Berardini Vbaldini Cardæ filium quem postea Federicũ nominauit. Sed ei haud multo post ex vxore verus natus est filius, cui Odoni Antonio nomen indidit, eum ob sceleſtam vitam cum Vrbinates in teremisſent, Federicus populis ita annitentibus, ad principatum conscendit, vt comitis Guidonis naturalis filius, lõgè fœlicius ei, quàm his de quibus est dictum, fauente fortuna: nam vt Vrbinates Odonis scelus in se irritauerat, ita propter virtutis magnitudinem, Federicum veluti numen Vrbinates coluerunt: sub eo quieta atque æqua omnia, non minus quàm Romani sub Numa aſsequuti.

De quodam qui Ricardum secundum Britanniæ regem se finxit.

Cum Henricus quartus Ricardum secundum, fratrẽ patruelem Britãniæ regem in vincula conieciſset: ac regnum occupaſset, Salesberitanus comes ex matre Ricardi frater, vt eum liberaret, aut saltem vlciſceretur, regia veste sacerdotem adornauit, qui olim in Ricardi muſicorum numero fuerat, atque ei in omnibus perſimilis erat. Ricardum igitur in insulã effugiſse, è carcere diſseminauit. Ad eam famam, cum multi conueniſsent, suppoſititiumque Regem sequerentur, Henricus valido exercitu, cum eis cõserta manu in fugã omnes conuertit, atque occidit, inter quos haud longè pòst verus quoque Ricardus fuit.

De quodam Oxonensi Britanno, qui se finxit Georgij Clarentiæ ducis filium.

Aetate noſtra in Britannia regnante Henrico septimo, cum

cum is in carcere Eduardum Georgij Clarentiæ ducis filium asseruaret, Georgius autem Eduardi, atque Ricardi frater fuerat, quorum vtroq; in Britannia regnante, Britannus quidam sacerdos, finxit Eduardum, qui in carcere erat, Henrici manus effugisse, & pro eo adolescentem Oxoniesem organistæ filium, qui ei simillimus erat ostendebat. Hunc in Irlandiam deductum, eius insulæ populi Regem appellarunt, quibus subnixus, accedente præterea Britannorum exulum ope, satis magna manu in Britanniam traiecit: vbi ab Henrico statim prælio superatus, ac captus, cũ ab eo populo ostenderetur, vna cum verò Eduardo, fraus illa prorsus detecta fuit, Henricusque hunc falsum Eduardum, anno quadringentesimo octogesimo septimo post mille culinæ seruitio relegauit.

De alio qui se Ricardum, Orcadum ducem, Eduardi quarti Britannorum regis filium simulauit esse.


Post hunc falsum Eduardum, iterum anno quadringentesimo septimo post mille, à virginis partu, in Britaniã Scotorum ope quidam descendit, qui se Ricardum Orcadum ducem nominabat, Eduardi quarti filium, atque ad se regnum spectare asserebat: fingens cum patruus eius Ricardus, vt regnum ipsi ac fratri adimeret, occidi ambos iussisset, militem eum cui cædes demandata fuerat, occiso primo eius fratre, precibus flecti se passum, alium pro se occidisse, atque ipsum liberasse. Cum autem Eduardi effigies verbis addita (Eduardo enim verò simillimus erat) multos impulisset, & vt quæ is dicebat, vera esse crederent, à Carolo octauo Gallorum rege quæsitus quod eo tẽpore Henrico Britannico regi hostis erat, in Parthisiorum vrbẽ cum honesto comitatu venit, vbi posteaquam accepit, ab Henrico cum Gallis initam esse pacem, veritus ne tanquã initæ pacis pignus Henrico traderetur, in Flandriam profugit, illicque à Philippo Burgundiæ archiduce, cui Maximilianus Imperator pater erat, tanquã propinquitate conium ctus in honore habebatur: sed tertio anno post inchoata huius fraudis commenta, prælio ab Henrico rege Britanni co, cum in Britanniam traiecisset superatus ac captus, palàm fecit se Tornacensis tonsoris filium, nomine Petrachi


num

num Verbecchum esse, atque ad vrbem Londam, cũ idem affirmantes eius parentes venissent, ab Henrico liberatus alimenta quoque quibus viueret accepit. Sed cum postea iterum res nouas moliri deprehensus esset, in medio vrbis Londæ foro capite mulctatus est. Cætetum quanquam in eiusmodi materia, permulta insignia Italorum exempla nobis occurrant, vt posteritatis nostræ rationem habeamus, ne aliqui ab hoc nostro scribendi genere, quod in communem vtilitatem solum suscepimus, læsos se esse putarent, in eam sæuiant, hic scribendi finem faciemus.


FINIS.







3500,-
5482/17



B. FULGOSUS
DICTORUMQUE
MEMORABILIUM